Vgl. in Schmids Encykl. d. Schl. u. Pädag. Bd. 7.
S. 185 ff

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBRI TRES.

EDIDIT ET ILLUSTRAVIT

RUDOLPHUS I. F. HENRICHSEN, A. M.

IN ACADEMIA SORANA LECTOR LITT. LAT.

Gast. 1834.

HAVNIÆ.

SUMPTIBUS LIBRARIÆ GYLDENDALIANÆ.

TYPIS EXCUDIT DIRECTOR *JANUS HOSTRUP SCHULTZ*,

AULÆ ET UNIVERSITATIS TYPOGRAPHUS.

MDCCCXXX.

MICHAELI NIELSEN PROF.

VIRO ERUDITISSIMO

PRAECEPTORI SUMME COLENDO

HUNC LIBRUM SACRUM ESSE VOLUIT

EDITOR.

PRÆFATIO.

Neminem, qui tres libros Ciceronis, qui sunt de Oratore, accurate perlegerit, latere arbitror, quam multa etiam nunc, post Orellii operam in his libris edendis strenue religioseque collocatam, restent vel manifesto vitiosa et corrupta vel pulchra specie ulcus occultantia; quæ vitia quo magis latent, eo magis sunt protrahenda, ne ea, quæ librariorum et correctorum tum antiquorum tum recentium malæ sedulitati debentur, pro Ciceronianis venditentur, neve quæ simulata sanitate doctiores fefellerunt, minus peritam iuventutem, cui hi libri in scholis traduntur, in fraudem inducant. Harum autem corruptelarum qui sit fons, quæ si non medendi, at certe indagandi ratio, tum demum patebit, quum externum horum libb. habitum et quasi historiam cognoverimus; quod si non neglexissent superiores editores, et si ad hanc normam emendandi viam conformassent, multo melius de hoc Ciceroniano opere actum foret. Verum ante Muellerum nemo interpretum quidquam de singulari horum libb. fato suspicatus est. Muellerus, qui in dissertatione *de M. T. Ciceronis libris III de Oratore etiam post criticorum curas nondum satis castigatis* Lipsiæ a. 1811 edita multa bene observavit, quorum postea immemor fuit, in eadem comment. p. 12 sq. codicem quendam a Gerardo Landriano repertum commemoravit, sed paucis tantum verbis tamque obscure, ut veram huius inventi rationem eum parum cognitam habuisse satis appareat. Ne Orellius quidem in primo Operum Cic. volumine quidquam de codicum conditione attulit; sed in censura Oratoris a Meyero editi, quæ exstat in Iahnii Annal. Vol. III. fasc. 4. p. 84 sqq., de illius libri diplomatica ratione accurate disseruit, quæque ibi de alio Ciceronis libro disputata sunt, etiam ad hos libros pertinent.

Itaque antequam, quibus subsidiis criticis in his libris edendis usus sim, exponam, fundamenti loco referam ea,

quæ *ex schedis Lagomarsinii* exscripsit Bandinius in Catalogo Codd. Latinorum bibliothecæ Mediceæ Laurentianæ Tom. II. p. 492 sqq., unde intelligatur, quid a codicibus exspectandum, quæque ratio in iis adhibendis sit ineunda. Lagomarsinii hæc sunt verba:

"Codex membran. in fol. (extra XXXI) Bibliothecæ Riccardianæ, antiquus, continet de Oratore libros tres, neque integros et perturbatos, ut sunt omnes, qui ante sæculum XV. scripti sunt, quo primum sæculo integri reperti sunt (qua de tota re infra dicemus:) Oratoris fragmentum etc. — Hunc nostrum (codicem) et antiquum initio esse dixi, et nunc iterum antiquum esse confirmo, quem uno, aut etiam altero sæculo ante quintum decimum fuisse scriptum fatebuntur quicumque eum inspexerint, et de manuscriptorum ætatibus iudicare didicerunt." —

"Librorum trium de Oratore ad Q. Fratrem, et unius ad M. Brutum, eius, qui Orator inscribitur, quum duplex sit genus, alterum mutilorum, integrorum alterum: integros quidem, qui ullam satis insignem antiquitatem præ se ferrent, hoc est, qui ante sæculum XV. scripti viderentur, nullos usquam neque a me repertos, neque a Victorio potuisse reperiri confiteor (cuius rei causam mox adferam): at vero mutilorum quæ copia mihi suppeditavit, non intelligo quo pacto fieri potuerit, ut ea Victorium defecerit."*)

"(Libros de Claris Oratoribus et de Optimo Genere Oratorum) profecto non nisi in codicibus, sæculo XV. scriptis, et ego reperi, et reperisse Victorium facile credo: siquidem non nisi eo sæculo Brutus, et, ut arbitror, alter ille libellus primum describi coeptus est ex antiquissimo exemplari, quod diu occultatum, tunc e tenebris emersit, et in manus hominum venit: ex quo eodem integer Orator, et item integri tres de Oratore libri descripti sunt. Rem narrat Blondus Foroliviensis — in Italia Illustrata, ubi de Ro-

*) Victorius in præfat. Castigationum in Ciceronis de Arte Rhetorica libros negaverat exstare codices veteres librorum Ciceronis, qui Oratorem instituunt.

mandiola agit, pag. 346 editionis Basileensis MDLIX. *Gasparinus*, inquit, *Bergomensis, grammaticus rhetorque celeberrimus, Venetiis meliori solito doctrina nonnullos erudivit, plurimos ad ea imitanda studia incitavit = quum Philippus, Mediolanensium Dux tertius, Gasparinum Bergomo subditum hominem invitum Mediolanensibus edocendis Padua et Venetia evocavit; ubi id maxime adiumenti studiis eloquentiæ attulit, quod repertus Laudæ a summo viro Gerardo Landriano, tunc ibi Episcopo* (gessit autem Laudensem Episcopatum Landrianus, auctore Ughellio, ab an. MCCCCXIX. ad MCCCCXXXVII. quo ad Comensem ab Eugenio IV. translatus est) *multis maximisque in ruderibus codex Ciceronis pervetustus, et cuius litteras vetustiores paucissimi scirent legere, ad eius perveniens manus interitum evasit. Continebat is codex, præter rhetoricorum novos et veteres, qui habebantur, tres quoque de Oratore integerrimos, Brutum de Oratoribus Claris, et Oratorem ad Brutum M. Tullii Ciceronis. Unde liberatus est bonus ipse vir Gasparinus ingenti, quem assumpserat, labore supplendi, quoad poterat, librorum de Oratore defectus, sicut diu antea in Quintiliani Institutionibus multo labore suppleverat. Et quum nullus Mediolani esset repertus, qui eius vetusti codicis litteram sciret legere, Cosmus quidam egregii ingenii Cremonensis tres de Oratore libros primus transcripsit; multiplicataque inde exempla omnem Italiam desideratissimo codice repleverunt. Nos vero, quum publicis patriæ tractandis negotiis adolescentes Mediolanum adissemus, Brutum de Claris Oratoribus primi omnium mirabili ardore ac celeritate transcripsimus: ex quo, primum Veronam Guarino, post Leonardo Iustiniano Venetias misso, omnis Italia exemplis pariter est repleta.*" —

"Non defuisse Victorii ætate antiqua Ciceronis rhetoricorum omnium operum, præter Brutum, et de Optimo Genere Oratorum libellum, exemplaria confitendum est, quæ ad nostram quoque pervenerunt. Ille ipse Orator ad M. Brutum, et tres præterea de Oratore ad Q. Fratrem libri non deerant, etsi non modica sui parte deficerent. Integri

sæculo XV. cum Bruto et altero illo fortasse libello reperti, integre eodem sæculo describi sunt coepti. Sola igitur integrorum horum, itemque Bruti atque alterius illius libelli exemplaria potuit ac debuit recentia magnus ille vir dicere, non autem negare, quod fecit, *ulla usquam antiqua ab se aut ab amicis suis reperta.* Sed neque causam, cur *pauca admodum in omnibus, qui oratorem instituunt, libris castigaverit,* adferri ab eo illam necesse fuit, quod *nulla antiqua eorum exemplaria repererit,* sed hanc, quam nos quoque, haud ita multa in iisdem libris castigaturi, iam nunc adferimus, quod omnia eorum exemplaria, tam antiqua, quam recentia, in mendosis vulgatorum locis fere inter se cum vulgatisque consentiant, in emendatis vero a vulgatorum lectione non discrepent: ut propterea castigatio ex iis aut peti non potuerit, aut omnino non fuerit necessaria."

"Videamus nunc, ex hoc nostro Codice, cuius libros tres de Oratore neque integros, et perturbatos esse initio diximus, quid perierit, quid alieno sit loco positum: quodque de eo dicturi sumus, id de reliquis ante sæculum XV. scriptis, qui omnes hisce iisdem omissionis ac perturbationis tamquam vitiis laborant, dictum intelligatur. — Ac primo de omissis agendum. Libro igitur operis de Oratore primo omittit hic Codex illa *summorum actorum est requirendus etc. — ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis atque in ea* (c. 28. 128 — 34. 157). Item omittit eodem libro illa *et legibus continentur etc.* (43. 193 extr.) cum reliquis ad extremum usque Librum." —

"Libri secundi omittitur initium ad illa usque Capitis V. prima verba: *Tum Catulus: Ne Græci quidem etc.* Item omittuntur illa ex cap. XII. [50] *consolatio, quorum nihil est,* et quæ sequuntur, concluduntur que illis Capitis XIV. [60] *hæc dumtaxat in Græcis intelligo, quæ ipsi qui.*"

"In Libro denique III. omittuntur illa Capitis V. [17 extr.] *etsi admonitum venimus tc, non flagitatum,* cum reliquis ad illa Capitis XXVIII. [110] *ut iure aut iudicio, denique recuperare etc.*" —

Atque hæc hactenus; nam quæ de præpostere collocatis disputat Lagomarsinius, ea eius codicis, quem tractavit, paucorumque aliorum propria sunt pleraque magisque bibliopegarum quam librariorum negligentiæ tribuenda. Ex iis autem, quæ supra allata sunt, intelligitur, quam miseranda sit horum librorum fortuna, quantaque cautione in codicibus adhibendis sit utendum. Nam quum duplex sit codicum genus, alterum mutilorum, integrorum alterum, in omnibus mutilis, qui ante inventum codicem Laudensem exarati sunt, eædem fere sunt lacunæ, quas in suo codice reperit Lagomarsinius; unde latus sane interpolandi campus grammaticis seculi XV patebat*). In integris autem lacunarum supplementa desumpta sunt ex uno codice eo, quem ineunte sec. XV Laude Pompeia (hodie Lodi) invenit Gerardus Landrianus; qui liber utrum exstet necne, ignoratur; certe si hodie exstaret, eius iterum collati ope sine dubio non solum multa corrigi possent, quæ in suppletis locis mire depravata leguntur, sed illud etiam diiudicari posset, quod

*) "Libros de Oratore, antequam integri, rectoque ordine dispositi — reperti sunt, supplere atque ordinare Gasparinus Barzizius Bergomas instituerat. — Supplementorum exemplum esto illud, quod Libro I. paullo post initium Capitis XXVIII. legitur in hoc Codice sic: *Recte, inquit Crassus, tuus Apollonius, Antoni, quum dicendi artem traderet, quosdam ab his institutis depellebat, nec sinebat eos operam in tanta re frustra consumere: eratque tum in hoc laudandus, quod non ita eos ab illis artibus deterrebat, quid* (f. *quin*) *eas, ad quas quisque natus esset, et quasi a natura imbutus, sperare et consequi posse persuaderet. Nam hæc sæpe in nostris hominibus notavi, si quis* (sic) *ad hæc ipsa oratorum studia consurgere non possunt* (sic) *qui ne tamen quadam magis convenientia, quam humana contineatur.* Ad quem locum, certe in extremis valde mendosum, monumentum hoc margini adscriptum visitur: *Hoc supplet Gasparinus.* At vero recentior nescio quis de Gasparini ea in re consilio testimonium hoc, testis ipse valde idoneus, utpote qui ex ipso Gasparino audita refert, eidem margini adscripsit ac subdidit: *Non tamen, ut proprio ex ore audivi, ea intentione, ut textui annecteretur, sed ut esset quædam postilla in margine, quæ utrosque textus defectuosos coniungeret, et cum aliqua continuatione et consonantia saltem intellectui legentis satisfaceret aliquantisper."* Lagomarsinius ap. Bandin. l. c. pag. 499. Cfr. Orell. Opp. Cic. Vol. III. P. I. pag. 19 sq.

nunc obscurum est, utrum totum codicem exscripserit Cosmus Cremonensis, an lacunas ex codice Laudensi lectu difficillimo explevisse contentus reliqua ex antiquioribus exemplaribus repetiverit. Ut nunc res est, illud tantum constat, ex duplici illo codicum genere non natam esse duplicem familiam, sed omnes, quotquot exstant, codices antiquiores pariter ac recentiores saltem in libro II. et III. ex eodem satis turbido fonte fluxisse. Nam quo magis ab initio libri II. proceditur, eo magis corrupti sunt et glossematibus referti omnes, iisdemque in vitiis fere ubique ita consentiunt, ut ex eodem universos archetypo aut mendose scripto aut propter evanidos litterarum ductus lectu difficillimo vel ex eiusmodi vetusti exemplaris apographis originem traxisse, quotquot adhuc collati sunt codices, manifestum sit. Idem de antiquissimis editionibus iudicandum est, quæ ex recentioribus pleræque codicibus typis descriptæ sunt; in his quæ aliter atque in codicibus leguntur, ex doctorum sec. XV virorum correctionibus profecta sunt. Neque tamen ideo omne pretium codicum collationibus est abiudicandum, neque laudandi sunt ii, qui, aut omnino non consultis aut posthabitis libris MSS., divinare quam coniicere maluerunt. Nam etsi omnes codices corruptelis et glossematibus laborant, alii tamen aliis sunt magis corrupti, alii aliis magis interpolati; et si in multis locis omnes codices tam misere sunt foedati, ut nihil inde subsidii peti possit, in nonnullis tamen alii magis aliis si minus recta, at tamen recti vestigia ostendunt, cautis et peritis criticis non negligenda. Ex nostris codicibus in libro primo antiquiores fere sunt meliores, neque solum rectiorem sæpe verborum ordinem exhibent, sed etiam aliquot locis soli veras lectiones servant; sed non ita ab omnibus recentioribus differunt neque ita excellunt, ut ad potiorem familiam referendi aut soli semper sequendi esse videantur. Iidem in posterioribus duobus libris sunt longe corruptissimi, verbaque omittunt et transponunt frequentiu quam recentiores; interdum tamen in ipsis corruptelarum monstris veri servant vestigia, a doctioribus seculi XV l'

brariis obscurata vel deleta. In lacunarum supplementis recentiorum codicum consensus, quid in Laudensi codice aut certe quid in Cosmi apographo scriptum fuerit, indicat, singulorum vero codicum discrepantiæ e correctorum coniecturis atque interpolationibus natæ sunt. Omnino autem e codicibus quædam restitui possunt, quæ a primis editoribus atque ab Aldo temere mutata sunt; et quum vulgatus textus a codicibus multum recedat (quod frustra negavit Lagomars.) neque tamen adhuc satis emendatus sit, sola codicum collatio ostendit, quæ cuiusque lectionis auctoritas sit et origo, ubi lateat vitium, et quousque procedere possit coniectura, in qua iam antiquiores editores nimium quantum sibi indulserunt.

Iam quamquam haud pauci codices collati vel saltem inspecti sunt ab iis, qui hos libros ediderunt, nemo tamen ea, qua par erat, diligentia in iis conferendis et consulendis versatus est, nec quisquam dispersas collatorum codicum lectiones collegit atque in sua quasque genera ita dispertivit, ut, quid ubique codices habeant, constet. Itaque ante omnia apparatum criticum, quantum fieri poterat, locupletissimum confeci atque inde ea, quæ graviora videbantur, in huius editionis commentarium retuli. Codices, quibus usus sum, hi sunt:

Gruteriani codices: a) *Palatini novem* (Pal.) a Grutero collati; ex his Pal. primus et secundus antiquiores sunt eamque ob causam eas lacunas habent, quas indicavit Lagomarsinius; quod semel monuisse sufficiat. — b) *Tosani* liber a Petro Suffrido collatus. Interdum (v. c. ad I. 17) commemorantur *libri*, quos evolverit Suffridus; hi libri sunt Tosanus et Erfurtensis, de quo infra dicemus. — c) *Tres Gallicani* a Gulielmio collati sunt *Pithoeanus* s. Francisci Pithoei liber (Pith.), *Memmianus membranaceus* et *Memmianus chartaceus* (Mem.), ex quibus duo priores sunt antiquiores. De horum codd. indole vide Grut. ad II. 48. Omnium horum non integræ collationes, sed singulorum quorundam locorum variæ lectiones a Grutero in notis ad hos libb. allatæ

sunt; sed Pithoeanum et Memmianum chart. vel etiam Memmianum utrumque puto esse *duos illos Veteres* (V. ST., duo ST.), quos integros contulit Car. Stephanus. Huc etiam ex parte referendi sunt *codices Lambini*, qui *tria vetustissima atque emendatissima omnium M. Tullii operum exemplaria ab Errico Memmio sibi ultro delata esse* testatur in Præfat. Lucretii (Paris. 1570) p. 16. Cfr. Lamb. præfat. ad Opp. Cic., ubi etiam a *N. Clerico* se nonnullos codd. accepisse dicit. Memmianos suos sæpe in notis ad hh. libb. commemorat Lambinus; cfr. tamen Grut. ad II. 31, qui ea verba, quæ ex Memmiano se restituisse dixit Lamb., in Memmianis negat comparere, quos excusserit Gulielmius. Num eodem referendi sint *codd.* quidam *Regii*, a Lallemando et le Clerquiè commemorati, nescio. Codd. Regii 7702, 7703, 7704, 7753, ab Orellio identidem laudati, omnes recentiores sunt; vide Catalog. MSS. Latin. Reg. bibl. Paris.

Codices Britannici editionis Oxoniensis (Oxx.), Cockmanni et Pearcii. Oxonienses hos libros cum Oliveti editione contulerunt: 1) "Volumen in membranis et maioris formæ, complectens Tusc. Disp. etc. Exstat in bibliotheca Collegii *Lincolniensis* (U) et scriptum fuit anno 1420." Ad hæc Oxx. editorum verba addere liceat, codicem U ad antiquiores referendum esse et cum Erfurtensi (cfr. Wunderi Præfat. VV. LL. cod. Erf. p. XVI) vel eo nomine consentire, quod non omnia, quæ ab reliquis antiquioribus initio libri II. absunt, omittat, sed tantum ea, quæ ab initio usque ad c. 3. §. 13 *tentans ad disputandum elicere* in recentioribus leguntur. Mancus codex deficit lib. II. in extremis verbis cap. 8. — 2) Cod. MS. in bibl. Coll. *S. Ioannis* Baptistæ Oxon. (Z), antiquior omniumque codd. fortasse optimus. Cfr. Pearcii præfat. — 3) Cod. bibl. *Bodleianæ* (α). — 4) Cod. bibl. Coll. *Balliolensis* Oxon. (β). — 5) Cod. bibl. Coll. *Magdalensis* Oxon. (γ). — 6) Cod. bibl. Coll. *Novi* Oxon. (δ), cuius in margine sunt variantes lectiones a Cockm. et Pearcio *excerpta Nov.* (excerpt. δ) vocatæ. — 7) Codex olim Thomæ Wagstaffe (ε), nunc Coll. S. Ioannis Cantab.

— Horum codicum scripturas non nisi in 43 primis capitibus libri I. excerpserunt Oxonienses editores, totos maiore diligentia contulit *Cockmannus*, qui hos libb. edidit Oxoniæ 1696. Si quam horum codd. lectionem aliter a me allatam reperies, atque in Oxoniensi collatione exstat, hoc Cockmanni auctoritate factum esse scito. — Præterea a lib. II. c. 9 usque ad finem libri III. editio Ox. præbet lectiones Corporis s. συναγωγῆς Opp. Ciceronis bibl. *Balliolensis* (ψ), cuius συναγωγῆς quinto volumini anno 1445 Florentiæ descripto insunt hi libri de Oratore. Denique *Pearcius* præter codd. Z, α, β, γ, δ, ε, his libris MSS. usus est: a) Codice bibl. academiæ *Cantabrigiensis* (Cant.). — b) Cod. bibl. collegii *Gonvillo-Caiensis* Cantab. (Gonv.); hic codex, quem recentem esse et vix tertiam totius operis partem continere dicit Pearcius in præfat., ex antiquiore codice exscriptus esse videtur. — c) Cod. bibl. Reg. Societ., quem dono dedit Dux *Norfolciæ* (Norf.). — d) Cod. *Riccardi Mead* (Mead.). — e) Codd. duo Edwardi Comitis Oxoniæ (Harl. 1 et 2).

Atque hac occasione interpretum errores de duobus codd. Oxx. corrigam. Nam præter hos codd. non solum ab Harlessio et Muellero, sed etiam a Pearcio (ad II. 20) quasi diversus *cod.* Ox. *Gronovii* commemoratur. Sed hic codex est idem ille Ioanneus Z, quem Gronovius, quum Oxonii degeret, usque ad sexagesimum caput libri II. satis negligenter contulerat; vide Cockmanni præfat. — Alter cod. Oxoniensis *d*, quem sæpe commemorat Harlessius, nullus omnino codex est, sed hæc nota significat *deest;* unde monstra nata sunt illa ap. Harl. ed. alt. p. 43: "*Hominum* abesse ab Oxon. Gronovii, sed esse in Z, d," innumerabilesque alii errores; vide Harl. p. 39, 65, 72, 129, 197 al.

Erlangensis uterque, alter (Erl. 1) ab Ernestio in præfat. Opp. Cic. Vol. I. p. 8, alter (Erl. 2) ab Harlessio in comment. quinta de Memorabilibus quibusdam bibl. Acad. Erlangensis 1803 descriptus. Codex Erl. 1 ab Ernestio, qui eius lectiones multas affert, ad sec. decimum refertur; quod si verum est, omnium antiquissimus iudicandus est. Lacu-

nas, quas indicant Ern. l. c. et Harless. in ed. alt. p. 100, 204, 529, 556, 574, supplevit librarius sec. XV. Hunc cod. totum contulit Harlessius in ed. alt., sed neque accurate nec scienter. — Erlangensem 2 exeunte sec. XI exaratum esse putat Harl., qui varias eius lectiones usque ad primam libri I. lacunam adnotavit, in libro autem II. non nisi lacunas indicavit, ed. alt. p. 186, 217, 340.

Codices Guelferbytani tres a Schuetzio satis negligenter collati (Guelf. A, B, C), de quibus vide Heusingerum præfat. Off. p. XVI sqq. et Schuetzium præfat. Opp. Cic. Rhetor. Vol. II. P. 2. Ex his Guelf. A antiquior est, quem Heusingerus circ. a. 1300 scriptum esse iudicat. In libro primo horum codd. varietates aliquot notavit Kleinius Misc. Crit. Seebodii Vol. I. p. 344 sqq., quem diligentiorem collatorem in his varietatibus indicandis secutus sum.

Codex Erfurtensis, quo olim Petrus Suffridus usus est (vide Grævii præfat. ad Orationes Cic.), inter multa alia Ciceronis scripta etiam hos libros continet. Accuratam eius descriptionem dedit Edv. Wunderus in VV. LL. librorum aliquot M. T. Ciceronis ex cod. Erfurtensi enotatis, Lips. 1827, præfat. impr. p. XVI sqq. idemque varias eius lectiones ex lib. I. atque initio lib. II. usque ad c. 11 diligenter exhibuit. Quamquam hic codex non melior est quam reliqui antiquiores, tamen Wunderus nollem indignum eum iudicasset, quem totum conferret; neque enim, quum a Wunderiano fragmento discesseris, ullius exstat codicis tam accurata collatio, ut, quid ubique codicibus debeatur, qui ordo sit verborum, constet; nec quidquam magis lubricum et periculosum est quam negligentium collatorum silentio pro testimonio uti. Mihi quidem hoc nomine *duo codices bibliothecæ Regiæ Havniensis* Italici, neque boni et recentiores, magnam utilitatem attulerunt. Ex his *Havniensis A* membranaceus fol. min., No. 397 e collectione Thottiana, nitidissime exaratus est a docto librario, cuius doctrinæ haud paucæ glossæ atque correctiones debentur. Desinit his verbis: *Marci Tullii Ciceronis liber tertius explicit, incipit quar-*

tus. Deinde sequitur Orator eadem manu scriptus. — *Havniensis B* chartaceus, insertis aliquot foliis membranaceis, fol. minor., No. 428 e collectione vetere, emptus Romæ a. 1699 a Frederico Rostgaardio, ab indocto librario descriptus est, unde multæ corruptelæ multæque verborum omissiones exstiterunt. Hos de Oratore libb. excipiunt rhetorica ad Herennium, eadem, ut videtur, manu scripta. Extrema codicis verba sunt: *Deo Gratias. Amen. finit* 1437. Hos codd., quorum usum liberrimum mihi concesserunt illustrissimi bibliothecæ Regiæ præfecti, per totos tres libros diligentissime cum Muelleri editione contuli eorumque scripturas, quæ quidem alicuius momenti esse viderentur, in huius editionis commentario indicavi. Ubi nihil de Havniensibus nominatim allatum est, eos cum reliquis codd. consentire intelligendum est. Omnem eorum varietatem fortasse alio tempore exhibebo.

Goerenzius in adnott. ad Ciceronis libros philosophicos sæpe *optimos* codd. librorum de Orat. a se collatos commemorat. Sed optimi nulli horum libb. codd. sunt; Goerenziani ne ad meliores quidem referri posse videntur, neque eorum fortasse ullus est antiquior.

Præterea codicem membranaceum bibl. Regiæ *Dresdanæ* (Dresd.) commemorat Muellerus dissert. de libb. III. de Orat. p. 10 sq. atque in ed. p. 11, 55 al.; *Monachensem* Harlessius ed. alt. p. 71; cod. *Borromæi* citant Manutius ad ep. ad Fam. V. 2 et Gruter. ad III. Orat. 38. 154; *Traiectinum* Arntzenius ad Panegyricos et Drakenborch ad Liv. IX. 2. 8; *Barberinum* Garaton. ad V. Philipp. 3. — Codices *Pighii, Turnebi, Ursini, Rivii,* quorum scripturæ aliquoties afferuntur, nominasse sufficiat. De codicibus hactenus.

His pauca addenda sunt de antiquioribus editionibus, ex quibus quæ ante Aldinam prodierunt, in plerisque inter se consentiunt, neque tamen ita similes sunt, ut alia alius repetitio dici possit. — *Hahnianæ* a. 1468 non nisi ex lib. I. exstant varietates a Kleinio in Seebodii Misc. Crit. Vol. I. p. 344-353 notatæ. Haud paucæ propriæ, nonnullæ bonæ lectiones

afferuntur huius editionis, cuius pretium nullum esse contendit Muellerus in Seebodii Archiv 1824 p. 201 sqq. — Editionis, quæ *Editio sine loco et anno* ab Ernestio dicitur, varietates excerpsit Muellerus ad calcem edit. horum libb., sed hæc collatio admodum negligenter instituta est mendisque typographicis referta. — Ipse quattuor veteres editiones, quas possidet bibliotheca Regia Havniensis, cum Orellii editione contuli; quarum prima est *Mediolanensis* (Med. 1), fol., quæ non numerat paginas, sed quaternionum et ternionum signaturas habet; constat 92 foliis. Ad calcem leguntur hæc: *Impressum Mediolani impensis Philippi Lavaniæ anno Domini milesimo quatricentesimo septuagesimo septimo, sexto Idus novembris.* — Altera est *Veneta* 1485 (Ven.), fol., cum commentario Omniboni Leoniceni. — Tertia est *Mediolanensis* omnium opp. Cic. 1498, fol. mai., *redemptura Guielmorum fratrum* (Med. 2), superioribus longe emendatior. — Quarta est *Lotteriana* (Lott.), fol. min., cuius longiorem titulum exhibuit Harlessius præfat. ed. alt. p. XXI, sed omisit ea, quæ ad calcem scripta sunt: *Habes Candide Lector Diuinos tres M. Tul. Ciceronis de Oratore libros, sicut noviter, ita emaculate impressos cura et impensis Melchioris Lotteri Calcographi Lipsen̄, anno domini millesimo quingentesimo decimo quinto, mense Aprili.* Non numerat paginas, sed habet signaturas; constat 84 fol. Hæc editio maxime cum Med. 2 consentit. — Hahnianam (in lib. I.), ed. s. l. et a., Med. utramque, Ven. et Lotterianam intelligi velim, ubi *editiones antiquissimas* appello. Præterea aliorum interpretum testimonia secutus aliquoties commemoravi *Venetam Waldarferi* 1470 (1471 Ebert No. 4311), qua usus est Ernesti; cfr. Muelleri dissert. p. 15 sq.; *Venetam Andreæ Catharensis* 1478, quam inspexerunt Gruterus et Pearcius; *Parisiensem Ascensii* 1511 (Ascens. 1) et *Lipsiensem Thanneri* 1515, quas identidem laudat Ernestius. *Aldinam* rhetoricorum omnium editionem 1514. 4 min. ipse cum Orellii ed. contuli; Orellius contulit Iuntinam 1514. 8, quæ quamquam simillima est Aldinæ, non ita cum ea congruit, ut mera eius repetitio di-

cenda sit, quod contendit Ebert No. 1286. Quæ post Aldinam prodierunt edd., quæ quidem alicuius momenti sint, earum scripturas satis diligenter exhibuit Orellius; itaque pauca hæc observasse sufficiat. *Margo Cratandri* plerumque cum edd. antiquiss. congruit. Quas *Lambini* solius esse lectiones dicit Orellius, earum multæ ex ed. *C. Stephani* vel etiam ex edd. antiquiss. petitæ sunt, neque raro codicum auctoritate confirmantur. Equidem et Stephani et Lambini genuinam edit. ad manus habui, ne quis meo errori tribuat ea, quæ secus a me atque ab Orellio notata sunt. *Repetitio Lamb.*, quæ a me aliquoties commemoratur, est Parisiensis 1573. 8; Orellius usus est repetitione anni 1584. *Gruterianam* Orellius adhibuit a Gronovio emendatam, Lugd. Bat. 1692, unde haud pauca, quæ Gruteri nomine ab Orellio feruntur, Gronovio tribuenda sunt; ipse veram Gruterianam, Hamb. 1618, tractavi. — *Pearcii* optimi critici editionem primam, Cantabr. 1716, et quartam, Londini 1771, ipse usurpavi; ed. alterius, Cantabr. 1732, et quintæ, Londini 1795, adnotationes integras mihi suppeditavit Harlessii editio. Ex his edd. quarta et quinta tertiæ repetitiones sunt; altera primæ fere similis aliquot adnotationibus aucta est. Orellius permultas emendationes, quæ sunt Pearcii, Ernestio tribuit. Recentiores edd. post Ern. in omnium manibus sunt; his quomodo usus sim, ex commentario meo satis patet; quædam interpretum peccata notavi, pleraque tacito correxi. *Schuetzius* maiore diligentia in libb. rhetoricis versatus est quam in reliquis Ciceronis libb. edendis multaque bene atque ingeniose in maioris editionis commentario observavit, ex quibus nonnulla, auctore nominato, in meum usum converti. *Orellio* quam multa debeam, quævis huius meæ editionis pagina testatur. Reliquos hoc loco silentio præterire quam vituperare malo; nihil enim fere, quod laudandum sit, reperio. Billerbeckianam aliasque similes editiones contempsi.

De hac mea editione non opus est multa dicere. In textu, qui dicitur, tractando quid secutus sim, ex iis, quæ

supra allata sunt, intelligitur. In commentario maxime memorabilium lectionum auctoritates accurate indicavi, eorumque, quae in Ciceronis verbis aut mutaverim aut aliter legenda aut non ita a Cicerone scripta esse putaverim, rationem reddidi. In his quae melius quam a superioribus editoribus instituta sunt, eorum magnam atque adeo gravissimam partem acceptam refero *I. N. Madvigio*, Professori Havniensi, qui amico deesse noluit litterisque egregias emendationes doctissimasque de multis horum libb. locis observationes mecum communicavit. Huius optimi critici coniecturas aliquot, quae omnes veritatis notas continere visae sunt, in Ciceronis verba recipere non dubitavi; reliquas eius suspiciones et observationes de rebus criticis et grammaticis commentario inserui; corruptis locis a Madvigio aliisque indicatis notas apposui. In singulorum locorum sententia et grammatica ratione exponenda brevis fui; pluribus verbis ea, quae ad Graecorum Romanorumque historiam, antiquitates, litteras pertinent, explicavi, nec quidquam fere attuli, cuius non certum auctorem nominarim; qua in re non magis discentium quam docentium commodis consultum esse volui. Discentes autem quum dico, non tirones, sed studiosam iuventutem intelligo. Equidem nullum me laborem fugisse mihi conscius sum; quid effecerim, iudicium sit penes arbitros harum rerum peritos.

Reddendum denique est amicissimo *C. G. Elberlingio*, Mag. Art., idem, quod paullo ante Madvigio reddidi, promptissimae benevolentiae testimonium; qui, quum plagulas corrigendi negotium suscepisset, non solum id ita executus est, ut paucissimi errores typographici relinquerentur, sed et in interpunctione rectius constituenda studiose elaboravit et in multis aliis rebus opera et consilio me adiuvit.

Scr. Helsingorae m. Sept. a. MDCCCXXX.

M. TULLII CICERONIS

DE ORATORE

LIBER PRIMUS.

Cap. I.

1. Cogitanti mihi saepenumero et memoria vetera repetenti perbeati fuisse, Quinte frater, illi videri solent, qui in optima re publica, quum et honoribus et rerum gestarum gloria florerent, eum vitae cursum tenere potuerunt, ut vel in negotio sine periculo vel in otio cum dignitate esse possent. Ac fuit, quum mihi quoque initium requiescendi atque animum ad utriusque nostrum praeclara studia referendi fore iustum et prope ab omnibus concessum arbitrarer, si infinitus forensium rerum labor et ambitionis occupatio decursu honorum, etiam aetatis

---

Cap. I. §. 1. *Ac fuit, quum mihi*] Sic Pal. prim. et Z, probb. Grutero et Marklando ad Eurip. Suppl. 1145. — *ac fuit, quod mihi* U, Erf., eademque videtur esse lectio Erl. 1, qui exhibet *qd.* (Ern. tamen et Harl. hoc dicunt esse *quidem*). — *ac fuit mihi* Pith., Erl. 2. — *ac nunc quidem mihi quoque δ, ε*, Hahn., ed. s. l. et a., Med. utraq., Ven. (1485), Ald., Iunt. — *ac nunc quidem quoque mihi* Pal. nonus et Ven. 1478. — *ac fuit tempus, quum mihi β.* — *ac fuit tempus illud, quum mihi* Havn. uterq., Pal. sec., et tert. a secunda manu, Ascens. 1, Lott., Crat., Steph., Grut., quod defendit Pearcius. — *ac fuit quidem tempus illud, quum mihi* Man., Lamb. — *ac fuit quidem, quum mihi* recentt. post Ern.; sed *quidem* melioribus codicibus abest. Recte vero iidem fecerunt, quod glossam *tempus illud* delerunt. Similiter Græci dicunt ἔστιν ὅτε, ἦν ὅτε. De hac ellipsi cfr. Markland. l. c., Ruhnken. ad Terent. Eunuch. III. 5. 3, Krebs Lat. Gr. p. 401 sq. ed. alt. — Mox *ætatis flexu.* Lambinus comparavit Cic. pro Caelio 31. 75. *in hoc flexu quasi ætatis.* Ernesti edidit *fluxu*, quod exhibent *α* a prima manu et Guelf. C.

flexu constitisset. 2. Quam spem cogitationum et consiliorum meorum quum graves communium temporum, tum varii nostri casus fefellerunt. Nam qui locus quietis et tranquillitatis plenissimus fore videbatur, in eo maximae moles molestiarum et turbulentissimae tempestates exstiterunt. Neque vero nobis cupientibus atque exoptantibus fructus otii datus est ad eas artes, quibus a pueris dediti fuimus, celebrandas inter nosque recolendas. 3. Nam prima aetate incidimus in ipsam perturbationem disciplinae veteris; et consulatu devenimus in medium rerum omnium certamen atque discrimen; et hoc tempus omne post consulatum obiecimus iis fluctibus, qui, per nos a communi peste depulsi, in nosmet ipsos redundarunt. Sed tamen in his vel asperitatibus rerum vel angustiis temporis obsequar studiis nostris, et quantum mihi vel fraus inimicorum vel causae amicorum vel res publica tribuet otii, ad scribendum potissimum conferam. 4. Tibi vero, frater, neque

---

§. 2. *moles molestiarum*] *moles* omittunt Havn. A, codd. Gruteri (præter Pal. tert., sept. et non.), U, Guelf. A, B, C, Erl. uterq., Erf., Ald., Iunt., Crat., Man., Steph.

§. 3. *Nam prima ætate etc.*] Prima Ciceronis ætas incidit in Mariana et Sullana certamina; consulatum gessit a. U. 691 (a. Chr. 63), quo in magistratu quum, auctore senatu, coniurationis Catilinariæ principes indicta causa interfici iussisset, nonnullam iam statim sibi contraxerat invidiam, quæ proximis annis per inimicos aucta, tandem virum de patria optime meritum oppressit. Clodius enim in tribunatu a. U. 696 (58) legem tulit: *qui civem Rom. indemnatum interemisset, ei aqua et igni interdiceretur:* quibus verbis etsi non nominabatur Cicero, tamen solus petebatur (Velleius Paterc. II. 45.). Itaque quum Piso et Gabinius Coss. tribunum incitarent, Pompeius et Cæsar, quorum consiliis resistebat Cicero, Clodium, si non adiuvarent, tamen non impedirent: ultro in exsilium abiit; sed post sedecim menses, maxime suffragantibus T. Annio Milone et P. Sestio tribb. pl., summo cum honore in patriam restitutus est. Hos autem de oratore libros non multo post reditum (a. U. 699) *conscripsit*,

hortanti deero neque roganti. Nam neque auctoritate quisquam apud me plus valere te potest, neque voluntate.

II. Ac mihi repetenda est veteris cuiusdam memoriae non sane satis explicata recordatio, sed, ut arbitror, apta ad id, quod requiris, ut cognoscas, quae viri omnium eloquentissimi clarissimique senserint de omni ratione dicendi. 5. Vis enim, ut mihi saepe dixisti, quoniam † quae pueris aut adolescentulis nobis ex commentariolis nostris inchoata ac rudia exciderunt, vix hac aetate digna et hoc usu, quem ex causis, quas diximus, tot tantisque consecuti sumus, aliquid iisdem de rebus politius a nobis perfectiusque proferri: solesque nonnunquam hac de re a me in disputationibus nostris dissentire, quod ego prudentissimorum hominum artibus eloquentiam contineri statuam, tu autem illam ab elegantia doctrinae segregandam putes et in quodam ingenii atque exercitationis genere ponendam.

6. Ac mihi quidem saepenumero in summos homines ac summis ingeniis praeditos intuenti quaerendum esse visum est, quid esset, cur plures in omnibus rebus quam in dicendo admirabiles exstitis-

---

Cap. II. §. 5. *quæ pueris — exciderunt*] Significat libros rhetoricos, qui sunt de inventione rhetorica. Cfr. Quintilian. III. 1. 20, 5. 15, 6. 59 et 64. Neque improbabilis mihi quidem videtur Schuetzii sententia, quam in prolegg. in libros rhet. p. XLIV sq. proposuit, eos h. l. *inchoatos* dici, propterea quod non nisi duos libros, qui hodie exstant, in vulgus emiserit; quæ in reliquis se dicturum extremo libro secundo pollicitus esset, aut numquam eum conscripsisse, aut scripta non edidisse. — Sed in vulgata lectione, quam exhibuimus, magna est difficultas, quum in periodo rite procedente atque ab anacoluthi natura, quod statuendum dicit Orellius, quam maxime aliena prodoseos verbum desit. Itaque aut cum Lambino aliisque leg. videtur: *quoniam quædam*, aut cum Sch. et Harlessio infra: *vix hac sint ætate digna.* — *quæ* om. cod. U.

sent. Nam quocunque te animo et cogitatione converteris, permultos excellentes in quoque genere videbis non mediocrium artium, sed prope maximarum. 7. Quis est enim, qui, si clarorum hominum scientiam rerum gestarum vel utilitate vel magnitudine metiri velit, non anteponat oratori imperatorem? Quis autem dubitet, quin belli duces praestantissimos ex hac una civitate paene innumerabiles, in dicendo autem excellentes vix paucos proferre possimus? 8. Iam vero, consilio ac sapientia qui regere ac gubernare rem publicam possent, multi nostra, plures patrum memoria atque etiam maiorum exstiterunt, quum boni perdiu nulli, vix autem singulis aetatibus singuli tolerabiles oratores invenirentur. Ac ne qui forte cum aliis studiis, quae reconditis in artibus atque in quadam varietate literarum versentur, magis hanc dicendi rationem, quam cum imperatoris laude aut cum boni senatoris prudentia comparandam putet, convertat animum ad ea ipsa artium genera circumspiciatque, qui in iis floruerint, quamque multi: sic facillime, quanta oratorum sit semperque fuerit paucitas, iudicabit.

III. 9. Neque enim te fugit, omnium laudatarum artium procreatricem quandam et quasi parentem

---

§. 7. *Quis est enim*] Sic Erf. et edd. antiquiss., Mueller, Or. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *quis enim est*. De hoc ordine consule Schaeferum præf. ad Plinii epist. p. XI seq., Heindorfium ad I. de N. D. 4. 9, Beierum ad I. Off. 3. 9. p. 21 et ad 19. 64 p. 149 sq., Gernhard. ad Læl. 5. 17. atque Ellendt ad Brutum 49. 181. p. 130. Infra etiam c. 8. §. 31. Sch., Mueller, Or., quos secutus sum, ediderunt *quid est enim*.

§. 8. *Ac ne qui*] Sic Havn. A. (sed supr. lin. *al. quis*), Erl. 1, Guelf. B, C, Erf., Or. Vide Beier. ad II Off. 21. 74. p. 143. Vulgo: *ac ne quis*. — Mox pro *versentur* Guelf. A exhibet *versantur*.

Cap. III. §. 9. *omnium laudatarum artium*] Sic Cant., *Gonv.*, Norf., Z, γ, δ, Erl. uterq., Guelf. A, Erf., edd. anti-

eam, quam φιλοσοφίαν Graeci vocant, ab hominibus doctissimis indicari; in qua difficile est enumerare, quot viri quanta scientia quantaque in suis studiis varietate et copia fuerint, qui non una aliqua in re separatim elaborarint, sed omnia, quaecunque possent, vel scientiae pervestigatione vel disserendi ratione comprehenderint. 10. Quis ignorat, ii, qui mathematici vocantur, quanta in obscuritate rerum, [et] quam recondita in arte et multiplici subtilique versentur? quo tamen in genere ita multi perfecti homines exstiterunt, ut nemo fere studuisse ei scientiae vehementius videatur, quin quod voluerit consecutus sit. Quis musicis, quis huic studio literarum, quod profitentur ii, qui grammatici vocantur, penitus se dedidit, quin omnem illarum artium paene infinitam vim et materiam scientia et cognitione comprehenderit? 11. Vere mihi hoc videor esse dicturus, ex omnibus iis, qui in harum artium studiis liberalissi-

---

quiss., Steph., Lamb., Pearc., Sch., Olsh., Or. — *laudatarum art. omn.* Grut. seqq. — *artium omn. laudatarum* Ern., *ex codd.*, sit Or., sed nullus, quantum scio, codex huic ordinem exhibet. Ernestium secutus est Harl. — *laudandarum artium omnium* Guelf. B, Havn. B. (*laudantarum* Havn. A), Ald., Iunt., Crat., Man., Mueller.

scientiæ pervestigatione] h. e., ut explicat Or., pervestigatione rerum, scientiæ, qua pollebant, ope suscepta. Loci concinnitatem turbat coniectura Schuetzii, quam ipse et Muellerus in textum receperunt: *scientia et pervestigatione.* Cfr. Beier. ad I. Off. 6. 19 p. 44, ad III. Off. 25. 96. p. 364 et Matthiae ad or. pro leg. Manil. 15. 43, qui tamen minus bene horum vocc. sensum exposuisse videntur.

§. 10. *et quam recondita*] *et* om. Vet. Steph., Havn. uterq., Guelf. B et C. Delevit Sch., prob. Madvigio, quum eiusmodi asyndeton apud Ciceronem frequentissimum sit.

scientia et cognitione] Ita Havn. uterq., Guelf. B, C, Dresd., δ, cod. Goerenzii (*scientiæ et c.*) ad III. Fin. 6. 21, edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man., Steph., Lamb., Mueller, Olsh., Or. Cfr. Goerenz ad Fin. l. c. et II. Acad. 47. 142, Beier ad I. Off. 6. 19 p. 44. — *scientia et cogitatione* e, Sch., Harl. — *scientiam, cognitionem* α a pr. manu. — *scientiæ cognitione* Erl. 2. — *scientiæ cogitatione* Erl. 1, Oxx.

mis sint doctrinisque versati, minimam copiam poetarum egregiorum exstitisse. Atque in hoc ipso numero, in quo perraro exoritur aliquis excellens, si diligenter et ex nostrorum et ex Graecorum copia comparare voles, multo tamen pauciores oratores quam poetae boni reperientur. 12. Quod hoc etiam mirabilius debet videri, quia ceterarum artium studia fere reconditis atque abditis e fontibus hauriuntur, dicendi autem omnis ratio in medio posita, communi quodam in usu atque in hominum more et sermone versatur; ut in ceteris id maxime excellat, quod longissime sit ab imperitorum intelligentia sensuque disiunctum, in dicendo autem vitium vel maximum sit a vulgari genere orationis atque a consuetudine communis sensus abhorrere.

IV. 13. Ac ne illud quidem vere dici potest, aut plures ceteris artibus inservire, aut maiore delectatione, aut spe uberiore, aut praemiis ad perdiscendum amplioribus commoveri. Atque ut omittam Graeciam, quae semper eloquentiae princeps esse voluit, atque illas omnium doctrinarum inventrices

---

aliquot, Erf., et sic ex tribus Gallicis et Pall. duobus prioribus edidit Gruter., quem cum aliis secuti sunt Pearc. (qui tamen in ed. tertia: *materiam scientiae, cognitione compr.*) et Ern.

§. 12. *vel maximum sit*] Sic Havn. uterq., Norf., *a*, *β*, quibus accedit haud spernenda auctoritas C. Iul. Victoris in arte rhetor. a Maio edita (Iuris civil. anteiustin. reliqq. Romae 1823) p. 80, et sic vulgo inde ab Aldo usque ad Grut., item Pearc., Ern., Sch., Harl., Mueller. — *vel max. est* Z, *γ*, *δ*, *ε*, Guelf. A, Erf. et fortasse Erl. uterq., edd. antiquiss., Gruter., Olsh., Or., probb. Iac. Fr. Heusingero ad I. Off. 3. 8. p. 26 et Matthiaeo in Seebodii miscell. crit. Vol. I. p. 675 sq. Sed anacoluthon, nulla interposita sententia, non potest defendi. Mecum facit Madvig in Emendd. in Cic. Legg. et Acad. p. 52. Ceterum idem Iul. Victor exhibet: *abditis fontibus* om. *e* (quemadmodum etiam exstat in Erl. utroq., Erf. et edd. antiquiss.), et paullo post *hominum in more — in ceteris artibus*.

Athenas, in quibus summa dicendi vis et inventa est et perfecta: in hac ipsa civitate profecto nulla unquam vehementius quam eloquentiae studia viguerunt. 14. Nam posteaquam, imperio omnium gentium constituto, diuturnitas pacis otium confirmavit, nemo fere laudis cupidus adolescens non sibi ad dicendum studio omni enitendum putavit. Ac primo quidem totius rationis ignari, qui neque exercitationis ullam viam, neque aliquod praeceptum artis esse arbitrarentur, tantum, quantum ingenio et cogitatione poterant, consequebantur. Post autem, auditis oratoribus Graecis cognitisque eorum literis adhibitisque doctoribus, incredibili quodam nostri homines dicendi studio flagraverunt. 15. Excitabat eos magnitudo et varietas multitudoque in omni genere causarum, ut ad eam doctrinam, quam suo quisque studio assecutus esset, adiungeretur usus frequens, qui omnium magistrorum praecepta superaret. Erant autem huic studio maxima, quae nunc quoque sunt, exposita praemia, vel ad gratiam, vel ad opes, vel ad dignitatem. Ingenia vero (ut multis rebus possumus iudicare) nostrorum hominum multum ceteris hominibus omnium gentium praestiterunt. 16. Quibus de causis quis non iure miretur, ex omni memoria aetatum, temporum, civitatum, tam exiguum oratorum numerum inveniri?

Cap. IV. §. 15. *exposita praemia*] Sic codd. et edd. antiquissimae, item recentt. post Ern. — *proposita pr.* Ald., Iunt., Crat., Man., Steph., Lamb., Grut., qui tamen alteram lectionem, in suis codd. repertam, probat.

ceteris hominibus] Ita saepius res cum hominibus, quorum eae res sunt, vel ad quos pertinent, comparat Cicero. Cfr. h. libr. c. 6 extr., c. 44. 197 ibiq. intt., I. Off. 22. 76 ibiq. Heusing. et Beier., Buttm. ad Quintilian. XII. 7. 3. Immerito igitur voc. *hominibus* suspectum Ernestio fuit.

Sed nimirum maius est hoc quiddam, quam homines opinantur, et pluribus ex artibus studiisque collectum. V. Quid enim quis aliud, in maxima discentium multitudine, summa magistrorum copia, praestantissimis hominum ingeniis, infinita causarum varietate, amplissimis eloquentiae propositis praemiis, esse causae putet, nisi rei quandam incredibilem magnitudinem ac difficultatem? 17. Est enim et scientia comprehendenda rerum plurimarum, sine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda est; et ipsa oratio conformanda non solum electione sed etiam constructione verborum; et omnes animorum motus, quos hominum generi rerum natura tribuit, penitus pernoscendi; quod omnis vis ratioque dicendi in eorum, qui audiunt, mentibus aut sedandis aut excitandis expromenda est. Accedat eodem oportet lepos quidam facetiaeque et eruditio libero digna celeritasque et brevitas et respondendi et lacessendi, subtili venustate atque urbanitate coniuncta. 18. Tenenda praeterea [est] omnis antiquitas exemplorumque vis, neque legum ac iuris civilis scientia negligenda est. Nam quid ego de actione ipsa plura dicam? quae motu corporis, quae gestu, quae vultu, quae vocis conformatione ac varietate moderanda est; quae sola per se ipsa quanta sit, histrionum levis ars et scena declarat: in qua quum omnes in oris et vocis et motus moderatione elaborent, quis ignorat,

---

Cap. V. §. 16. *Quid enim quis aliud*] Sic U, Z, α, γ, Tosanus, Pith., Memm., (V. ST.) Pal. pr. et sec., Erl. uterq., Guelf. A, Erf. et recentt. post Sch. — *quis enim quid aliud* Havn. B. — *quis enim aliud* Havn. A, al. et sic vulgo inde ab antiquiss. edd.

§. 18. *Ac iuris civilis*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, Vet. Steph., Erl. uterq., Erf., et sic recentt. post Sch. — *atque i. civ.* Guelf. A. — Vulgo *aut iur. civ.* Paullo supra in vocc. *tenenda praeterea est* edd. antiquiss. *est* omittunt.

quam pauci sint fuerintque, quos animo aequo spectare possimus? Quid dicam de thesauro rerum omnium, memoria? quae nisi custos inventis cogitatisque rebus et verbis adhibeatur, intelligimus omnia, etiamsi praeclarissima fuerint in oratore, peritura. 19. Quamobrem mirari desinamus, quae causa sit eloquentium paucitatis, quum ex iis rebus universis eloquentia constet, quibus in singulis elaborare permagnum est, hortemurque potius liberos nostros ceterosque, quorum gloria nobis et dignitas cara est, ut animo rei magnitudinem complectantur, neque iis aut praeceptis aut magistris aut exercitationibus, quibus utuntur omnes, sed aliis quibusdam se id, quod expetunt, consequi posse confidant.

VI. 20. Ac mea quidem sententia nemo poterit esse omni laude cumulatus orator, nisi erit omnium rerum magnarum atque artium scientiam consecutus. Etenim ex rerum cognitione efflorescat et redundet oportet oratio: quae, nisi subest res ab oratore percepta et cognita, inanem quandam habet elocutionem et paene puerilem. 21. Neque vero ego hoc tantum oneris imponam nostris praesertim oratoribus, in hac tanta occupatione urbis ac vitae, nihil ut iis putem licere nescire: quamquam vis oratoris professioque ipsa bene dicendi hoc suscipere ac polliceri videtur,

---

cogitatisque] Sic pleriq. codd. (etiam Havn. uterq.), Iul. Victor p. 111 (*cogitatis inventisque*), omnesque edd. — Unus cod. *β* *cognitisque*, quod probat Pearc. — *ordinatisque* ex Augustini princip. rhetor. p. 295 Pith. probavit Burmannus in præfat. ad Cic. Rhetor. p. VI. et recepit Sch. Sed vide Muellerum in dissert. de Cic. libris III. de oratore p. 30 sq.

Cap. VI. §. 21. *polliceri videtur*] *videatur* Caut., Gouv., *α*, *β*, *γ*, *δ* (teste Pearcio, qui hanc lectionem in textum recepit), item edd. antiquiss., Lamb., omnesque codd. Quintiliani, qui hunc locum affert lib. II. 21. 5. Sed vide Ellendt. ad Brutum c. 30. 115. p. 86 sq.

ut omni de re, quaecunque sit proposita, ornate ab eo copioseque dicatur. 22. Sed quia non dubito, quin hoc plerisque immensum infinitumque videatur, et quod Graecos homines non solum ingenio et doctrina sed etiam otio studioque abundantes partitionem quandam artium fecisse video, neque in universo genere singulos elaborasse, sed seposuisse a ceteris dictionibus eam partem dicendi, quae in forensibus disceptationibus iudiciorum ac deliberationum versaretur, et id unum genus oratori reliquisse: non complectar in his libris amplius, quam quod huic generi, re quaesita et multum disputata, summorum hominum prope consensu est tributum; 23. repetamque non ab incunabulis nostrae veteris puerilisque doctrinae quendam ordinem praeceptorum, sed ea,

---

§. 22. *ac deliberationum*] Sic Gouv., Guelf. A, Pearc., Olsh. Vulgo *aut delib.* Hæc verba suspecta sunt Ernestio et Matthiæo, qui in Seebodii Misc. crit. I. p. 676: "Si hæc sola," inquit, "genera oratori reliquerunt, quæ tandem sunt ceteræ dictiones, a quibus hæc seposuisse Græcos Cicero scribit? quum enim tria numerentur dicendi genera, iudiciale, deliberativum, demonstrativum, hoc unum tantum restat, quod alienum ab oratore esse iudicarent." Verum *ceteræ dictiones* non sunt *dicendi genera* eo, quo Matth. intelligit, sensu, sed *dictio* est actus dicendi, modus loquendi, s. oratoriæ facultatis genus (*popularis dictio* Brut. 44. 165, quo sensu *genus dicendi* ibid. usurpatur), item: id quod dicimus, locutio, verba, oratio. Cfr. de orat. I. 12. 52, 15. 64 (h. e. dicendo), et 33. 152. Igitur *ceteræ dictiones* sunt cetera, quæ dicendo perfici et explicari possint. Supra enim dixerat, vim oratoris polliceri videri, ut *omni de re, quæcumque sit proposita*, ornate ab eo copioseque dicatur.

§. 23. *repetamque non ab incunabulis* etc.] Hic locus non ita intelligendus est, quasi Cicero ipsa præcepta Romanorum, non Græcorum, esse dicat: hoc significat, non nunc vulgarem se tradere artem rhetoricam, qualem libris, qui sunt de inventione, comprehenderit, sed Aristotelis aliorumque antiquorum Græcorum præcepta, quo maior eorum sit auctoritas, Crassi et Antonii personis tribuere. De ratione, quam in his libris componendis secutus sit, hæc scribit Cic. ad Lentulum ep. ad Fam. I. 9. 8. *Scripsi Aristoteleo more, quemadmodum quidem volui, tres libros in disputatione ac*

quae quondam accepi in nostrorum hominum eloquentissimorum et omni dignitate principum disputatione esse versata; non quod illa contemnam, quae Graeci dicendi artifices et doctores reliquerunt; sed quum illa pateant in promptuque sint omnibus, neque ea interpretatione mea aut ornatius explicari aut planius exprimi possint, dabis hanc veniam, mi frater, ut opinor, ut eorum, quibus summa dicendi laus a nostris hominibus concessa est, auctoritatem Graecis anteponam.

VII. 24. Quum igitur vehementius inveheretur in causam principum consul Philippus, Drusique tribunatus, pro senatus auctoritate susceptus, infringi

---

dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo tuo fore non inutiles. Abhorrent enim a communibus præceptis, et omnem antiquorum et Aristoteleam et Isocrateam rationem oratoriam complectuntur.

Cap. VII. §. 24. *Quum igitur vehementius* etc.] Anno U. 663 (91 a. Chr.) L. Marcio Philippo, Sex. Iul. Cæsare Coss., quo anno hic sermo inducitur, M. Livius Drusus, trib. pl., tum alias leges tulit, tum iudiciariam, *ut æqua parte iudicia penes senatum et equestrem ordinem essent* (Liv. epit. 71, Appian. Bell. civ. I. 35). Velleius Paterc. II. 13 eum iudicia ab equitibus ad senatum transferre conatum esse dicit. Sempronia autem lege iudiciaria, a C. Graccho a. U. 632 (122) perlata, qua iudicia a senatu ad equites translata erant, senatus auctoritas magnopere deminuta fuerat. Neque tamen senatui placebat hæc cum equitibus communicatio, neque ceteræ Drusi leges, quæ de sociorum et plebis commodis ferebantur, et plebs civitate sociis promissa offendebatur; quo factum est, ut Drusi tribunatus infringi iam debilitarique videretur. Hoc fretus Philippus consul, non solum tribunum inimicum, sed etiam senatum in concione accusabat, atque in senatu resistebat Crasso, qui summa vi tribunum et senatus auctoritatem defendebat. Vide lib. III. init., ubi etiam virorum, qui his libris colloquentes inducuntur, varii casus narrantur. Cfr. Beier. ad II. Off. 21. 75 p. 147 et ad Scaurian. p. 133. — Hic autem sermo habitus esse fingitur *ludis Romanis* scenicis, qui, annui a Tarquinio Prisco instituti, iidem appellati sunt *magni* s. *maximi* (Cic. de repl. II. 20, Liv. I. 35). Celebrabantur ab ædilibus curulibus (h. libr. c. 13. 57, Verr. V. 14. 36, Liv. sæpe) Iovi, Iunoni et Minervæ (Verr. l. c.) a pridie Non. Septbr. per octo dies

iam debilitarique videretur, dici mihi memini, ludorum Romanorum diebus L. Crassum, quasi colligendi sui causa, se in Tusculanum contulisse; venisse eodem socer eius qui fuerat, Q. Mucius, dicebatur, et M. Antonius, homo et consiliorum in re publica socius et summa cum Crasso familiaritate coniunctus. 25. Exierant autem cum ipso Crasso duo adolescentes, et Drusi maxime familiares, et in quibus magnam tum spem maiores natu dignitatis suae collocarant, C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat, et P. Sul-

---

(Orat. III. 1. 2, Calendarium in ædib. Maffeior. in Grævii Thes. Tom. VIII, ubi post hos commemorantur quinque dies ludorum Rom. in circo). Cum his non confundendi sunt ludi maximi votivi, quos primum Latino bello factos tradit Cic. de Divin. I. 26. 55; cfr. Liv. II. 36, Dionys. Halic. VII. 68.

socer eius qui fuerat, Q. Mucius, dicebatur] Sic Z, Havn. A, al., et sic vulgo editur inde ab Aldo, nisi quod alii aliter distinguunt. — *fuerit* Mead., Gouv., Harl. uterq., γ, Erl. 1, Erf., unde Pearc., qui in ed. pr. vulg. lectionem retinuerat, in ed. sec. sic edidit: *socer eius* (*qui fuerit Q. Mucius*) *dicebatur*, in ed. autem tertia et sequentibus: *socer eius qui fuerit, Q. Mucius dicebatur.* — *socerum eius, qui fuisse Q. Mucius dicebatur* Havn. B, β, ε, edd. antiquiss., Ern. (*socerum* etiam Vet. Steph., α, δ). — *Q. Mucius Scævola Augur*, Lælii Sapientis, consulis a. U. 614 (140), gener, consul a. U. 637 (117) cum Q. Cæcil. Metello Diademato, disertus et iuris peritissimus usque ad summam senectutem civibus de iure respondebat. Cfr. h. libr. c. 45. 200, Philipp. VIII. 10. 31. Ad eum Cicero, sumpta virili toga, a patre deductus est, ut ius civile disceret (Læl. init.). — *Fuerat* autem neque h. l., neque alibi idem est q. *erat*, quod contendit Heusinger. ad III. Off. 21. 82., probaverunt Sch., Mueller ad nostr. l., Beier. ad loc. Off. p. 340, sed, ut recte monet Orellius ad h. l., significat, L. Crassi coniugem, Scævolæ filiam, id temporis iam decessisse. Cfr. Cic. pro Sestio 3. 6: *Ademit Albino soceri nomen mors filiæ.* Vide etiam, quæ scripsit Orell. in Iahnii Annalib. Vol. III. 4 p. 89 not. et adversus Heusing. Madvigius in disput. de Asconio p. 139 not. Exemplis ab eo allatis adde Cornel. Nep. Eumen. 6: *Olympias, mater quæ fuerat Alexandri* (tum mortui).

§. 25. *et Drusi*] Ita omnes codd. et vulgo edd. — *et* delevit Ern. eumque secuti sunt Sch, Harl., Mueller, Olsh.

C. Cotta, qui tum tribunatum plebis petebat] Sic recte vulgo inde ab Aldo, et consentiunt nonnulli codd., v. c.

picius, qui deinceps eum magistratum petiturus putabatur. 26. Hi primo die de temporibus illis deque universa re publica, quam ob causam venerant, multum inter se usque ad extremum tempus diei collocuti sunt. Quo quidem in sermone multa divinitus a tribus illis consularibus Cotta deplorata et commemorata narrabat, ut nihil incidisset postea civitati mali, quod non impendere illi tanto ante vidissent; 27. eo autem omni sermone confecto tantam in Crasso humanitatem fuisse, ut, quum lauti accubuissent, tolleretur omnis illa superioris tristitia sermonis, eaque esset in homine iucunditas et tantus in iocando lepos, ut dies inter eos curiae fuisse videretur, convivium Tusculani. 28. Postero autem die, quum illi maiores natu satis quiessent, in ambulationem ventum esse dicebat: tum Scaevolam, duobus spatiis tribusve

---

Havn. A, Oxx. aliquot. — *tribunus* (vel *tr.*) *plebis petebatur* Vet. Steph., Havn. B, Z, β, δ, ε, Mead., Cant., Gouv., Harl. pr., Erl. uterq., Erf., edd. antiquiss. (quae omittunt *plebis*, atque ex his Hahn. exhibet *potebatur*, Lott. *petebat*). Sed hoc corruptum est, ortum ex compendio voc. *tribunatum* et sequente *putabatur*, neque erat, cur Pearc. in ed. sec. legend. censeret: *tribunus plebis erat*, Ernestius: *qui tribunatum gerebat*. Sine dubio male intellexerunt locum lib. III. 3. 11, ubi Cotta dicitur paucis diebus post mortem Crassi *depulsus per invidiam tribunatu*, quod recte de *petendo* tribunatu explicavit Pearc. in ed. tertia, sqq. et attulit Liv. III. 35, ubi *deiectus* simili modo usurpatur; cfr. Liv. XXXIX. 32 ibiq. intt. — *C. Aurelius Cotta* post Crassi mortem lege Varia reus factus urbe cessit. Appian. Bell. civ. I. 37; cfr. de Or. III. 3. 11. Rediit anno U. 672 (82), Brut. 90. 311, et consulatum gessit a. U. 679 (75) cum L. Octavio. Vide Ellendt prolegg. ad Cic. Brut. p. XCV sqq. — Eodem, quo Cotta, anno, a. U. 630 (124), natus erat *P. Sulpicius Rufus* (Brut. 88. 301, coll. cum c. 64. 228), qui quantas in tribunatu pl. a. U. 666 (88) turbas moverit, satis notum omnibus puto. Cfr. Velleius Pat. II. 18 sq., Ellendt l. c. p. CIII sqq.

§. 28. *quiessent, in ambulationem ventum esse dicebat: tum*] Hanc codicum α, β, Guelf. C. et edd. Ald., Iunt., Crat., Victor. lectionem, auctore Madvigio, restitui. Etiam Havn. uterq. et Hahn. om. *et*. Vulgo: *quiessent, et in ambulationem ventum esset, dicebat tum*, in quo certe ferri non

factis dixisse: Cur non imitamur, Crasse, Socratem illum, qui est in Phaedro Platonis? Nam me haec tua platanus admonuit, quae non minus ad opacandum hunc locum patulis est diffusa ramis, quam illa, cuius umbram secutus est Socrates, quae mihi videtur non tam ipsa aquula, quae describitur, quam Platonis oratione crevisse: et quod ille durissimis pedibus fecit, ut se abiiceret in herba atque ita illa, quae philosophi divinitus ferunt esse dicta, loqueretur, id meis pedibus certe concedi est aequius. 29. Tum Crassum: Immo vero commodius etiam; pulvinosque poposcisse, et omnes in iis sedibus, quae erant sub platano, consedisse dicebat.

VIII. Ibi ut ex pristino sermone relaxarentur animi omnium, solebat Cotta narrare, Crassum sermonem quendam de studio dicendi intulisse. 30. Qui quum ita esset exorsus: non sibi cohortandum Sulpicium et Cottam, sed magis utrumque collaudandum videri, quod tantam iam essent facultatem adepti, ut non aequalibus suis solum anteponerentur, sed cum maioribus natu compararentur: neque vero mihi quidquam, inquit, praestabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, voluntates impellere, quo velit, unde autem velit, deducere. Haec una res in omni libero populo, maximeque in pacatis tranquillisque civitatibus, praecipue semper floruit semperque dominata est. 31. Quid est enim aut tam admirabile, quam ex infinita multi-

---

potest *dicebat*, quod adversus codd. auctoritatem delerunt Lamb., Sch., Mueller, uncis inclusit Or. — Paullo post: *in Phaedro Platonis*, vide Plat. Phædr. p. 229. a. et 230. b. Steph.
in herba] Sic Havn. B, Erl. 1, Guelf. A, B, Erf., edd. antiquiss. (præter Lott.), Ald., Iunt., Crat., Man., et recentt. post Sch. — *in herbam* Havn. A, Oxx. omnes, al., Lamb., Grut., Ern.

tudine hominum exsistere unum, qui id, quod omnibus natura sit datum, vel solus vel cum paucis facere possit? aut tam iucundum cognitu atque auditu, quam sapientibus sententiis gravibusque verbis ornata oratio et polita? aut tam potens tamque magnificum, quam populi motus, iudicum religiones, senatus gravitatem, unius oratione converti? 32. Quid tam porro regium, tam liberale, tam munificum, quam opem ferre supplicibus, excitare afflictos, dare salutem, liberare periculis, retinere homines in civitate? Quid autem tam necessarium, quam tenere semper arma, quibus vel tectus ipse esse possis, vel provocare improbos, vel te ulcisci lacessitus? Age vero, ne semper forum, subsellia, rostra curiamque meditere, quid esse potest in otio aut iucundius aut magis proprium humanitatis, quam sermo facetus ac nulla in re rudis? Hoc enim uno praestamus vel maxime feris, quod colloquimur inter nos et quod exprimere dicendo sensa possumus. 33. Quamobrem quis hoc non iure miretur summeque in eo elaborandum esse arbitretur, ut, quo uno homines maxime bestiis praestent, in hoc hominibus ipsis antecellat? Ut vero iam ad illa summa veniamus, quae vis alia

---

Cap. VIII. §. 31. *et polita*] Ita codd. plerique, etiam Havn. uterq. (in Havn. B *per* suprascriptum est alia manu), Hahn., si ex collatoris silentio quidquam concludi fas est, Lamb., Grut., Ern., Olsh. — *et perpolita* β, δ, ε, reliquae edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man., Steph., Sch., Harl., Mueller, Or.

§. 32. *provocare improbos*]. Sic Havn. uterq., Cant., Mead., Harl. 1, α, β, δ, ε, al., edd. antiquiss. et vulgo inde ab Aldo usque ad Grut., Pearc., Ern., Sch., Olsh., Or. — *prov. integros* margo Havn. A, Vet. Steph., Z, γ, Erl. uterq., Erf., Pall. aliquot et duo Gallicani, Gruter. sqq. — *prov. integer improbos* Muellerus, quam equidem coniecturam non ausim cum Orellio egregiam dicere, quamvis *integros* ex voc. *integer* ortum putem; nam hoc ipsum merum glossema voc. praecedentis *tectus* esse videtur.

potuit aut dispersos homines unum in locum congregare, aut a fera agrestique vita ad hunc humanum cultum civilemque deducere, aut iam constitutis civitatibus leges, iudicia, iura describere? 34. Ac ne plura, quae sunt paene innumerabilia, consecter, comprehendam brevi; sic enim statuo, perfecti oratoris moderatione et sapientia non solum ipsius dignitatem, sed et privatorum plurimorum et universae rei publicae salutem maxime contineri. Quamobrem pergite, ut facitis, adolescentes, atque in id studium, in quo estis, incumbite, ut et vobis honori et amicis utilitati et rei publicae emolumento esse possitis.

IX. 35. Tum Scaevola comiter, ut solebat, Cetera, inquit, assentior Crasso, ne aut de C. Laelii, soceri mei, aut de huius, generi, aut arte aut gloria detraham; sed illa duo, Crasse, vereor, ut tibi possim concedere: unum, quod ab oratoribus civitates et initio constitutas et saepe conservatas esse dixisti; alterum, quod, remoto foro, concione, iudiciis, senatu, statuisti, oratorem in omni genere sermonis et humanitatis esse perfectum. 36. Quis enim tibi hoc concesserit, aut initio genus hominum in montibus ac silvis dissipatum, non prudentium consiliis compulsum potius, quam disertorum oratione delenitum, se oppidis moenibusque saepsisse? aut vero reliquas utilitates, aut in constituendis aut in conservandis civitatibus, non a sapientibus et fortibus viris, sed

Cap. IX. §. 36. *aut in conservandis*] Ita Z, U (*serv dis*), β, γ, δ, ε, Erl. uterq., Erf., edd. antiquiss., La Harl., Mueller, Olsh., Or. — *aut conservandis* vulgo, et etiam Havn. uterq. Sed recte observavit Edv. Wunder LL. ex cod. Erfurtensi enot. præfat. p. XVII sqq., semper ceronem in enuntiationibus disiunctivis bis ponere præpo nem solere. — De *Regibus* et *Bruto* vide Livii lib. I.

disertis et ornate dicentibus esse constitutas? 37. An vero tibi Romulus ille aut pastores et convenas congregasse, aut Sabinorum connubia coniunxisse, aut finitimorum vim repressisse eloquentia videtur, non consilio et sapientia singulari? Quid? in Numa Pompilio; quid? in Servio Tullio; quid? in ceteris regibus, quorum multa sunt eximia ad constituendam rem publicam, num quod eloquentiae vestigium apparet? Quid? exactis regibus (tametsi ipsam exactionem mente, non lingua perfectam L. Bruti esse cernimus), sed deinceps omnia, nonne plena consiliorum, inania verborum videmus? 38. Ego vero si velim et nostrae civitatis exemplis uti et aliarum, plura proferre possim detrimenta publicis rebus, quam adiumenta, per homines eloquentissimos importata; sed ut reliqua praetermittam, omnium mihi videor, exceptis, Crasse, vobis duobus, eloquentissimos audisse Ti. et C. Sempronios, quorum pater, homo prudens et gravis, haudquaquam eloquens, et saepe alias et maxime censor saluti rei publicae fuit. Atque is non

§. 38. *quorum pater — et sæpe alias et maxime censor* etc.] *Ti. Sempronius Gracchus*, P. F., prætor a. U. 574 (180), deinceps proprætor præclaras in Hispania adversus Celtiberos res gessit, non minore in hoc bello felicitate, quam moderatione usus (Liv. XL, 35 sq., 44, 47 sqq., XLI init. cum suppl. Freinsh.), atque anno 576 (178) de Celtiberis triumphasse videtur (Liv. XLI. 6. coll. cum c. 28). In consulatu, quem anno 577 (177) cum C. Claudio Pulchro gessit, ad Sardiniam pacandam profectus, per biennium prorogato imperio, Sardos vicit, ac, decreta ante supplicatione, iterum triumphavit (Liv. XLI. 8, 12, 17, 28). Censor anno 585 (169) cum eodem C. Claudio Pulchro, libertinos, qui iam antea in quattuor tribus urbanas, Esquilinam, Palatinam, Suburanam, Collinam descripti erant (Liv. epit. 20), sed paullatim in tribus rusticas irrepserant, rursus in tribus urbanas transtulit (Cic. h. cap., Aur. Victor de viris illustr. c. 57), vel in Esquilinam omnes coniecit, quod tradit Liv. in mutilo loco XLV. 15, ex quo tamen illud coniici posse videtur, aliud initio fuisse Gracchi consilium, quo libertinos omnino censu excludere tentasset. Addit Liv. l. c.: *Magno*

accurata quadam orationis copia, sed nutu atque verbo libertinos in urbanas tribus transtulit; quod nisi fecisset, rem publicam, quam nunc vix tenemus, iam diu nullam haberemus. At vero eius filii diserti et omnibus vel naturae vel doctrinae praesidiis ad dicendum parati, quum civitatem vel paterno consilio vel avitis armis florentissimam accepissent, ista praeclara gubernatrice, ut ais, civitatum, eloquentia, rem publicam dissipaverunt.

X. 39. Quid? leges veteres mosque maiorum; quid? auspicia, quibus et ego et tu, Crasse, cum magna rei publicae salute praesumus; quid? religiones et caerimoniae; quid? haec iura civilia, quae iam pridem in nostra familia sine ulla eloquentiae laude versantur; num aut inventa sunt, aut cognita, aut omnino ab oratorum genere tractata? 40. Equidem et Ser. Galbam memoria teneo, divinum hominem in dicendo, et M. Aemilium Porcinam, et C.

---

ea res honori censoribus apud senatum fuit. Gratiae actae et Sempronio, qui in bene coepto perseverasset, et Claudio, qui non impedisset. Post censuram iterum consul factus est a. U. 591 (163). Cfr. Cic. Invent. I. 30. 48, Divin. I. 18. 36. In matrimonio habebat Corneliam, Africani maioris filiam (*avitis armis*), ex qua nati sunt Ti. et C. Sempronii Gracchi, qui tribb. pl. agrariis legibus rempublicam turbarunt. Vide Vell. Paterc. II. 2 sqq; cfr. Beier ad II. Off. 12. 43 p. 84 sq. et 23, 80 p. 155 sq. Ellendt prolegg. p. XXXVII sqq.

sed nutu] Sic Havn. uterq., Dresdens., *a* et fort. Hahn. et sic vulgo post Ald. et Iunt. — *sed nuda* plerique codd. et edd. antiquiss., unde Beckius coni. *nude*, quod recepit Muellerus; sed vide Orell. — Quod h. l. Cicero per Scaevolae personam dicit, Ti. Gracchum patrem non fuisse eloquentem, aliter ipse iudicat Brut. 20. 79: *quem civem cum gravem tum eloquentem constat fuisse.* Sed h. l. opponitur filiis, qui eloquentia omnia perfecerunt.

Cap. X. §. 39. *mosque maiorum*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, Ald., Iunt., Sch., Or. Vulgo: *moresque maiorum.*

§. 40. *Ser. Galbam* etc.] *Servius Sulpicius Galba* praetor a. U. 603 (151), consul a. U. 610 (144) cum L. Aurelio Cotta. Plura v. infr. ad c. 53. De eius eloquentia Brut.

ipsum Carbonem, quem tu adolescentulus perculisti, ignarum legum, haesitantem in maiorum institutis, rudem in iure civili; et haec aetas nostra, praeter te, Crasse, qui tuo magis studio, quam proprio munere aliquo disertorum, ius a nobis civile didicisti, quod interdum pudeat, iuris ignara est.

41. Quod vero in extrema oratione quasi tuo iure sumpsisti, oratorem in omnis sermonis disputatione copiosissime posse versari, id, nisi hic in tuo regno essemus, non tulissem, multisque praeissem, qui aut interdicto tecum contenderent, aut te ex iure

---

22 sq. Ellendt prolegg. p. XXXI sqq. — *M. Æmilius Lepidus Porcina* cons. a. U. 617 (137) cum C. Hostilio Mancino. Brut. c. 25. 95 sq. Ellendt l. c. p. XXXIII sq. — *C. Papirius Carbo* adolescens studiose Porcinam audire solebat (Brut. l. c.); tribunus pl. a. U. 623 (131) seditiosas leges tulit (Læl. 25. 96, de legg. III. 16. 35.) atque Ti. Gracchi mortem sæpe in concionibus deploravit (infr. ad II. 40. 170); in consulatu vero, quem anno U. 634 (120) cum P. Manilio gessit, L. Opimium, C. Gracchi interfectorem, defendit (de Orat. II. 25. 106 et 40. 170. cfr. Brut. 34. 128); sed anno sequente ob seditiosum tribunatum a Crasso adolescente (21 annos tum nato, Orat. III. 20. 74; natus enim Crassus a. U. 614 (140), Brut. 43. 161, et triennio v. quadriennio maior erat, quam Antonius, ibid. et Orat. II. 89. 364.) accusatus, morte voluntaria se a severitate iudicum vindicavit (Brut. 27. 103); cantharidas sumpsisse dicitur epp. ad Fam. IX. 21. De eius eloquentia Brut. 27; cfr. Ellendt prolegg. XXXV sqq.

§. 41. *multisque præissem*] Sic duo Lambini codd., Pall. aliquot, Havn. uterq., *a*, Lamb., Mueller. — Vulgo *multisque præessem*. Scævola iurisconsultus vocabulis a iure civili petitis utitur, quibus significet, plura Crassum ad oratorem deferre, quam quæ oratoris sint. *Præire alicui* de rebus vel sacris vel profanis dicuntur ii, qui formulas vel præcepta dant minus perito; cfr. Quintil. II. 5. 3, Gellius XIV. 2. Alia exempla suppeditant lexica.

interdicto] Gaius Instit. comment. lib. IV. §. 139 sq. *Certis ex causis Prætor aut Proconsul principaliter auctoritatem suam finiendis controversiis præponit, quod tum maxime facit, quum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contenditur; et in summa aut iubet aliquid fieri aut fieri prohibet; formulæ autem verborum et conceptiones, quibus in ea re utitur, interdicta decretave vocantur. Vocantur autem*

manum consertum vocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. 42. Agerent enim tecum lege primum Pythagorei omnes atque Democritici, ceterique suo iure physici vindicarent, ornati homi-

---

decreta, quum fieri aliquid iubet, velut quum præcipit, ut aliquid exhibeatur aut restituatur: interdicta vero, quum prohibet fieri, velut quum præcipit, ne sine vitio possidenti vis fiat etc. Interdictorum formulæ sunt ap. eund. IV. 160; cfr. Cic. de repl. I. 13.

manum consertum] Sic Havn. uterq., Cant., α, γ, Pearc., et recentt. post Sch. — Vulgo codd. et edd. *manu consertum*. Cfr. pro Murena c. 12. 26 et 14. 30, ubi Matth. et Or. ediderunt *manu*. De formula: *ex iure manum consertum vocare* locus classicus est Gellii N. A. XX. 10. cfr. Beieri excurs. III. ad Tullian. et iutt. ad orat. pro Muren. c. 12. 26.

§. 42. *ceterique suo iure physici vindicarent*] *suo iure* ex duobus codd. commemorat et probat Lamb., eandemque lectionem ex MSS. affert Carol. Langius ad Læl. 21. 79, probat Heusing. ad Cic. I. Off. 1. 4., et sic ediderunt Sch., Harl., Olsh., Or. Etiam in Pal. quinto ad marg. est: *iure suo*, quemadmodum dederunt Pearc. in ed. sec. et Lallem.; item in cod. Norf. exstat: *in suo iure.* — *in suo genere* Pall. nonnulli, Erl. 2, U, γ, et sic vulgo inde ab edd. antiquiss., ex quibus tamen Hahn. omittit *genere*, idemque voc. omittunt Pall. sex, Pith., Z, α, β, δ, ε, Havn. uterq. (in quibus atque in δ *genere* recentiore manu adscriptum est), Guelf. A, B, C, Erl. 1, Erf. et sic Pearc. in ed. tertia sqq. — *suo generi* male ex coni. Muellerus. — Tum Havn. A, aliquot Oxx. et Gruteri: *physici vindicarentque*, et sic inde ab antiquiss. edd. vulgo ante Ern.; sed *que* abest a multis iisdemque melioribus codd. — *Physici* dicuntur philosophi ante Socratem, quod maxime in corporum coelestium et terrestrium principiis et naturis perscrutandis versabantur: imprimis Ionici qui dicuntur philosophi, quorum princeps erat Thales, in naturæ perscrutatione omnem operam ponebant. Henr. Ritter Gesch. d. Ionischen Philosophie, Berlin 1821, eiusd. Gesch. d. Phil. alter Zeit, Hamburg 1829, Vol. I. p. 197 sqq. Ex scholis philosophicis ante Socratem florentibus h. l. commemorantur *Pythagorei*, quorum princeps Pythagoras Samius Olymp. LXII. 4. (529 a. Chr.) in magna Græcia Italicam scholam condidisse fertur. Cic. repl. II. 15, cfr. H. Ritter Gesch. d. Pythagorischen Philos. Hamb. 1826, eiusd. Gesch. d. Ph. alt. Zeit I. p. 339 sqq., et *Democritici*, profecti a Democrito Abderita (nato Ol. LXXVII. 3, a. Chr. 470, vel, teste Apollodoro apud Diog. Laert. IX. 41, Ol. LXXX, a Chr. 460, mort. Ol. CIV. 4, a. Chr. 361), qui omnia ex atomis orta esse docebant. *Physicus* Democritus dicitur etiam c. 11. 49.

nes in dicendo et graves, quibuscum tibi iusto sacramento contendere non liceret. Urgerent praeterea philosophorum greges, iam ab illo fonte et capite Socrate, nihil te de bonis rebus in vita, nihil de malis, nihil de animi permotionibus, nihil de hominum moribus, nihil de ratione vitae didicisse, nihil omnino quaesisse, nihil scire convincerent: et quum universi in te impetum fecissent, tum singulae familiae litem tibi intenderent. 43. Instaret Academia, quae, quidquid dixisses, id te ipsum negare cogeret. Stoici vero nostri disputationum suarum atque interrogationum laqueis te irretitum tenerent. Peripatetici autem etiam haec ipsa, quae propria oratorum putas esse adiumenta atque ornamenta dicendi, ab se peti vincerent oportere: ac non solum meliora, sed etiam multo plura Aristotelem Theophrastumque de his rebus, quam omnes dicendi magistros scripsisse ostenderent. 44. Missos facio mathematicos, grammaticos, musicos, quorum artibus vestra ista dicendi vis ne minima quidem societate coniungitur. Quamobrem ista tanta tamque multa profitenda, Crasse, non cen-

iusto sacramento] Varro de L. L. V. 49 p. 179 Spengel: *Ea pecunia, quae in iudicium venit in litibus, sacramentum* (dicitur) *a sacro. Qui petebat et qui inficiabatur, de aliis rebus utrique quingenos aeris ad pontem* (leg. *Pontif. Max.*) *deponebant, de aliis rebus item certo alio legitimo numero assum; qui iudicio vicerat, suum sacramentum a sacro auferebat, victi ad aerarium redibat.* Cfr. Festum voc. *sacramentum*, Isidor. Origin. V. 24 extr. et Gaium IV. §. 13 sqq. — *Iusto sacramento* i. q. ita ut tua causa iusta esset, cfr. pro Caecin. 33. 97, cui oppos. *iniustum sacr.* Milon. 27. 74, pro domo 29. 78.

§. 44. *coniungitur*] Sic Pearcii codd., edd. antiquiss., Iunt., Crat., Man., Lamb., prob. Olsh. — *contingitur* Pall., Tosan., Pith., Havn. uterq., δ, Erl. uterq., Guelf. B, C, Erf., Ald., Victor. et vulgo post Gruter. Scio quidem, dici posse rem contingi alia re, nec solum proprie, sed etiam translate: ut Liv. XL. 14. *mea causa nihil eo facto contingitur;* sed cum Madvigio nego, *dicendi vim* dici posse *aliqua arte nulla societate contingi.*

seo. Satis id est magnum, quod potes praestare, ut in iudiciis ea causa, quamcunque tu dicis, melior et probabilior esse videatur; ut in concionibus et in sententiis dicendis ad persuadendum tua plurimum valeat oratio; denique ut prudentibus diserte, stultis etiam vere dicere videaris. Hoc amplius si quid poteris, non id mihi videbitur orator, sed Crassus sua quadam propria, non communi oratorum facultate, posse.

XI. 45. Tum ille, Non sum, inquit, nescius, Scaevola, ista inter Graecos dici et disceptari solere. Audivi enim summos homines, quum quaestor ex Macedonia venissem Athenas, florente Academia, ut temporibus illis ferebatur, quod eam

---

et in sententiis] Ita Guelf. A, Erl. uterq., Erf., Sch., Harl., Mueller, Or. — *ut in sententiis* Havn. uterq., Ald., Iunt., Cr., Man. — *et sententiis* Oxx., edd. antiquiss., Lamb., Grut., Ern., Olsh.

Cap. XI. 45. *quum quæstor ex Macedonia*] Crassus a. U. 645 (109) quæstor in Asia fuit atque inde decedens Athenas venit (Orat. III. 20. 75, cfr. Beier ad III. Off. 2. 8. p. 196), ubi in academia nova tum florebant Carneadis auditores, *Charmadas*, memoria et eloquentia excellens (Orat. II. 88. 360, Acad. II. 6. 16), *Clitomachus Carthaginiensis* (Tusc. III. 22. 54, Acad. l. c.) et *Æschines Neapolitanus*, qui a Diogene Laërtio II. 64 Melanthii Rhodii, qui Carneadem audierat, discipulus dicitur. — *Charmadas* autem h. l. et infra *cum Charmada* legendum, non, ut vulgo, *Carneades* et *cum Carneade*, bene ostendit Pearcius, imprimis eo, quod teste Apollodoro in Chronicis apud Diogen. Laërt. IV. 65 mortuus est Carneades Ol. 162, 4 = a. U. 625, Crassus autem quæstor fuit, ut diximus, a. U. 645. Sed ad verissimam hanc coniecturam, quam receperunt recentt. post Ern., confirmandam accedit codicum auctoritas; nam h. l. *Charmadas* exhibent Harl. 1, *Z* et Erl. 1 a pr. manu, *Carniadas* Havn. A, *a*, *Carneadas* Havn. B., *Carmeades* Cant. et Erl. 1 a manu sec.; et infra *Charmada Z*, Erl. 1, *Carmada* Gonv. et Harl. 1, *Carniada* Havn. uterq, *Carneada* Erl. 2. Similis horum nominum confusio obtinet in Orat. 16. 51 (quem locum sanavit et explicavit Meyerus, cui assentitur Orell. in Iahnii Annal. Vol. III. 4. p. 89), Acad. II. 6. 16, Fin. V. 2. 4, Tusc. I. 24. 59.

Charmadas et Clitomachus et Aeschines obtinebant. Erat etiam Metrodorus, qui cum illis una ipsum illum Carneadem diligentius audierat, hominum omnium in dicendo, ut ferebant, acerrimum et copiosissimum. Vigebat auditor Panaetii illius tui Mnesarchus, et Peripatetici Critolai Diodorus. 46. Multi erant praeterea clari in philosophia et nobiles, a quibus omnibus una paene voce repelli oratorem a gubernaculis civitatum, excludi ab omni doctrina rerumque maiorum scientia ac tantum in iudicia et conciunculas, tanquam in aliquod pistrinum, detrudi et compingi videbam. 47. Sed ego neque illis assentiebar, neque harum disputationum inventori et principi longe omnium in dicendo gravissimo et eloquentissimo, Platoni, cuius tum Athenis cum Charmada diligentius legi Gorgiam; quo in libro in hoc maxime admirabar Platonem, quod mihi in oratoribus irri-

---

Metrodorus] Est sine dubio *Metrodorus Stratoniceus*, Stratonice s. Stratonicea, Cariæ urbe, oriundus, qui, ut ait Cicero Acad. II. 6. 16, bene nosse Carneadem putabatur; cfr. Diogen. Laërt. X. 9, ubi hic Metrodorus ab Epicuro ad Carneadem transiisse dicitur. Quo minus *Scepsius* hic intelligatur, obstat, quod hunc ex academia rhetorem *in Asia* se audiisse dicit Crassus III. 20. 75 et Antonius II. 88. 360. Cfr. F. C. Wolffium ad h. l. — Male hic quoque Ern. *Carneadem* in *Charmadam* mutavit.

auditor Panætii illius tui, *Mnesarchus*] Hic et Dardanus tum Athenis principes Stoicorum erant. Acad. II. 22. 69, cfr. h. libri c. 18. 83. De *Panætio* Rhodio, Stoico, quem Scævola audierat (c. 17. 75; inde *tui* h. l. cfr. c. 10. 43 *Stoici nostri*), dissertationem scripsit van Linden, Lugd. Batav. 1802; cfr. Beier ad III. Off. 2. 8. p. 196.

Peripatetici Critolai Diodorus] Sic Pall. duo potiores, tres Gallicani, Z, γ, Harl. uterq., Erl. uterq., Erf., Pearc. et post Ern. recentt. Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *Perip. Critolaus et Diodorus*. Sed recte observavit Pearcius, non probabile esse, Critolaum, qui unus ex legatis ab Atheniensibus a. U. 599 (155) Romam missis fuerat, tum adhuc vixisse, nedum viguisse. *Diodorus*, Critolai auditor (sic etiam dicitur Fin. V. 5. 14), in honestate et vacuitate doloris finem bonorum posuit. Fin. II. 6. 19, V. 5. 14, Acad. II. 42. 131.

dendis ipse esse orator summus videbatur. Verbi enim controversia iam diu torquet Graeculos, homines contentionis cupidiores quam veritatis. 48. Nam si quis hunc statuit esse oratorem, qui tantummodo in iure aut in iudiciis possit aut apud populum aut in senatu copiose loqui, tamen huic ipsi multa tribuat et concedat necesse est. Neque enim sine multa pertractatione omnium rerum publicarum, neque sine legum, moris, iuris scientia, neque natura hominum incognita ac moribus, in his ipsis rebus satis callide versari et perite potest. Qui autem haec cognoverit, sine quibus ne illa quidem minima in causis quisquam recte tueri potest, quid huic abesse poterit de maximarum rerum scientia? Sin oratoris nihil vis esse, nisi composite, ornate, copiose eloqui: quaero, id ipsum qui possit assequi, sine ea scientia, quam ei non conceditis? Dicendi enim virtus, nisi ei, qui dicit, ea, de quibus dicit, percepta sint, exstare non potest. 49. Quamobrem si ornate locutus est, sicut et fertur et mihi videtur, physicus ille Democritus: materies illa fuit physici, de qua dixit, ornatus vero ipse verborum oratoris putandus est. Et si Plato de rebus a civilibus controversiis remotissimis divinitus est locutus, quod ego concedo: si item Aristoteles, si The-

---

§. 48. *legum, moris*] Sic Havn. B, Guelf. B, C et fort. Erl. 2, Ald., Iunt., Crat., Man., Sch., Harl., Mueller, Or.; sequitur enim *moribus*. — *legum, morum* plerique codd., edd. antiquiss., Steph., Lamb., Grut., Ern., Olsh.

conceditis] H. e. tu et Græci illi philosophi; sic plerique codd. (etiam Havn. uterq.), Hahn. et vulgo inde ab Aldo; cfr. Pearc. ad h. l. et Heusing. ad Cic. Off. præfat. p. XLVII. — *concedis* Erl. 1, reliquæ edd. antiquiss., Ern., Harl., Olsh.

§. 49. *sicut et fertur*] Ita Vet. Steph., U, Z, marg. δ, Erl. uterq., Erf., Mueller, Or. — *sicut et ferunt* β, δ, edd. antiquiss. — *sicut efferunt* ε. — *sicut fertur* Havn. uterq., α, γ, al. et sic vulgo inde ab Ald. et Iunt.

ophrastus, si Carneades in rebus iis, de quibus disputaverunt, eloquentes et in dicendo suaves atque ornati fuerunt: sint hae res, de quibus disputant, in aliis quibusdam studiis; oratio quidem ipsa propria est huius unius rationis, de qua loquimur et quaerimus. 50. Etenim videmus, iisdem de rebus ieiune quosdam et exiliter, ut eum, quem acutissimum ferunt, Chrysippum, disputavisse, neque ob eam rem philosophiae non satisfecisse, quod non habuerit hanc dicendi ex arte aliena facultatem.

XII. Quid ergo interest? aut qui discernes eorum, quos nominavi, ubertatem in dicendo et copiam ab eorum exilitate, qui hac dicendi varietate et elegantia non utuntur? Unum erit profecto, quod ii, qui bene dicunt, afferent proprium, compositam orationem et ornatam et artificio quodam et expolitione

---

§. 50. *Chrysippum*] *Chrysippus* Stoicus, Solis, Ciliciæ urbe, natus, Cleanthis discipulus, obiit a. Chr. 206. De eius auctoritate et scriptis vide F. N. G. Baguet de Chrysippi vita, doctrina et reliquiis comment. Lovan. 1822. 4; cfr. Schmidium aliosque intt. ad Horat. I. ep. 2. 4. Academicorum et Peripateticorum in dicendo copiæ Stoicorum exilitatem opponit Fin. IV. 3. 7, atque Cleanthem et Chrysippum artem rhetoricam sic scripsisse dicit, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat.

hanc dicendi ex arte aliena] *hanc dicendi ex arte* tres Lambini, Pall. nonnulli, Havn. uterq., Guelf. B, C, *α*, *δ*, edd. inde ab Aldo usq. ad Grut. et recentt. pleriq. post Sch. — *hanc d. in arte* Pall. nonnulli, Gallicani, Grut., Ern., Olsh. — *in hac d. arte* Cant., Gonv., U, Z, *ε*, Erl. uterq., Erf. — Tum *aliena* Gallicani, tres Lambiniani, Erl. uterq., Erf., U, *β*, al., Lamb. et vulgo inde a Grutero. — *alienam* Pall. omnes, Havn. uterq., Cant., Gonv., Z, *α*, *γ*, *δ*, *ε*, edd. ante Gruter. inde ab antiquiss. — *ex arte alienam hanc d. facultatem* edd. antiquiss. — Pearcius in ed. prima verissimam lectionem putat esse eam, quam præbet *γ*: *in hac arte alienam dic. fac.*, sed in sequentibus edd. Gruterianam restituit.

Cap. XII. *afferent*] Sic Sch. e coni. eumque secuti sunt recentt. — *afferant* Havn. uterq., Ern. — *afferunt* vulgo codd. et edd. et sic etiam Hahn.; reliquæ autem edd. antiquiss., hoc verbum omittentes, sic exhibent: *dicunt: propriam, compositam — distinctam habent.*

distinctam. Haec autem oratio, si res non subest ab oratore percepta et cognita, aut nulla sit necesse est, aut omnium irrisione ludatur. 51. Quid est enim tam furiosum, quam verborum vel optimorum atque ornatissimorum sonitus inanis, nulla subiecta sententia nec scientia? Quidquid erit igitur, quacunque ex arte, quocunque de genere, id orator, si tanquam clientis causam didicerit, dicet melius et ornatius, quam ille ipse eius rei inventor atque artifex. 52. Nam si quis erit, qui hoc dicat, esse quasdam oratorum proprias sententias atque causas et certarum rerum forensibus cancellis circumscriptam scientiam: fatebor equidem in his magis assidue versari hanc nostram dictionem; sed tamen in his ipsis rebus permulta sunt, quae isti magistri, qui rhetorici vocantur, nec tradunt nec tenent. 53. Quis enim nescit, maximam vim exsistere oratoris in hominum mentibus vel ad iram aut ad odium aut ad dolorem incitandis, vel ab hisce iisdem permotionibus ad lenitatem misericordiamque revocandis? quae, nisi qui naturas hominum vimque omnem humanitatis causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspexerit, dicendo quod volet perficere non poterit. 54. Atque totus hic locus philosopho-

---

§. 53. *aut ad dolorem*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, Sch., Or. — Vulgo omittitur *ad*. Cfr. ad c. 9. 36.

quæ, *nisi qui*] Sic omnes codd. et vulgo inde ab antiquiss. edd., defendit Pearc., restituerunt Olsh., Or. — Lambinus ex Passeratii coni.: *quare*, *nisi qui*, quod receperunt Ern., Sch., Harl., Mueller. — Matthiae in Seebodii M. Crit. I. p. 676: "Vide, an ita defendi possit *quæ*, ut dicas anacoluthon esse: quum enim dicere vellet Cicero, ""quæ, nisi qui — perspexerit, dicendo perficere non poterit,"" post longius circumductam orationem *quod volet* per redundantiam quandam addidit. Cfr. comm. de anacol. in Wolfii Anal. II. p. 17."

§. 54. *Atque totus*] Ita codd. Gruteri, U, Havn. uterq., Erf., Hahn., Med., Lott., Mueller, Or. — Vulgo *atqui tot*.

rum putatur proprius, neque orator me auctore unquam repugnabit; sed quum illis cognitionem rerum concesserit, quod in ea solum illi voluerint elaborare, tractationem orationis, quae sine illa scientia nulla est, sibi assumet. Hoc enim est proprium oratoris, quod saepe iam dixi, oratio gravis et ornata et hominum sensibus ac mentibus accommodata.

XIII. 55. Quibus de rebus Aristotelem et Theophrastum scripsisse fateor. Sed vide, ne hoc, Scaevola, totum sit a me. Nam ego, quae sunt oratori cum illis communia, non mutuor ab illis; isti, quae de his rebus disputant, oratorum esse concedunt. Itaque ceteros libros artis suae nomine, hos rhetoricos et inscribunt et appellant. 56. Etenim quum illi in dicendo inciderint loci, quod persaepe evenit, ut de diis immortalibus, de pietate, de concordia, de amicitia, de communi civium, de hominum, de gentium iure, de aequitate, de temperantia, de magnitudine animi, de omni virtutis genere sit dicendum, clamabunt, credo, omnia gymnasia atque omnes philosophorum scholae, sua haec esse omnia propria, nihil omnino ad oratorem pertinere. 57. Quibus ego, ut de his rebus omnibus in angulis consumendi otii

---

putatur proprius] Sic Ald., Iunt., Crat., Man., Lamb., Sch., Harl., Mueller, Or. — *proprius putatur* Havn. uterq., α, ε, marg. δ. — *proprius videtur* Gruteri codd., Erl. uterq., Erf., al., edd. antiquiss., Steph., Grut., Ern., Olsh. — *propr. videatur* Ü.

Cap. XIII. §. 55. *Aristotelem et Theophrastum*] *Aristotelis* Stagiritæ (Stagiris, Macedoniæ urbe, Ol. XCIX. 1 = 384 nati) ars rhetorica hodieque exstat; cfr. II. 38. 160. *Theophrastus*, Ereso, Lesbi urbe, oriundus, Aristotelis auditor atque in Lyceo successor (Ol. CXIV. = 324, Diogen. Laërt. V. 36) et Demetrii Phalerei præceptor (Brut. 9. 37) obiit Ol. CXXIII. 3. (286). Scripserat librum, qui periit, *περὶ λέξεως*. Dionys. Halicarn. de compos. verbor. p. 212 Schaefer. et in Lysia c. 14, Diogen. Laërt. V. 47; cfr. Cic. de Invent. I. 35. 61.

causa disserant, quum concessero, illud tamen oratori tribuam et dabo, ut eadem, de quibus illi tenui quodam exsanguique sermone disputant, hic cum omni gravitate et iucunditate explicet. Haec ego cum ipsis philosophis tum Athenis disserebam. Cogebat enim me M. Marcellus hic noster, qui nunc aedilis curulis est et profecto, nisi ludos nunc faceret, huic nostro sermoni interesset; ac iam tum erat adolescentulus his studiis mirifice deditus. 58. Iam vero de legibus instituendis, de bello, de pace, de sociis, de vectigalibus, de iure civili generatim in ordines aetatesque descripto, dicant vel Graeci, si volunt, Lycurgum aut Solonem (quamquam illos quidem censemus in numero eloquentium reponendos) scisse melius, quam Hyperidem aut Demosthenem, perfectos iam homines in dicendo et perpolitos: vel nostri decemviros, qui XII tabulas perscripserunt, quos ne-

---

§. 57. *et profecto*] *qui profecto* Havn. B. — *M. Marcellus* qui sit, non constat.

§. 58. *Lycurgum*] *Lycurgus* Spartanorum et *Solon* Atheniensium legislatores satis noti sunt omnibus. — *Hyperides* et *Demosthenes* celeberrimi oratores Attici, æquales et in Atheniensium libertate adversus Macedonum imperium defendenda consentientes, post proelium ad Cranonem factum Antipatro traditi Ol. CXIV. 3 (322) interierunt. Hyperidi acumen et satis facetiarum tribuit Cicero de Orat. III. 7. 28, Orat. 26. 90; eius nullæ exstant orationes: olim, testibus Pseudo-Plutarcho et Photio cod. 266, legebantur genuinæ duæ et quinquaginta. Demosthenes natus erat Ol. XCIX. 4 = a. Chr. 381 (Dionys. Halic. epist. I. ad Ammæum c. 4). Exstant 61 orationes et 65 προοίμια δημηγορικά. Cicero his verbis oratoriam Demosthenis laudem prædicat Brut. 9. 35: *Nihil acute inveniri potuit in eis causis, quas scripsit, nihil, ut ita dicam, subdole, nihil versute, quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate, quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius.*

vel nostri decemviros] Sic Man., Lamb. et recentt. post Sch. — Vulgo codd. et edd. *vel nostros dec.* — De *decemviris* vide impr. Liv. III. c. 33 sqq. De *Ser. Galba* ad c. 10. 40, de *C. Lælio* ad c. 7. 24 et infr. ad c. 48. 211.

cesse est fuisse prudentes, anteponant in hoc genere et Ser. Galbae et socero tuo C. Laelio, quos constat dicendi gloria praestitisse; 59. nunquam enim negabo, esse quasdam artes proprias eorum, qui in his cognoscendis atque tractandis studium suum omne posuerunt: sed oratorem plenum atque perfectum esse eum dicam, qui de omnibus rebus possit varie copioseque dicere.

XIV. Etenim saepe in iis causis, quas omnes proprias esse oratorum confitentur, est aliquid, quod non ex usu forensi, quem solum oratoribus conceditis, sed ex obscuriore aliqua scientia sit promendum atque assumendum. 60. Quaero enim, num possit aut contra imperatorem aut pro imperatore dici sine rei militaris usu aut saepe etiam sine regionum terrestrium aut maritimarum scientia, num apud populum de legibus iubendis aut vetandis, num in senatu de omni rei publicae genere dici sine summa rerum civilium cognitione et prudentia, num admoveri possit oratio ad sensus animorum atque motus vel inflammandos vel etiam exstinguendos (quod unum in oratore dominatur), sine diligentissima pervestigatione earum omnium rationum, quae de naturis humani generis ac moribus a philosophis explicantur. 61. Atque haud scio, an minus hoc vobis sim probaturus: equidem non dubitabo, quod sentio, dicere. Physica ista ipsa et mathematica, et quae paullo ante

---

Cap. XIV. §. 59. *atque assumendum*] Sic Havn. A, Lamb. et recentt. post Sch. — *et assumendum* Havn. B, Guelf. B, C, al. et vulgo post Ald. et Iunt. — *atque sumendum* Cant., Norf., Mead., Gonv., Harl. uterq., Erl. uterq., U, Z, β, γ, δ, ε, Erf., edd. antiquiss., Pearc. in ed. 1 et 2, Ern., Lallem., quod fortasse præferendum.

§. 61. *non dubitabo*] *non dubito* Havn. A pr. manu, edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Sch., Harl. Paullo ante Muellerus vocc. *haud scio, an minus hoc vobis sim probatu-*

ceterarum artium propria posuisti, scientiae sunt eorum, qui illa profitentur; illustrare autem oratione si quis istas ipsas artes velit, ad oratoris ei confugiendum est facultatem. 62. Neque enim, si Philonem illum architectum, qui Atheniensibus armamentarium fecit, constat perdiserte populo rationem operis sui reddidisse, existimandum est, architecti potius artificio disertum quam oratoris fuisse. Nec, si huic M. Antonio pro Hermodoro fuisset de navalium opere dicendum, non, quum ab illo causam didicisset, ipse ornate de alieno artificio copioseque dixisset. Neque vero Asclepiades is, quo nos medico amicoque usi sumus, tum, quum eloquentia vincebat ceteros medi-

---

rus perperam interpretatus est: *fortasse hoc imprimis vobis sum probaturus*, quum explicanda sint: *fortasse hoc vobis minus s. vix sum probaturus.* Cfr. Madvig. Emendatt. p. 180 et C. Beierum in excurs. II. ad Cic. Læl. *de formulis dubitanter decernendi* p. 230, in quo excursu ea, quæ nuper multa a multis de huius formulæ vi et usu scripta sunt, examinantur et quæ ab ipso Beiero antea (impr. in excurs. XI. ad I. Off.) minus recte observata erant, corriguntur.

§. 62. *si Philonem*] Hic Philo Atheniensibus armamentarium (σκευοθήκην, ὁπλοθήκην) fecerat in Piræeo, quod postea Sulla incendit (Plin. H. N. VII. 38, Plutarch. Sulla c. 14, Appian. B. Mithr. 41). Valer. Max. VIII. 12. ext. 2. *Gloriantur Athenæ armamentario suo, nec sine causa: est enim illud opus et impensa et elegantia visendum: cuius architectum Philonem ita facunde rationem institutionis suæ in theatro reddidisse constat, ut disertissimus populus non minorem laudem eloquentiæ eius quam arti tribuerit.* Scripsit etiam de ædium sacrarum symmetriis et de armamentario illo, teste Vitruv. VII. Præf. §. 12. Vide Sillig. catalog. artificum p. 251. — *Hermodorus*, navalium architectus, videtur esse H. Salaminius, qui Romæ in circo Flaminino ædem Martis condidit. Corn. Nep. ap. Priscian. VIII. p. 792 Putsch. (Vol. I. p. 370 Krehl.). Vide Sillig. l. c. p. 229. — De *Asclepiade*, Prusæ, Bithyniæ urbe, nato, Plin. H. N. VII. 37: *Summa autem* (fama) *Asclepiadi Prusiensi, condita nova secta, spretis legatis et pollicitationibus Mithridatis regis, reperta ratione, qua vinum ægris mederetur, relato e funere homine et servato: sed maxime sponsione facta cum fortuna, ne medicus crederetur, si umquam invalidus ullo modo fuisset ipse; et victor, suprema in senecta lapsu scalarum exanimatus est.* Cfr. Cels. sæpissime et Apul. Florid. XIX.

cos, in eo ipso, quod ornate dicebat, medicinae facultate utebatur, non eloquentiae. 63. Atque illud est probabilius, neque tamen verum, quod Socrates dicere solebat, omnes in eo, quod scirent, satis esse eloquentes: illud verius, neque quemquam in eo disertum esse posse, quod nesciat, neque si optime sciat ignarusque sit faciundae ac poliendae orationis, diserte id ipsum posse, de quo sciat, dicere.

XV. 64. Quamobrem, si quis universam et propriam oratoris vim definire complectique vult, is orator erit mea sententia hoc tam gravi dignus nomine, qui, quaecunque res inciderit, quae sit dictione explicanda, prudenter et composite et ornate et memoriter dicet, cum quadam etiam actionis dignitate. 65. Sin cuipiam nimis infinitum videtur, quod ita

---

non eloquentiæ] Hæc vocc. ut glossema eiecit Sch., renitentibus omnibus MSS. et edd. Negativa particula, qua hæc sententia cum antecedentibus coniungitur, etiam ad hæc verba pertinet, quæ medicinæ facultati opponuntur. Crassus negat, Asclepiadem medicinæ, non eloquentiæ facultate usum esse, h. e. contendit, eum eloquentiæ, non medicinæ fac. usum.

§. 63. *si optime sciat*] Sic recte Havn. uterq. et sic edidit Olsh., casune an consulto, nescio; cfr. c. 13. 58 *scisse melius.* — Vulgo: *si id optime sciat*, in quo *id* non habet, quo referatur. — *si quid opt. sciat* Sch. e coni., quem secuti sunt Harl. et Mueller. — Mox: *ignarusque sit* plerique codd., Lott. et vulgo post Ald. — *ignarusque si sit* Havn. uterq., Erl. uterq., reliquæ edd. antiquiss., Mueller, Or.

id ipsum posse, de quo sciat, dicere] Sic etiam Havn. uterq. et sic vulgo; Or. cum Heusingero *de quo sciat* uncinis inclusit. — *id ipsum, de quo sciat, posse dicere* Erl. 1, Erf. — *id ipsum, de quo sciat, non posse dicere* Vet. Stephani, Erl. 2, γ, ed. s. l. et a, Med. utraq., Ven. — *id ipsum sciat posse de quo dicere* Hahn. — *id ipsum, quod sciat, posse dicere* Lott., Mueller. — *id ipsum posse, quod sciat, dicere* Ascens., Sch., Harl.

Cap. XV. §. 64. *dicet*] Sic Vet. Steph., Guelf. A, Erl. 2, Erf., edd. antiquiss. (fort. excepta Hahn.) et recentt. post Sch. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. post. Ald. *dicat*.

posui, *quacunque de re*, licet hinc, quantum cuique videbitur, circumcidat atque amputet: tamen illud tenebo, si, quae ceteris in artibus aut studiis sita sunt, orator ignoret, tantumque ea teneat, quae sint in disceptationibus atque in usu forensi: tamen his de rebus ipsis si sit ei dicendum, quum cognoverit ab iis, qui tenent, quae sint in quaque re, multo oratorem melius, quam ipsos illos, quorum eae sunt artes, esse dicturum. 66. Ita si de re militari dicendum huic erit Sulpicio, quaeret a C. Mario affini nostro, et quum acceperit, ita pronuntiabit, ut ipsi C. Mario paene hic melius, quam ipse, illa scire videatur; sin de iure civili, tecum communicabit, teque hominem prudentissimum et peritissimum in iis ipsis rebus, quas abs te didicerit, dicendi arte superabit. 67. Sin quae res inciderit, in qua de natura, de vitiis hominum, de cupiditatibus, de modo, de continentia, de dolore, de morte dicendum sit, forsitan, si ei sit visum (etsi haec quidem nosse debet orator), cum Sex. Pompeio, erudito homine in philosophia, communicarit: hoc profecto efficiet, ut quamcunque rem a

---

§. 65. *posui*] Sic Vet. Steph., Z, neque aliter exhibere videntur meliores codd.; ita edid. Lamb., Grut., Ern., Sch., Mueller, Olsh. — *proposui* Havn. uterq., α, β, γ, δ, ε, edd. antiquiss. et vulg. ante Lamb.; male restituit Or.; nullam enim sententiam attulit, sed verba quædam, quæ nunc cum correctione aliqua repetit.

§. 66. *C. Mario, affini nostro*] C. Marii, septies consulis, filius in matrimonium duxerat Muciam, Scævolæ Auguris filiam alteram, alteram Crassus. Etiam pro Balbo 21. 49, ubi præclari illius imperatoris virtutes celebrantur, Crassus eius *affinis* dicitur.

§. 67. *cum Sex. Pompeio*] Sex. Pompeius, Cn. Pompeii Magni patruus, *præstantissimum ingenium contulerat ad summam iuris civilis et ad perfectam geometriæ et rerum Stoicarum scientiam*, ut ait Cic. Brut. 47. 115. Cfr. Philipp. XII. 11. 27, Beier ad I. Off. 6. 19.

communicarit: hoc] Sic Havn. A, Erl. 1, δ, ε, Erf., edd. antiquiss. (*communicat* Med. 2, Lott.) et recentt. post Ern. —

quoque cognorit, de ea multo dicat ornatius, quam ille ipse, unde cognorit. 68. Sed si me audierit, quoniam philosophia in tres partes est tributa, in naturae obscuritatem, in disserendi subtilitatem, in vitam atque mores: duo illa relinquamus atque largiamur inertiae nostrae; tertium vero, quod semper oratoris fuit, nisi tenebimus, nihil oratori, in quo magnus esse possit, relinquemus. 69. Quare hic locus de vita et moribus totus est oratori perdiscendus; cetera si non didicerit, tamen poterit, si quando opus erit, ornare dicendo, si modo erunt ad eum delata et ei tradita.

XVI. Etenim si constat inter doctos, hominem ignarum astrologiae, Aratum, ornatissimis atque optimis versibus de coelo stellisque dixisse; si de rebus

---

communicaret Havn. B. — *communicabit. Hoc* Erl. 2, pleriq. Oxx., al. et vulgo olim inde ab Ald. et Iunt.

quamcunque rem a quoque cognorit] Sic vulgo codd. et edd. *quamque rem* Med. uterq., Lott. — *quamquam rem* Or., quam lectionem Goerenz. ad III. Fin. 14. 45 se in optimo suo codice legisse dicit. De Goerenzii codicibus alius erit dicendi locus: optimi non sunt, ne satis boni quidem, atque hanc lectionem ne tum quidem prætulerim vulgatæ, si probatum fuerit, *quamquam* femin. latine dici posse. — Deinde *a quoquo cognorit* Havn. uterq., *β*, edd. antiquiss. (*cognoverit*), Mueller et Or. e cod. Goerenz. l. c. — *a quocunque cognoverit* U, Steph.

§. 68. *si me audierit*] *si me audiet Z*, Erf. — Mox *tributa* duo Lambiniani, Havn. A, *ε*, Erl. 1 a pr. manu et recentt. inde ab Ern.; cfr. Orat. 4. 16, 33. 116. — *distributa* Erl. 2, Erf., Havn. B, Oxx. pleriq., al. et vulgo olim inde ab antiquiss. edd. — Veteres philosophiam in Physicam, Dialecticam et Ethicam distribuebant. Cfr. Academ. I. 5 sqq. Diogen. Laërt. III. 56.

atque largiamur] Sic Vet. Steph., Cant., Harl. uterq., Gonv., *Z*, *β*, *γ*, *δ*, *ε*, Erl. uterq., Erf., edd. antiquiss., Pearc., Ern., recentt. Vulgo inde ab Ald. et Iunt. *idque larg.* et sic etiam Havn. uterq.

Cap. XVI. §. 69. *Aratum*] Cum nostro loco impr. comparand. est Cic. de repl. I. 14. *Cuius* (sphæræ) *omnem ornatum et descriptionem, sumptam ab Eudoxo; multis annis post non astrologiæ scientia, sed poetica quadam facultate versibus Aratum extulisse* (dicebat Gallus). Aratus enim, astronomiæ ipse

rusticis hominem ab agro remotissimum, Nicandrum Colophonium, poetica quadam facultate, non rustica, scripsisse praeclare: quid est, cur non orator de rebus iis eloquentissime dicat, quas ad certam causam tempusque cognorit? 70. Est enim finitimus oratori poeta, numeris adstrictior paullo, verborum autem licentia liberior, multis vero ornandi generibus socius ac paene par; in hoc quidem certe prope idem, nullis ut terminis circumscribat aut definiat ius suum, quo minus ei liceat eadem illa facultate et copia vagari, qua velit. 71. Nam quod illud, Scaevola, negasti te fuisse laturum, nisi in meo regno esses, quod in omni genere sermonis, in omni parte humanitatis dixerim oratorem perfectum esse debere: nunquam mehercule hoc dicerem, si eum, quem fingo, me ipsum esse arbitrarer. 72. Sed ut solebat C. Lucilius

---

ignarus, Eudoxi Cnidii libros astronomicos, *Ἔνοπτρον* et *Φαινόμενα*, versibus inclusit. Natus erat Solis, Ciliciæ urbe, et circ. Ol. CXXIV (284) Antigoni Gonatæ temporibus floruit (Suidas s. v. *Ἄρατος*). Eius *Φαινόμενα*, quæ Cicero admodum adolescentulus latine convertit (N. D. II. 41. 104.), cum iis, quæ his *Διοσημείων* nomine subiunguntur, hodieque exstant.

Nicandrum Colophonium] *Nicander*, medicus, grammaticus et poeta, Attali II, regis Pergameni, ætate floruit, annis fere 150 a. Chr. Exstant eius *Θηριακά* et *Ἀλεξιφάρμακα*: perierunt cum aliis *Γεωργικά*, quod carmen Cicero h. l. respicit quodque sæpe commemorat Athenæus.

§. 71. *Nam quod illud, Scævola, negasti —: nunquam*] Sic optime Madvig ex codd.; in U enim exstat: *nam*, et Tosan. ap. Grut. exhibet: *nam quod illud Q. Scævola*, et sic edidisse Manut. et Talæum, invenio ap. Mueller. — *Scævola quare* Erf. — Vulgo: *Namque illud quare, Scævola, negasti — debere? Nunquam;* sed in occupatione usurpatur *nam*, non *namque* (cfr. Madvig epist. ad Or. p. 70); neque h. l. indicatur causa, ad quam significandam provocare solet particula *quare*.

§. 72. *C. Lucilius*] eques Romanus, a. U. 606 (148) Suessæ Auruncæ natus, Lælio et Africano minori, quocum in bello Numantino militaverat (Velleius Pat. II. 9.), familiarissimus (Horat. Sat. II. 1. 73. ibiq. Schol.), Satiras primus scripsit, a scriptoribus antiquis sæpe commemoratas, quarum non nisi fragmenta ad nos pervenerunt. De simultatis inter Lucilium et Scævolam causa nihil notum est. —

saepe dicere, homo tibi subiratus, mihi propter eam ipsam causam minus, quam volebat, familiaris, sed tamen et doctus et perurbanus, sic sentio, neminem esse in oratorum numero habendum, qui non sit omnibus iis artibus, quae sunt libero dignae, perpolitus; quibus ipsis si in dicendo non utimur, tamen apparet atque exstat, utrum simus earum rudes an didicerimus. 73. Ut, qui pila ludunt, non utuntur in ipsa lusione artificio proprio palaestrae, sed indicat ipse motus, didicerintne palaestram an nesciant; et qui aliquid fingunt, etsi tum pictura nihil utuntur, tamen, utrum sciant pingere an nesciant, non obscurum est: sic in orationibus hisce ipsis iudiciorum, concionum, senatus, etiamsi proprie ceterae non adhibeantur artes, tamen facile declaratur, utrum is, qui dicat, tantummodo in hoc declamatorio sit opere iactatus, an ad dicendum omnibus ingenuis artibus instructus accesserit.

XVII. 74. Tum ridens Scaevola, Non luctabor, inquit, tecum, Crasse, amplius. Id enim ipsum, quod contra me locutus es, artificio quodam es consecutus, ut et mihi, quae ego vellem non esse oratoris, concederes, et ea ipsa nescio quomodo rursus detorque-

---

Pro: *quam volebat*; quod omnes codd. et edd. exhibent; Ern. coniecit *quam volebam*, idque receperunt Sch., Harl., Mueller, sine causa.

§. 73. *etiamsi proprie*] Ita edd. antiquiss. (præter Med. utramq.), Manut., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh., idque præferendum videtur ei, quod vulgo editur: *etiamsi propriæ*, Or., qui vulg. restituit, certe alienissimo exemplo usus est: *artificio proprio palæstræ*. Quod autem codicum auctoritatem ad eam, quam recepimus, lectionem confirmandam afferunt nonnulli intt., ea hic nihil valet, quum in plerisq. codicibus (etiam in Havn. utroq.) constanter *e* pro *æ* scriptum inveniatur: contra vulgatæ lectioni patrocinatur Erf., in quo, teste Wundero, clare *propriæ*.

res atque oratori propria traderes. 75. Haec, quum ego praetor Rhodum venissem, et cum summo illo doctore istius disciplinae Apollonio ea, quae a Panaetio acceperam, contulissem: irrisit ille quidem, ut solebat, philosophiam atque contempsit, multaque non tam graviter dixit quam facete; tua autem fuit oratio eiusmodi, non ut ullam artem doctrinamve contemneres, sed ut omnes comites ac ministras oratoris esse diceres. 76. Quas ego si quis sit unus complexus omnes, idemque si ad eas facultatem istam ornatissimae orationis adiunxerit, non possum dicere, eum non egregium quendam hominem atque admirandum fore; sed is, si qui esset, aut si etiam unquam fuisset, aut vero si esse posset, tu esses unus profecto, qui et meo iudicio et omnium vix ullam ceteris oratoribus (pace horum dixerim) laudem reliquisti. 77. Verum si tibi ipsi nihil deest, quod in forensibus rebus civilibusque versetur, quin scias, neque eam tamen scientiam, quam adiungis oratori, complexus es: videamus, ne plus ei tribuas, quam res et veritas ipsa concedat.

Cap. XVII. §. 75. *Hæc, quum ego etc.*] Sic vulgo codd. et edd., nisi quod uterq. Memm., Pall., Pith., U, Z, Erl. uterq., Erf. pro *hæc* exhibent *quæ*. Quum voc. *hæc* (i. e. ea, quæ a philosophis dicebantur) a verbo suo *irrisit* longiore oratione separatum sit, Cicero addit *philosophiam*. Simile anacoluthon notavimus supra c. 12. §. 53., ubi vide Matthiaei observ. Offendit tamen hæc abundantia intt., ideoque Lamb. omisit *hæc*, Ald., Iunt., Victor., Sch. sic distinxerunt: *Hæc — irrisit ille quidem, ut solebat philosophiam* (sc. irridere), *atque*; censor Lips. ed. Schuetzianæ delendum putat *philosophiam*; denique Mueller et Olsh. e. coni.: *ut solebat, philosophiamque contemsit.* — *Apollonius*, quem Scævola prætor a. U. 633 (121), quum Rhodum venisset, audivit, Alabandis, Cariæ urbe, natus, postea Rhodum migravit ibique mercede rhetoricam docebat (cfr. c. 28. 126). Videtur esse idem, qui a Strabone XIV. 2. vocatur *Μαλακός* (cfr. Spalding. ad Quintil. III. 1. 16); certe distinguendus est ab Apollonio Molone, Ciceronis præceptore. Cfr. Ellendt ad Brut. 89. 307. p. 223 sq.

78. Hic Crassus, Memento, inquit, me non de mea sed de oratoris facultate dixisse. Quid enim nos aut didicimus aut scire potuimus? qui ante ad agendum quam ad cognoscendum venimus; quos in foro, quos in ambitione, quos in re publica, quos in amicorum negotiis res ipsa ante confecit, quam possemus aliquid de rebus tantis suspicari. 79. Quod si tibi tantum in nobis videtur esse, quibus etiamsi ingenium, ut tu putas, non maxime defuit, doctrina certe et otium et hercule etiam studium illud discendi acerrimum defuit: quid censes, si ad alicuius ingenium vel maius illa, quae ego non attigi, accesserint? qualem illum oratorem et quantum futurum?

XVIII. 80. Tum Antonius, Probas mihi, inquit, ista, Crasse, quae dicis, nec dubito, quin multo locupletior in dicendo futurus sit, si quis omnium rerum atque artium rationem naturamque comprehenderit. 81. Sed primum id difficile est factu, praesertim in hac nostra vita nostrisque occupationibus; deinde illud etiam verendum est, ne abstrahamur ab hac exercitatione et consuetudine dicendi populari et forensi. Aliud enim mihi quoddam genus orationis esse videtur eorum hominum, de quibus paullo ante dixisti, quamvis illi ornate et graviter aut de natura rerum aut de humanis rebus loquantur. Nitidum quoddam genus est verborum et laetum, sed palaestrae magis et olei quam huius civilis turbae ac fori.

---

§. 79. *studium illud discendi*] Sic (ne quis cum Orellio meram coniecturam putet), teste Grutero, Pall. pleriq. et codd., quos contulit Suffridus, item U, *Z*, *α*, *β*, Erl. 1, Havn. uterq., Erf., et vulgo post Gruter.: et sic iam Lambin. in marg. 1573 sqq. ex Hotomanni coni. — *stud. illud dicendi* Erl. 2., marg. Havn. A, *γ*, *δ*, *ε* et vulgo ante Grut. inde ab antiquiss. edd.

Cap. XVIII. §. 81. *et olei*] *et otii* Havn. A, item B a pr. manu et cod. Dresd. (in cuius marg. est *olei)*; recepit Sch.

82. Namque egomet, qui sero ac leviter Graecas literas attigissem, tamen, quum pro consule in Ciliciam proficiscens Athenas venissem, complures tum ibi dies sum propter navigandi difficultatem commoratus. Sed quum quotidie mecum haberem homines doctissimos, eos fere ipsos, qui abs te modo sunt nominati, quumque hoc, nescio quomodo, apud eos increbuisset, me in causis maioribus, sicuti te, solere versari, pro se quisque, quae poterat, de officio et de ratione oratoris disputabat. 83. Horum alii, sicut iste ipse Mnesarchus, hos, quos nos oratores vocaremus, nihil esse dicebat, nisi quosdam operarios lingua celeri et exercitata; oratorem autem, nisi qui sapiens esset, esse neminem; atque ipsam eloquentiam, quod ex bene dicendi scientia constaret, unam quandam esse virtutem, et, qui unam virtutem haberet, omnes habere, easque esse inter se aequales et pares; ita, qui esset eloquens, eum virtutes omnes habere atque esse sapientem. Sed haec erat spinosa quaedam et exilis oratio, longeque a nostris sensibus abhorrebat. 84. Charmadas vero

---

§. 82. *pro consule*] Antonius a. U. 651 (103) prætor cum proconsulari imperio in Ciliciam adversus maritimos prædones missus est; cfr. II. 1. 2, Liv. epitom. 68.

pro se quisque, quæ poterat] Sic, prob. Madvigio, edidi, codicum vestigia secutus; nam: *pro se quæ quisque poterat* codd. aliquot Lamb., Pal. pr. et sec., edd. antiquiss. (*pro seque quisq. p.* ed. s. l. et a., Ven.; *pro seque quisq. ut poterant* Hahn.) — *pro se quisque poterat* Pal. tert., Memm., U, Z a pr. manu, ε. — *ipse quisque poterat* Erl. 1. — Ex omisso *quæ* reliquæ varietates natæ videntur: *pro se ut quisque poterat* Erf. — *ipse quisque ut poterat* Erl. 2. (*pro se quisque, ut poterat* Steph. et vulgo post Grut.) — *pro se, quantum quisque poterat* δ. — *pro se quisque, quantum quisq. pot.* codd. nonnulli Lamb. — *pro se quisque eorum, quant. quisq. pot.* codd. nonnulli Lamb., Havn. uterq., Guelf. B, C, α, Pall. reliqui, Ald. — *pro se quisque eorum, ut quisque poterat* codd. nonnulli Lamb., Iunt., Crat., Man., Lamb.

et de ratione oratoris] Præpositionem iterant U, Z (*et decoratione or.*), α, δ, ε, Erf., edd. antiquiss. — Vulgo omittitur *de*.

§. 84. *Charmadas*] Sic Z, Harl. 1, Erl. 1, Pearc. et re-

multo uberius iisdem de rebus loquebatur, non quo aperiret sententiam suam; hic enim mos erat patrius Academiae, adversari semper omnibus in disputando; sed quum maxime tamen hoc significabat, eos, qui rhetores nominarentur et qui dicendi praecepta traderent, nihil plane tenere, neque posse quemquam facultatem assequi dicendi, nisi qui philosophorum inventa didicisset.

XIX. 85. Disputabant contra diserti homines Athenienses et in re publica causisque versati, in quibus erat etiam is, qui nuper Romae fuit, Menedemus, hospes meus; qui quum diceret esse quandam prudentiam, quae versaretur in perspiciendis rationibus constituendarum et regendarum rerum publicarum, excitabatur homo promptus [ab homine] abundanti doctrina et quadam incredibili varietate rerum et copia. Omnes enim partes illius ipsius prudentiae petendas esse a philosophia dicebat, neque ea, quae statuerentur in re publica de diis immortalibus,

---

centt. post Ern. — *Carniadas* Havn. A, *a*. — *Carneadas* U et Havn. B á pr. manu. Vulgo olim *Carneades*. Vide supra ad c. 11. 45.

quum maxime] Ita Z, *s*, Erl. 1. et recentt. post Ern. — *quam max*. Erf. — *quum* om. Havn. A, sed recent. manu suprascript. est: *tum al. cum*. — Vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. *tum max*.

Cap. XIX. §. 85. *excitabatur homo promptus ab homine abundanti*] In hac vulgata codd. et editionum lectione primum non aptum est verbum *excitabatur*, deinde aut diversa sunt subiecta huius verbi (Menedemus) et sequentis *dicebat* (Charmadas), aut si idem utriusque verbi subiectum Charmadas, tum laus tribuitur rhetori, quæ debetur philosopho doctissimo. Neque hoc fugit VV. DD. (vide impr. Muelleri not.); sed remediis, quæ adhibuerunt, locus non sanatur: eadem enim manet difficultas, sive cum Hotomanno legas *excipiebatur* (quam coni. a Lamb. in nott. ed. 1566 magnopere probatam exhibet margo repetitt. Lamb. 1573 sqq.), sive ex Gulielmii coni., quam egregiam dicit Orell., eum Sch. in ed. minori et Muellero *exagitabatur*. Maxime mihi quidem arridet emendatio Schuetzii in mai. editione, *ab homine* delentis.

de disciplina iuventutis, de iustitia, de patientia, de temperantia, de modo rerum omnium, ceteraque, sine quibus civitates aut esse aut bene moratae esse non possent, usquam in eorum inveniri libellis. 86. Quod si tantam vim rerum maximarum arte sua rhetorici illi doctores complecterentur, quaerebat, cur de prooemiis et de epilogis et de huiusmodi nugis (sic enim appellabat) referti essent eorum libri; de civitatibus instituendis, de scribendis legibus, de aequitate, de iustitia, de fide, de frangendis cupiditatibus, de conformandis hominum moribus, litera in eorum libris nulla inveniretur, 87. Ipsa vero praecepta sic illudere solebat, ut ostenderet, non modo eos illius expertes esse prudentiae, quam sibi asciscerent, sed ne hanc quidem ipsam dicendi rationem ac viam nosse. Caput enim esse arbitrabatur oratoris, ut et ipsis, apud quos ageret, talis, qualem se ipse optaret, videretur; id fieri vitae dignitate, de qua nihil rhetorici isti doctores in praeceptis suis reliquissent; et uti eorum, qui audirent, sic afficerentur animi, ut eos affici vellet orator; quod item fieri nullo modo posse, nisi cognovisset is, qui diceret, quot modis hominum mentes et quibus rebus et quo genere orationis in quamque partem moverentur; haec autem esse penitus in media philosophia retrusa atque abdita, quae isti

---

§. 87. *uti eorum, qui — animi*] *uti ii* (v. *hi*), *qui* Z, *α*, *γ*, Havn. B, Erf. — *ut qui* Havn. A et *δ* (in quo tamen *ii* post *ut* additum est recentiore manu). — *uti qui β*, Ald., Iunt., Crat., Man. — *animis* Havn. uterq., Z, *α*, *γ*, *δ*, Erf., Ald., Iunt., Crat., Man.

quod item] *quod idem* Harl. 2, *γ*, edd. antiquiss., prob. Pearc., recepit Olsh. — *quod ita* Steph., Lamb. — *quod autem* Havn. B.

nisi cognovisset is] Unice veram hanc lectionem, quam servavit solus Erf., a Madvigio monitus restitui. — Vulgo: *nisi cognosceret is*. Frequentissime a librariis confunduntur *cognosset* et *cognosceret* (ut c. 20. 93. Lott.), *cognosse* et *cognoscere* (ut c. 21. 94. Erf, Hahn).

rhetores ne primoribus quidem labris attigissent. 88. Ea Menedemus exemplis magis quam argumentis refellere conabatur. Memoriter enim multa ex orationibus Demostheni praeclare scripta pronuntians dicebat, illum in animis vel iudicum vel populi in omnem partem dicendo permovendis, non fuisse ignarum, quibus ea rebus consequeretur, quae negaret ille sine philosophia quemquam scire posse.

XX. 89. Huic ille respondebat: non se negare Demosthenem summam prudentiam summamque vim habuisse dicendi; sed sive ille hoc ingenio potuisset, sive, id quod constaret, Platonis studiosus audiendi fuisset, non quid ille potuisset, sed quid isti docerent esse quaerendum. 90. Saepe etiam in eam partem ferebatur oratione, ut omnino disputaret nullam artem esse dicendi; idque quum argumentis docuerat, quod ita nati essemus, ut et blandiri et suppliciter

---

§. 88. *Demostheni*] Sic Pith. et Z a pr. manu. — Vulgo omnes *Demosthenis*; cfr. infra ad II. c. 22. 93. Priscian. VI. p. 706 = p. 258 Krehl.: *Et sciendum, quod in huiuscemodi nominibus, quando tertiae sunt, frequentissime veteres dativum* (hoc falsum est) *proferunt pro genitivo, Aristoteli, Demostheni, Thucydidi, Euripidi pro Aristotelis etc. ponentes.* Cfr. Ellendt ad Brut. 7. 28. p. 26, Madvig ep. ad Or. p. 21 sq.

Cap. XX. §. 89. *Huic ille respondebat*] Sic Erf. exhibere videtur, et sic edd. antiquiss., Ern., Sch., Harl., Olsh. — *huic respondebat* vulgo codd. (etiam Havn. A) et edd. inde ab Ald. et Iunt. — *Hic respondebat* Mead., δ, Havn. B, Man. — *hic ille resp.* Mueller e coni., non ex uno cod. Ox., ut putavit Or., qui eum secutus est.

id quod constaret, Platonis] Cic. Orat. 4. 15. dicit, ex Demosthenis epistolis intelligi licere, quam frequens fuerit Platonis auditor. Cfr. Cic. Brut. 31. 121. Quintil. XII. 2. 22, 10. 24.

§. 90. *quum argumentis docuerat — nitebatur*] Sic *quum* in prodosi usurpatur cum plusqperf. indicat., sequente imperf. ind., de actione sæpe iterata, atque idem valet ac: quoties docuerat, tum niti solebat; cfr. Zumpt. Gr. § 579 ed. 5tæ. Eodem modo ponitur perf. ind., sequente præsenti, ut II. 6. 24. *quum* (h. e. quoties) *huc veni — delectat.*

blandiri et suppliciter insinuare iis] Sic vulgo post Ald.;

insinuare iis, a quibus esset petendum, et adversarios minaciter terrere possemus et rem gestam exponere et id, quod intenderemus, confirmare et id, quod contra diceretur, refellere et ad extremum deprecari aliquid et conqueri; quibus in rebus omnis oratorum versaretur facultas; et quod consuetudo exercitatioque et intelligendi prudentiam acueret et eloquendi celeritatem incitaret: tum etiam exemplorum copia nitebatur. 91. Nam primum, quasi dedita opera neminem scriptorem artis ne mediocriter quidem disertum fuisse, dicebat, quum repeteret usque a Corace, nescio quo, et Tisia, quos artis illius inventores et principes fuisse constaret; eloquentissimos autem homines, qui ista nec didicissent nec omnino scire curassent,

---

Codd. et edd. antiquiss. admodum variant: *blandiri et subtiliter insinuare iis* Pal. pr., Memm. alter *(insinuari)*, Erl. 2. *(his)*, Steph., quod aptum videtur Sch. et Harl. — *blandiri suppliciter et subtiliter insinuare iis* aliquot Lamb. — *blandiri suppliciter iis* (v. *his*), *a quibus* Pall. reliqui, *a*, *δ* (qui om. *a*), Havn. uterq., Guelf. B, C, edd. antiquiss., Lamb. — *blandiri et subtiliter quibus esset* Z, Guelf. A, Erl. 1, Erf. — *blandiri subtiliter insinuari iis* U, *s* (in cuius marg. *blandiri simpliciter his quibus)*; alii aliter, sed magis corrupte. — *Insinuare* pro *insinuare nos*; cfr. Manut. ad ep. ad Fam. IV. 13. 3.

§. 91. *Corace — Tisia*] Syracusanis. Cic. Brut. 12. 46. *Itaque ait Aristoteles, quum, sublatis in Sicilia tyrannis, res privatæ longo intervallo iudiciis repeterentur* (post eiectum Thrasybulum, Syracusarum tyrannum, Ol. LXXVIII, 3 = a. Chr. 466), *tum primum — artem et præcepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse.* Cfr. Quintil. II. 17. 7, III. 1. 8, Schol. Iliad. IX. 443, Spengel artium scriptores, Stuttgart. 1828, p. 23 sqq. *Κόρακος τέχνην* commemorat Aristot. Rhet. II. 24, et *τεχνογράφος* dicitur a Syriano in Hermog., Rhetor. Ald. fol. 240; Tisiæ, Coracis discipuli, *τέχνη* commemoratur a Luciano Pseudolog. c. 30, T. III. p. 187. Reitz.; utriusque *τέχνη* Schol. in Aphthon. progymn. MS. ap. Spengel l. c. p. 226.

scire curassent] Sic Havn. uterq., Norf., *α*, edd. antiquiss., Lamb., Pearc., Ern., Harl., Mueller, Or. — *scisse curassent* plerique codd., vulgo olim inde ab Ald. et Iunt. et ex recentt. Sch. et Olsh. Sed, ut observat Matth., hoc est potius poetarum seculi Augustei, quam Ciceronis.

innumerabiles quosdam nominabat; in quibus etiam (sive ille irridens, sive quod ita putaret atque ita audisset) me in illo numero, qui illa non didicissem et tamen (ut ipse dicebat) possem aliquid in dicendo, proferebat. Quorum ego illi alterum facile assentiebar, nihil me didicisse; in altero autem me illudi ab eo aut etiam ipsum errare arbitrabar. 92. Artem vero negabat esse ullam, nisi quae cognitis penitusque perspectis et in unum exitum spectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur. Haec autem omnia, quae tractarentur ab oratoribus, dubia esse et incerta, quum et dicerentur ab iis, qui ea omnia non plane tenerent, et audirentur ab iis, quibus non scientia esset tradenda, sed exigui temporis aut falsa aut certe obscura opinio. 93. Quid multa? sic mihi tum persuadere videbatur, neque artificium ullum esse dicendi, neque quemquam posse, nisi qui illa, quae a doctissimis hominibus in philosophia dicerentur, cognosset, aut callide aut copiose dicere. In quibus di-

---

in illo numero] *in eo numero* Guelf. B, C, edd. antiquiss. (de Hahn. nihil adnotatur). — *in numero* Havn. B. — Hæc vocc. delenda censebat Lamb., delevit Sch., verum sine causa. Quod dixerat: *in quibus*, id iam post parenthesin repetit verbis: *in illo numero*. Vide supra ad c. 12. 53 et 17. 75; cfr. Beier ad Tullianam §. 39 p. 52 sq.

§. 92. *opinio*] Post h. voc. edd. antiquiss. præter Hahn. addunt: *immittenda*.

§. 93. *In quibus dicere Charmadas solebat*] Sic post Ern. recentt. — Vulgo codd. et edd. post Ald. et Iunt.: *quibus dicere Carneades solebat*. Sed *Charmadas* est in Havn. A., Harl. 1, Z, α et Erl. 1. — *in quibus Carneades solebat* (om. *dicere*) edd. antiquiss. — *quibus Carn. solebat* s. — *Carn. solebat* (om. etiam *in quibus*) Havn. uterq., δ et Waldarf. — *quibus Carn. dicere solebat* Erf. — Coniecturas VV. DD. vide apud Or. — Tum *admirari* (pro *admirans*) Erl. uterq., s, Erf., edd. antiquiss., Steph. — Denique pro *in audiendo* edd. antiquiss. præter Hahn. *in dicendo*, quod etiam Lamb. legend. arbitrabatur. Equidem haud multum absum, quin probem edd. antiquissimarum lectionem: *in quibus Charmadas solebat ingenium tuum, Crasse, vehementer admirari: me sibi etc.*

cere Charmadas solebat, ingenium tuum, Crasse, vehementer admirans, me sibi perfacilem in audiendo, te perpugnacem in disputando esse visum.

XXI. 94. Itaque ego, hac eadem opinione adductus, scripsi etiam illud quodam in libello, qui me imprudente et invito excidit et pervenit in manus hominum, *disertos* me cognosse nonnullos, *eloquentem* adhuc neminem; quod eum statuebam disertum, qui posset satis acute atque dilucide apud mediocres homines ex communi quadam opinione hominum dicere; eloquentem vero, qui mirabilius et magnificentius augere posset atque ornare, quae vellet, omnesque omnium rerum, quae ad dicendum pertinerent, fontes animo ac memoria contineret. Id si est difficile nobis, qui ante, quam ad discendum ingressi sumus, obruimur ambitione et foro, sit tamen in re positum atque natura. 95. Ego enim, quantum auguror coniectura, quantaque ingenia in nostris hominibus esse video, non despero fore aliquem aliquando, qui et studio acriore, quam nos sumus atque fuimus, et otio ac facultate discendi maiore ac maturiore et labore atque industria superiore, quum se ad audiendum, legendum scribendumque dederit, exsistat talis

---

Cap. XXI. 94. *Itaque ego*] Sic meliores codd., velut U, Z, Guelf. A, Erl. uterq., Erf., et sic ediderunt Sch., Harl., Olsh. — Vulgo codd. et edd. post Ald. *tumque ego*. — *tum ego δ*, edd. antiquiss.

quodam in libello] In libello *de ratione dicendi*, quem exilem iudicat Cicero Brut. 44. 163; cfr. Orat. 5. 18. Alterum huius libelli fragm. exstat ap. Quintil. III. 6. 45; cfr. Ellendt prolegg. p. LXVII sq.

§. 95. *dederit*] Sic Pal. sec., Gallicani (duo Lambini codd.), Havn. uterq., Guelf. B, C, Z, δ, Erl. uterq., Erf., edd. antiquiss., Steph., Lamb., Sch., Olsh. — *dediderit* Pal. pr., α, β, γ, ε et vulgo post Ald. et Iunt. — Ante hoc voc. *maiore opera* addunt Havn. uterq., Guelf. B, (*in mai. opera* Guelf. C) α, β, γ, δ, ε, edd. antiquiss. et præter Steph. omnes ante Grut.

orator, qualem quaerimus, qui iure non solum disertus, sed etiam eloquens dici possit; qui tamen mea sententia aut hic est iam Crassus, aut, si quis pari fuerit ingenio pluraque quam hic et audierit et lectitarit et scripserit, paullum huic aliquid poterit addere.

96. Hoc loco Sulpicius, Insperanti mihi, inquit, et Cottae, sed valde optanti utrique nostrum cecidit, ut in istum sermonem, Crasse, delaberemini. Nobis enim huc venientibus iucundum satis fore videbatur, si, quum vos de rebus aliis loqueremini, tamen nos aliquid ex sermone vestro memoria dignum excipere possemus; ut vero penitus in eam ipsam totius huius vel studii vel artificii vel facultatis disputationem paene intimam perveniretis, vix optandum nobis videbatur. 97. Ego enim, qui ab ineunte aetate incensus essem studio utriusque vestrum, Crassi vero etiam amore, quum ab eo nusquam discederem, verbum ex eo nunquam elicere potui de via ac ratione dicendi, quum et per memet ipsum egissem et per Drusum saepe tentassem; quo in genere tu, Antoni, (vere loquar) nunquam mihi percontanti aut quaerenti aliquid defuisti, et persaepe me quae soleres in dicendo observare docuisti. 98. Nunc quoniam uterque vestrum patefecit earum rerum ipsarum aditum, quas quaerimus, et quoniam princeps Crassus eius sermonis ordiendi fuit, date nobis hanc veniam, ut ea,

---

§. 96. *perveniretis*] Sic plerique codd. et edd. inde ab antiquiss. usque ad Grut., Mueller, Or. — *veniretis* Vet. Steph., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh. Quod Or. sic aliquot edd. vett. habere ait, in eo eum errare puto.

§. 97. *de via ac ratione*] Ita Gonv., Lott., Pearc. (qui exemplis hanc lectionem confirmat), item Or., qui laudat Markland. ad Stat. p. 312. — *de via ac de rat.* Man. — *ac via ac rat.* Erf. — *de vi ac rat.* vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. — *de vi ac de rat.* Havn. uterq., Ald.

quae sentitis de omni genere dicendi, subtiliter persequamini. Quod quidem si erit a vobis impetratum, magnam habebo, Crasse, huic palaestrae et Tusculano tuo gratiam, et longe Academiae illi ac Lyceo tuum hoc suburbanum gymnasium anteponam.

XXII. 99. Tum ille, Immo vero, inquit, Sulpici, rogemus Antonium, qui et potest facere id, quod requiris, et consuevit, ut te audio dicere. Nam me quidem fateor semper a genere hoc toto sermonis refugisse et tibi cupienti atque instanti saepissime negasse, ut tute paullo ante dixisti. Quod ego non superbia neque inhumanitate faciebam, neque quo tuo studio rectissimo atque optimo non obsequi vellem, praesertim quum te unum ex omnibus ad dicendum maxime natum aptumque cognossem, sed mehercule istius disputationis insolentia atque earum rerum, quae quasi in arte traduntur, inscitia.

Cap. XXII. §. 99. *fateor — ut tute*] Sic Norf., Cant., Gonv., Mead., Harl. uterq., Erl. 2, edd. antiquiss., Man., Steph., Pearc. et recentt. post Ern. — *fateor* et *ut* om. Oxx. omnes, Havn. uterq., Erl. 1, Erf. al., Ald., Iunt., Grut. — *et fateor* Lamb., qui deinceps om. *ut*.

quæ quasi in arte traduntur] Sic Pith., Memm. alter, Pal. pr. *(traderentur)*, sec. *(tradentur)*, Cant., Harl. uterq., Gonv., Norf., *Z*, *β*, *γ*, *ε*, Erl. uterq., Erf., Hahn., Lamb. et recentt. post Schuetz. — *quæ quasi traduntur in arte α*, *δ*, U *(tradentur)*, Havn. uterq., et sic vulgo inde ab Ald. et Iunt. — *quæ quasi traduntur arte* reliquæ edd. antiquiss. — *in arte* om. Memm. alter, prob. Grut. — Tum pro *inscitia* nonnulli codd. apud Grut., U, Erl. uterq., Lamb. exhibent *inscientia*, quod h. l. præferendum videtur Orellio. Verum non tam inscientiam artis profitetur Crassus, cuius præcepta se didicisse fatetur (c. 31. 137, cll. c. 47. 205), quam negat, se ea, quæ ad artem pertineant, ita percepta habere, ut *scite* et *recta ratione* explicare possit (cfr. 36. 165). Contra infra c. 46. 203 recte legitur *inscientiam* (*inscitiam* Steph.), quum ibi non de arte loquatur Crassus, sed de divini oratoris vi, quam ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse negat. De differentia inter *inscitiam* et *inscientiam* disseruerunt Goerenz ad I. Fin. 14. 46 et Gernhard in excursu ad Cic. Cat. mai.

100. Tum Cotta: Quoniam id, quod difficillimum nobis videbatur, ut omnino de his rebus, Crasse, loquerere, assecuti sumus, de reliquo iam nostra culpa fuerit, si te, nisi omnia, quae percontati erimus, explicaris, dimiserimus.

101. De iis credo rebus, inquit Crassus, ut in cretionibus scribi solet, QUIBUS SCIAM POTEROQUE.

Tum ille: Nam quod tu non poteris aut nescies, quis nostrum tam impudens est, qui se scire aut posse postulet?

---

§. 101. *de iis credo*] Sic Havn. A, Man., Mueller, Or. — Vulgo codd. et edd. *de his credo*. Vide infra ad II. 1. 2.

ut in cretionibus] Hæc Franc. Duareni coniectura (lib. II. Disp. Annivers. c. 42), quam recepit Lamb., confirmatur auctoritate codd. Z, Erl. 1 et Erf. a pr. manu, et sic vulgo editur post Grut. Proxime accedunt Havn. uterq., Pal. tert., quart., sext., sept., β, in quibus *critionibus*. Ex librariorum ignorantia monstra illa nata sunt: *certioribus* Vet. Steph., Lambini codd. aliquot, Pal. pr., sec., α, δ, Guelf. B, C. — *certionibus* codd. aliquot Lamb., Pith., Erl. 2. — *ictionibus* marg. α. — *cautionibus* ε, Monach. ap. Harl. (in cuius marg. *creationibus*). — *crassionibus* Guelf. A. — *orationibus* Erf. ex correct. et Hahn. — *Crassi orationibus* ex MSS. adnot. a Lamb. — *inquit Crassus in conditionibus* ed. s. l. et a., Med. 1, Ven., Lott. — *ut in conditionibus* Med. 2 et sic vulgo olim inde ab Ald. et Iunt. — De *cretione* Gaius Instt. comm. II. 164 sq.: *Extraneis heredibus solet cretio dari, id est, finis deliberandi, ut intra certum tempus vel adeant hereditatem, vel, si non adeant, temporis fine submoveantur; ideo autem cretio appellata est, quia cernere est quasi decernere et constituere. Quum ergo ita scriptum sit: HERES TITIUS ESTO, adiicere debemus: CERNITOQUE IN CENTUM DIEBUS PROXUMIS, QUIBUS SCIES POTERISQUE. QUODNI ITA CREVERIS, EXHERES ESTO* etc. Gaii editores conferri iubent Isidor. Origin. V. 24 et Ulpian. fragm. tit. XXII. §. 27.

Nam quod tu] H. e. nihil aliud scire cupimus; nam quod tu etc. In transitione et occupatione particulam *nam*, ut Gr. *γάρ*, omissæ sententiæ rationem reddere constat; imprimis vero in responsis simpliciter affirmantibus aut negantibus omittitur affirmatio aut negatio, et responsi causa per *nam* vel *enim* indicatur; cfr. II. 10. 40, Brut. 41. 152. Idem valet, ubi responsum proficiscitur non ex interrogatione, sed ex eo, quod ab altero observatum est; sic Orat. II. 53.

Iam vero ista conditione, dum mihi liceat negare posse quod non potero, et fateri nescire quod nesciam, licet, inquit Crassus, vestro arbitratu percontemini.

102. Atque, inquit Sulpicius, hoc primum ex te, de quo modo Antonius exposuit, quid sentias, quaerimus: existimesne artem aliquam esse dicendi.

Quid? mihi nunc vos, inquit Crassus, tanquam alicui Graeculo otioso et loquaci et fortasse docto atque erudito, quaestiunculam, de qua meo arbitratu loquar, ponitis? Quando enim me ista curasse aut cogitasse arbitramini, et non semper irrisisse potius eorum hominum impudentiam, qui, quum in schola assedissent, ex magna hominum frequentia dicere iuberent, si quis quid quaereret? 103. Quod primum ferunt Leontinum fecisse Gorgiam, qui permagnum quiddam suscipere ac profiteri videbatur, quum se ad omnia, de quibus quisque audire vellet, esse paratum denuntiaret. Postea vero vulgo hoc facere coeperunt, hodieque faciunt, ut nulla sit res, neque tanta, neque tam improvisa, neque tam nova, de qua

---

144, ubi Mueller male putat leg. esse *iam hercle.* Plura exempla vide ap. Ramshorn. Gr. p. 563 sqq.

§ 103. *Leontinum — Gorgiam*] Cfr. Platon. Gorg. p. 447. C. Cicero idem narrat infra III. 32. 129 et II. Fin. 1. init. Gorgias Leontinus, unus e celeberrimis sophistis, qui Socratis ætate vixerunt, Empedoclis discipulus fuisse fertur. Ol. LXXXVIII. 2 (a. Chr. 427) Athenas a Leontinis missus, ut Atheniensium auxilium adversus Syracusanos imploraret, non solum mandatum præclare confecit, sed etiam tantam admirationem eloquentia excitavit, ut quum scholam aperiret, quamvis magna mercede (centum minis) doceret, multi ad eum audiendum confluerent. Platon. Hipp. mai. p. 282. B., Pausan. VI. 17. 4, Diodor. Sic. XII. 53, Suidas h. v. Cfr. Foss de Gorgia Leontino comment. Hal. 1828., Ritter Gesch. d. Phil. alter Zeit I. p. 592 sqq. De aurea statua a cuncta Græcia Delphis Gorgiæ posita vide Orat. III. 32. 129 ibiq. intt.

se non omnia, quae dici possint, profiteantur esse dicturos. 104. Quod si te, Cotta, arbitrarer, aut te, Sulpici, de iis rebus audire velle, adduxissem huc Graecum aliquem, qui vos istiusmodi disputationibus delectaret; quod ne nunc quidem difficile factu est. Est enim apud M. Pisonem, adolescentem iam huic studio deditum, summo hominem ingenio nostrique cupidissimum, peripateticus Staseas, homo nobis sane familiaris et, ut inter homines peritos constare video, in illo suo genere omnium princeps.

XXIII. 105. Quem tu mihi, inquit Mucius, Staseam, quem peripateticum narras? Gerendus est tibi mos adolescentibus, Crasse, qui non Graeci alicuius quotidianam loquacitatem sine usu neque ex scholis cantilenam requirunt, sed ex homine omnium sapientissimo atque eloquentissimo atque ex eo, qui non in libellis, sed in maximis causis et in hoc domicilio imperii et gloriae sit consilio linguaque princeps, cuius vestigia persequi cupiunt, eius sententiam

---

quae dici possint] Sic Guelf. A, Erl. uterq., Erf., et sic recte edidit Harless; relativa enim sententia ad accus. cum infinit. necessario pertinet. — *possent* Z, *e*. — Vulgo *possunt*.

§. 104. *M. Pisonem — Staseas*] *M. Pupius Piso Calpurnianus iisdem temporibus fuit, quibus Cicero, sed tanto aetate maior, ut adolescentulum Ciceronem pater ad eum deduceret, quod in eo et antiquae vitae similitudo et multae erant litterae. Orator quoque melior, quam frequentior habitus est. Biennio tamen serius quam Cicero consul fuit* (a. U. 693 = a. Chr. 61, cum M. Valerio Messala). *Triumphavit pro consule de Hispanis Q. Hortensio Q. Metello Cretico coss.* (a. U. 685 = 69 a. Chr.) *ante Ciceronis consulatum.* Ascon. ad Pison. 26. Cfr. Cic. Brut. 67. 236 ibiq. Ellendt et 90. 310, Madvig de Ascon. p. 70. not. Graecis doctrinis eruditus Peripateticorum scholae se dedit (Brut. 67. 236, I. N. D. 7. 16 alibi), magistro usus *Stasea Neapolitano*, quem multos annos apud se habebat (V. Fin. 3. 8, 25. 75). Itaque a Cicerone libro quinto de Finib. peripateticam de F. B. sententiam explicans inducitur.

Cap. XXIII. §. 105. *vestigia persequi cupiunt, eius*] *vest. persequi qui cup., eius* Erf. — *vestig. qui* persequi cup. eius Erl. uterq., edd. antiquiss., Iunt., Crat., Cockm., e correctione

sciscitantur. 106. Equidem te quum in dicendo semper putavi deum, tum vero tibi nunquam eloquentiae maiorem tribui laudem quam humanitatis; qua nunc te uti vel maxime decet, neque defugere eam disputationem, ad quam te duo excellentes ingeniis adolescentes cupiunt accedere.

107. Ego vero, inquit, istis obsequi studeo, neque gravabor breviter meo more, quid quaque de re sentiam, dicere. Ac primum illud (quoniam auctoritatem tuam negligere, Scaevola, fas mihi esse non puto) respondeo, mihi dicendi aut nullam artem aut pertenuem videri, sed omnem esse contentionem inter homines doctos in verbi controversia positam. 108. Nam si ars ita definitur, ut paullo ante exposuit Antonius, ex rebus penitus perspectis planeque cognitis atque ab opinionis arbitrio seiunctis scientiaque comprehensis: non mihi videtur ars oratoris esse ulla. Sunt enim varia et ad vulgarem popularemque sensum accommodata omnia genera huius forensis nostrae dictionis. 109. Sin autem ea, quae observata sunt in usu ac tractatione dicendi, haec ab hominibus callidis ac peritis animadversa ac notata, verbis designata, generibus illustrata, partibus distributa sunt (id quod fieri potuisse video): non intelligo, quamobrem non, si minus illa subtili definitione, at hac vulgari opinione, ars esse videatur. Sed sive est ars sive artis quaedam similitudo, non est ea

---

minime necessaria; recte enim observavit Lambinus, *eius* positum esse propter hyperbaton et longam interpositionem, quum præcesserit *ex homine*.

§. 106. *excellentes ingeniis*] Sic Pal. pr., sec., Pith., Memm. uterq., Guelf. A, U, Z, Erl. 2 a pr. manu, Erf., Havn. A a sec. manu (*excellentes* etiam Erl. 1), Sch. in ed. mai. — *excellentis ingenii* vulgo. — *excellentes ingenii (!)* Harless.

§. 109. *ac tractatione*] Ita Havn. uterq., U, Guelf. A, B, C, Erl. 1, Erf., Erl. 2 e correct., Ald., Sch., Harl., Mueller, Or. — *ac ratione* vulgo inde ab antiquiss. edd.

quidem negligenda; verum intelligendum est, alia quaedam ad consequendam eloquentiam esse maiora.

XXIV. 110. Tum Antonius vehementer se assentiri Crasso dixit, quod neque ita amplecteretur artem, ut ii solerent, qui omnem vim dicendi in arte ponerent, neque rursum eam totam, sicut plerique philosophi facerent, repudiaret. Sed existimo, inquit, gratum te his, Crasse, facturum, si ista exposueris, quae putas ad dicendum plus quam ipsam artem posse prodesse.

111. Dicam equidem, quoniam institui, petamque a vobis, inquit, ne has meas ineptias efferatis; quamquam moderabor ipse, ne ut quidam magister atque artifex, sed quasi unus e togatorum numero atque ex forensi usu homo mediocris neque omnino rudis, videar, non ipse a me aliquid promisisse, sed fortuito in sermonem vestrum incidisse. 112. Equidem quum peterem magistratus, solebam in prensando

---

Cap. XXIV. §. 110. *his, Crasse, facturum*] Sic plerique codd., Steph, Lamb., Grut. sqq., Ern, Olsh. — *his esse, Crasse, facturum* Havn. A, Hahn., Ald., Iunt., Crat., Man., Sch., Harl., Or. — *his esse fact.* (om. *Crasse*) ceteræ edd. antiquiss. — *his, Cr., esse fact.* Havn. B, Mueller.

§. 111. *non ipse a me aliquid promisisse*] *Non* delendum censet Matthiae, quum præcesserit *ne*; sed recte vindicant Mueller et Or. (quamquam hic non satis bono argumento). Est ἀνακολουθίας genus, ita solvendum et explicandum: *ne ut quidam — sed quasi unus — videar dicere, atque ut videar, non ipse — sed fortuito* etc.; cfr. Gernhard ad Offic. excurs. p 448 et ad Cat. mai. 3. 7. — Tum *a me aliquid* Erf., Lamb., Mueller, Or. — *aliquid a me* vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. — Denique *promisisse* Norf., Mead., Harl. 1. Caut., U, *Z*, *β*, *γ*, *δ*, *ε*, Guelf. A, C, Erl. uterq., Havn. A a pr. manu et B a secunda, edd. antiquiss. (præter Lott.), Sch., Mueller, Or. — *promsisse* Erf., *α*, al., Lott. et vulgo inde ab Ald. et Iunt. — *aliquid de me promisisse* leg. esse suspicatur Pearcius.

§. 112. *magistratus*] Sic vulgo ante Ern. — *magistratum* Havn. uterq., Erl. uterq., Erf., edd. antiquiss. et recentt. post Ern., qui singularem numerum hic requiri contendunt, quod Valer. Max. IV. 5. 4 eandem rem narrans dicit: con-

dimittere a me Scaevolam, quum ei ita dicerem, me velle esse ineptum; id erat petere blandius, quod nisi inepte fieret, bene non posset fieri; hunc autem esse hominem unum ex omnibus, quo praesente ego ineptum me esse minime vellem; quem quidem nunc mearum ineptiarum testem et spectatorem fortuna constituit. Nam quid est ineptius, quam de dicendo dicere, quum ipsum *dicere* nunquam sit non ineptum, nisi quum est necessarium?

Perge vero, Crasse, inquit Mucius; istam enim culpam, quam vereris, ego praestabo.

XXV. 113. Sic igitur, inquit Crassus, sentio, naturam primum atque ingenium ad dicendum vim afferre maximam; neque vero istis, de quibus paullo ante dixit Antonius, scriptoribus artis rationem dicendi et viam, sed naturam defuisse. Nam et animi atque ingenii celeres quidam motus esse debent,

---

sulatum petens L. Crassus; cfr. Mamertin. Gratt. Actio c. 16. Sed, ut nihil dicam de huius argumenti infirmitate, *magistratus* sic nude κατ' ἐξοχὴν de consulatu nusquam usurpatur, nec quisquam audientium vel legentium id voc. h. l. ita intelligere potuit. De candidatorum laboribus Mamertin. l. c.: *Ediscenda omnium nomina tribuum, omnes atque singuli salutandi, prehensandae obviorum manus, omnibus arridendum; non solum cum infimis, sed etiam cum ignotis familiaritatis imago simulanda, multaque alia propter honorem agenda, quae alias virum honore dignum facere non deceret.*

hominem unum] Sic Harl. 2, *y*, Erl. 2, Lamb., Pearc., Mueller, Or. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *unum hominem.* — *hunc autem semper iudicavi hominem unum ex omnibus* Erl. 2 et cod. commemoratus ab Arntzenio ad Mamertin. Panegyr. c. 2, et sic, addito *esse* ante *hominem*, ediderunt Sch. et Mueller. *Hunc autem semper esse unum hominem ex omn. iudicavi* iam Steph. Sed bene Matthiae in progr. Altenb. 1807 edito: "Coniunctivi illi *quod nisi — fieret, bene non posset*, et hæc constructio accusativi cum infinitivo rem a Crasso tantummodo cogitatam indicant."

ineptum me esse] Ita U, Steph., Lamb., Or. — *ineptum esse me* Guelf. A, Erl. uterq., Erf., Sch., Harl., Olsh. Cfr. Heusing. ad III. Off. 22. p. 542. — *me ineptum esse* censor Lips. ed. Schuetzianæ mai. et Mueller. — *ineptus esse* vulgo codd. et edd.

qui et ad excogitandum acuti et ad explicandum ornandumque sint uberes et ad memoriam firmi atque diuturni; 114. et si quis est, qui haec putet arte accipi posse (quod falsum est; praeclare enim se res habeat, si haec accendi aut commoveri arte possint; inseri quidem et donari ab arte non possunt; omnia sunt illa dona naturae): quid de illis dicet, quae certe cum ipso homine nascuntur? linguae solutio, vocis sonus, latera, vires, conformatio quaedam et figura totius oris et corporis? 115. Neque haec ita dico, ut ars aliquid limare non possit (neque enim ignoro, et quae bona sint, fieri meliora posse doctrina, et quae non optima, aliquo modo acui tamen et corrigi posse); sed sunt quidam aut ita lingua haesitantes, aut ita voce absoni, aut ita vultu motuque corporis vasti atque agrestes, ut, etiamsi ingeniis atque arte valeant, tamen in oratorum numerum venire non possint. Sunt autem quidam ita in iisdem rebus habiles, ita naturae muneribus ornati, ut non nati, sed ab aliquo deo ficti esse videantur. 116. Magnum quoddam est onus atque munus, suscipere atque profiteri, se esse omnibus silentibus unum maximis de rebus magno in conventu hominum audiendum. Adest enim fere nemo, quin acutius atque acrius vitia in dicente quam recta videat. Ita quidquid est, in

---

Cap. XXV. §. 114. *omnia sunt illa dona naturae*] Sic U. Vulgo *enim* ante *illa* interponitur, sed vario distinguitur: *omnia sunt enim illa* etc. Cant., Harl. uterq., Z, Erl. 1. (in quibus voc. *omnia* maiuscula littera scribitur), Waldarf., Ascens., Iunt., Crat., Pearc., Harl., Mueller, Or. — Reliqui: *omnia; sunt enim illa.* — Ern. delendum putavit *omnia*, Sch. totum locum delevit.

§. 116. *vitia in dicente quam recta videat*] *vitia iudicet, quam recta videat* Z, β, γ, δ, ε, Erl. 2. — *vitia indicet, quam r. vid.* Erl. 1, Erf. (*ind. vitia*). — *vitia iudicet, quam ea laudet, quae recta videat* edd. antiquiss.; in Hahn. tamen verba *quam ea laudet* omissa sunt.

quo offenditur, id etiam illa, quae laudanda sunt, obruit. 117. Neque haec in eam sententiam disputo, ut homines adolescentes, si quid naturale forte non habeant, omnino a dicendi studio deterream. Quis enim non videt, C. Caelio, aequali meo, magno honori fuisse, homini novo, illam ipsam, quamcunque assequi potuerit, in dicendo mediocritatem? Quis vestrum aequalem, Q. Varium, vastum hominem atque foedum, non intelligit illa ipsa facultate, quamcunque habet, magnam esse in civitate gratiam consecutum?

XXVI. 118. Sed quia de oratore quaerimus, fingendus est nobis oratione nostra detractis omnibus vitiis orator, atque omni laude cumulatus. Neque enim, si multitudo litium, si varietas causarum,

---

§. 117. *C. Caelio*] *C. Caelius Caldus* cos. a. U. 660 (a. Chr. 94) cum L. Domitio Ahenobarbo. De eius eloquentia Brut. 45. 165. Pro *homini novo* Vet. Steph., U, Z, Harl. 1, Erl. uterq., Havn. A a sec. manu *omnino*, quod recepit Pearcius. Sed hominem novum fuisse Caelium, etiam pro Murena 8. 17 et Verr. V. 70. 181. significatur.

vestrum æqualem] Sic duo Steph., Gonv., Harl. 2, *a*, Havn. A, Ald., et sic recte Pearc. et post Ern. recentt. — Vulgo olim *vestrum, æqualem meum*; cfr. Brut. 49. 182: *æquales propemodum fuerunt C. Cotta, P. Sulpicius, Q. Varius.* — *Q. Varius*, Sucrone, Hispaniæ oppido, natus (Quintil. V. 12. 10, Valer. Max. III. 7. 8, Aurel. Victor de VV. Illustr. 72), propter obscurum ius civitatis Hybrida cognominatus. *Italico bello exorto* (a. U. 663 = 91 a. Chr.), *quum ob sociis negatam civitatem nobilitas in invidia esset* (cfr. Orat. III. 2. 8), *Varius trib. plebis legem tulit, ut quæreretur de iis, quorum opera consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent*: Ascon. ad Scaur. p. 133 Beier.; cfr. Valer. Max. VIII. 6. 4, Appian. B. Civ. I. 37; qua lege multi in iudicium vocati sunt, ut M. Æmil. Scaurus (cfr. ad I. 49. 214), M. Antonius (Tusc. II. 24. 57), C. Cotta (cfr. ad I. 7. 25), alii. Ab eodem Drusum ferro, Metellum veneno sublatum esse, suspicio erat (Cic. III. N. D. 33. 81). Sed a. U. 664 (90) ipse sua lege damnatus, quum in sociorum manus incidisset exsul, summo cruciatu periit: Brut. 89. 306, N. D. l. c., Valer. Max. VIII. 6. 4. Cfr. Elleudt ad Brut. 62. 221 p. 159 sq. et Beier ad Scaur. p. 133 sq. De eius eloquentia Cic. Brut. 62. 221.

si haec turba et barbaria forensis dat locum vel vitiosissimis oratoribus, idcirco nos hoc, quod quaerimus, omittemus. Itaque in iis artibus, in quibus non utilitas quaeritur necessaria, sed animi libera quaedam oblectatio, quam diligenter et quam prope fastidiose iudicamus? Nullae enim lites neque controversiae sunt, quae cogant homines, sicut in foro non bonos oratores, item in theatro actores malos perpeti. 119. Est igitur oratori diligenter providendum, non uti illis satisfaciat, quibus necesse est, sed ut iis admirabilis esse videatur, quibus libere liceat iudicare. Ac si quaeritis, plane, quid sentiam, enuntiabo apud homines familiarissimos, quod adhuc semper tacui et tacendum putavi. Mihi etiam qui optime dicunt quique id facillime atque ornatissime facere possunt, tamen, nisi timide ad dicendum accedunt et in exordienda oratione perturbantur, paene impudentes videntur; tametsi id accidere non potest; 120. ut enim quisque optime dicit, ita maxime dicendi difficultatem variosque eventus orationis hominumque exspectationem pertimescit. Qui vero nihil potest dignum re, dignum nomine oratoris, dignum hominum auribus efficere atque edere, is mihi, etiamsi commovetur in dicendo, tamen impudens videtur. Non enim pudendo, sed non faciendo id, quod non decet, impudentiae nomen effugere debemus. 121. Quem vero non pudet (id quod in plerisque video), hunc ego non reprehensione solum, sed etiam poena dignum puto. Equidem et in vobis animadvertere soleo, et in me ipso saepissime experior, ut exalbe-

---

Cap. XXVI. §. 119. *etiam qui optime dicunt*] Sic Havn. uterq., Goerenzii cod. (ad V Fin. 31. 93), Steph., Lamb., Mueller, Olsh., Or. — *etiam quoque qui opt. dic.* s, Erf., Hahn. — *etiam quoque opt. dic.* Vet. Steph., Z, Erl. uterq. — *etiam quique opt. dic.* vulgo inde ab antiquiss. edd. — *etiam qui quam opt. dic.* Sch., Harl.

scam in principiis dicendi et tota mente atque omnibus artubus contremiscam. Adolescentulus vero sic initio accusationis exanimatus sum, ut hoc summum beneficium Q. Maximo debuerim, quod continuo consilium dimiserit, simulac me fractum ac debilitatum metu viderit.

122. Hic omnes assensi significare inter sese et colloqui coeperunt. Fuit enim mirificus quidam in Crasso pudor, qui tamen non modo non obesset eius orationi, sed etiam probitatis commendatione prodesset.

XXVII. Tum Antonius, Saepe, ut dicis, inquit, animadverti, Crasse, et te et ceteros summos oratores, quamquam tibi par mea sententia nemo unquam fuit, in dicendi exordio permoveri. 123. Cuius quidem rei quum causam quaererem, quidnam esset, cur, ut in quoque oratore plurimum esset, ita maxime is pertimesceret, has causas inveniebam duas: unam, quod intelligerent ii, quos usus ac natura docuisset, nonnunquam summis oratoribus non satis ex sententia eventum dicendi procedere; ita non iniuria, quotiescunque dicerent, id, quod aliquando posset accidere, ne tum accideret, timere. 124. Altera est

---

§. 121. *Adolescentulus vero*] XXI annos natus Crassus a. U. 635 (a. Chr. 119) C. Papirium Carbonem accusavit; vide supra ad 10. 40; cfr. II. 40. 170, III. 20. 74, Brut. 43, 159, II. Off. 13. 47 ibiq. intt. *Q. Maximus*, qui hic commemoratur, videtur esse Q. Fab. Maximus Eburnus, qui a. U. 638 (116) consulatum gessit. Is prætor quæstioni de maiestate præfuisse videtur: *consilium* autem intelligendum est de iudicibus, qui in Carbonis causa sedebant.

Cap. XXVII. §. 123. *ne tum accideret*] *tum ne accideret* Erl. 1. — *ne tum illud ipsum accideret* α, Lott., Steph., Lamb. (in δ *illud ipsum* suprascript. est). — *ne tum id ipsum acc.* Havn. A. — *ne illud ipsum acc.* Havn. B, γ, Erl. 2, reliquæ edd. antiquiss. — *ne illo ipso acc.* Z, Erf. Ex his varietatibus Madvig colligit, fortasse legend. esse: *ne tum ipsum* i. q. ne ipso illo tempore; sic *tum ipsum*, *quum* II. Fin. 20. 65, et *nunc ipsum* Att. VII. 3, VIII. 9, XII. 16, 40.

haec, de qua queri saepe soleo; ceterarum homines artium spectati et probati, si quando aliquid minus bene fecerunt, quam solent, aut noluisse aut valetudine impediti non potuisse consequi id, quod scirent, putantur; — Noluit, inquiunt, hodie agere Roscius; aut: Crudior fuit; — oratoris peccatum, si quod est animadversum, stultitiae peccatum videtur. 125. Stultitia autem excusationem non habet, quia nemo videtur, aut quia crudus fuerit aut quod ita maluerit, stultus fuisse. Quo etiam gravius iudicium in dicendo subimus. Quoties enim dicimus, toties de nobis iudicatur; et qui semel in gestu peccavit, non continuo existimatur nescire gestum; cuius autem in dicendo aliquid reprehensum est, aut aeterna in eo aut certe diuturna valet opinio tarditatis.

XXVIII. 126. Illud vero, quod a te dictum est, esse permulta, quae orator, nisi a natura haberet, non multum a magistro adiuvaretur, valde tibi assentior, inque eo vel maxime probavi summum illum doctorem, Alabandensem Apollonium, qui quum mercede doceret, tamen non patiebatur, eos, quos iudicabat non posse oratores evadere, operam apud sese perdere, dimittebatque et, ad quam quemque artem putabat esse aptum, ad eam impellere atque hortari solebat. 127. Satis est enim ceteris artificiis

§. 124. *ceterarum*] *quod ceterarum* Lamb. cod., edd. antiquiss.

Roscius] Cfr. 28. 129 sq., 29. 132. Est *Q. Roscius*, celeberrimus comoedus, familiarissimus Ciceroni, qui eius artem moresque summis laudibus sæpe ornat, v. c. pro Quint. 25. 78, Arch. 8. 17 et in ea oratione, quam pro eo habuit. Cfr. Macrob. Saturn. II. 10.

Cap. XXVIII. §. 126. *ad quam quemque artem*] Sic duo Lamb. codd., Guelf. A, Havn. A (in quo tamen *quam* rec. manu additum est in marg.), pleræque edd. antiquiss., Man., Lamb. in not., Pearc. et recentt. post Ern. — *ad quam*

percipiendis, tantummodo similem esse hominis et id, quod tradatur vel etiam inculcetur, si qui forte sit tardior, posse percipere animo et memoria custodire. Non quaeritur mobilitas linguae, non celeritas verborum, non denique ea, quae nobis non possumus fingere, facies, vultus, sonus. 128. In oratore autem acumen dialecticorum, sententiae philosophorum, verba prope poetarum, memoria iuriscousultorum, vox tragoedorum, gestus paene summorum actorum est requirendus. Quamobrem nihil in hominum genere rarius perfecto oratore inveniri potest. Quae enim singularum rerum artifices singula si mediocriter adepti sunt, probantur, ea nisi omnia summa sunt in oratore, probari non possunt.

129. Tum Crassus, Atqui vide, inquit, in artificio perquam tenui et levi quanto plus adhibeatur diligentiae, quam in hac re, quam constat esse maximam. Saepe enim soleo audire Roscium, quum ita dicat, se adhuc reperire discipulum, quem quidem probaret, potuisse neminem; non quo non essent quidam probabiles, sed quia, si aliquid modo esset vitii, id ferre ipse non posset. Nihil est enim tam insigne, nec tam ad diuturnitatem memoriae stabile, quam id, in quo aliquid offenderis. 130. Itaque ut ad hanc similitudinem huius histrionis oratoriam laudem dirigamus, videtisne, quam nihil ab eo nisi perfecte, nihil nisi cum summa venustate fiat, nihil nisi ita, ut deceat et uti omnes moveat atque delectet? Itaque hoc iamdiu est consecutus, ut, in quo quisque artificio excelleret, is in suo genere Roscius diceretur.

---

que artem Havn. B., Vet. Steph., Pall. priores, Z, *a*, Guelf. B, C, Erl. uterq., Erf. — *ad quamcunque artem* Pall. posteriores, Oxx. reliqui, Ven. et vulgo olim inde ab Aldo. — De *Apollonio* vide ad I. 17. 75.

§. 130. *is in suo*] Lamb. *is in eo*, sine dubio rectius,

Hanc ego absolutionem perfectionemque in oratore desiderans, a qua ipse longe absum, facio impudenter; mihi enim volo ignosci, ceteris ipse non ignosco; nam qui non potest, qui vitiose facit, quem denique non decet, hunc (ut Apollonius iubebat) ad id, quod facere possit, detrudendum puto.

XXIX. 131. Num tu igitur, inquit Sulpicius, me aut hunc Cottam ius civile aut rem militarem iubes discere? Nam quis ad ista summa atque in omni genere perfecta potest pervenire?

Tum ille, Ego vero, inquit, quod in vobis egregiam quandam ac praeclaram indolem ad dicendum esse cognovi, idcirco haec exposui omnia; nec magis ad eos deterrendos, qui non possent, quam ad vos, qui possetis, exacuendos accommodavi orationem meam; et quamquam in utroque vestrum summum esse ingenium studiumque perspexi, tamen haec, quae sunt in specie posita, de quibus plura fortasse dixi, quam solent Graeci dicere, in te, Sulpici, divina sunt. 132. Ego enim neminem, nec motu corporis neque ipso habitu atque forma aptiorem, nec voce pleniorem aut suaviorem mihi videor audisse; quae quibus a natura minora data sunt, tamen illud assequi possunt, ut iis, quae habent, modice et scienter utantur, et ut ne dedeceat. Id enim est maxime vitandum, et de hoc uno minime est facile praecipere, non mihi

---

quam quod vulgo legitur. Madvig coniicit: *ut, in quocunque quis artif. exc., is in suo.* In melioribus codd. lacuna est inde ab h. cap. §. 128 usque ad c. 34. §. 157. Vide Præfat.

Cap. XXIX. §. 132. *quæ habent*] Ita Havn. uterq., Guelf. C, Erl. 1, Hahn., Ven., Sch., Harl., Mueller, Or. — *q. habebant* Med. utraq., Lott. — *q. haberent* Guelf. B. — *habeant* fortasse ed. s. l. et a. et vulgo inde ab Ald.

id enim est] *id est enim* voluit edere Muellerus e regula Schaeferi in Præf. ad Plin. epp. p. XI sqq.; sed vide Frotscher. ad Quintil. X. p. 69.

modo, qui sicut unus paterfamilias his de rebus loquor, sed etiam ipsi illi Roscio, quem saepe audio dicere, caput esse artis decére, quod tamen unum id esse, quod tradi arte non possit. 133. Sed, si placet, sermonem alio transferamus et nostro more aliquando, non rhetorico, loquamur.

Minime vero, inquit Cotta. Nunc enim te iam exoremus necesse est, quoniam retines nos in hoc studio, nec ad aliam dimittis artem, ut nobis explices, — quidquid est istud, quod tu in dicendo potes; neque enim sumus nimis avidi; ista tua mediocri eloquentia contenti sumus, — idque ex te quaerimus (ut ne plus nos assequamur, quam quantulum tu in dicendo assecutus es), quoniam, quae a natura expetenda sunt, ea dicis non nimis deesse nobis, quid praeterea esse assumendum putes.

XXX. 134. Tum Crassus arridens, Quid censes, inquit, Cotta, nisi studium et ardorem quendam amoris? sine quo quum in vita nihil quidquam egregium, tum certe hoc, quod tu expetis, nemo unquam assequetur. Neque vero vos ad eam rem video esse cohortandos, quos, quum mihi quoque sitis molesti, nimis etiam flagrare intelligo cupiditate. 135. Sed profecto studia nihil prosunt perveniendi aliquo, nisi illud, quod eo, quo intendas, ferat deducatque, cognoris. Quare quoniam mihi levius quoddam onus imponitis, neque ex me de oratoris arte, sed de hac mea, quantulacunque est, facultate quaeritis, exponam

---

§. 133. *quidquid est istud*] "Non iungenda sunt: *ut nobis explices, quidquid est istud*, sed, *ut nobis explices, quid praeterea esse assumendum putes*, et sensus priorum verborum repetitur verbis *idque ex te quaerimus*, ita tamen, ut his verba interposita continuentur." Matthiae de anacoluthis ap. Cicer. in F. A. Wolfii Litt. Analekten II. p. 8.

vobis quandam non aut perreconditam aut valde difficilem aut magnificam aut gravem rationem consuetudinis meae, qua quondam solitus sum uti, quum mihi in isto studio versari adolescenti licebat.

136. Tum Sulpicius, O diem, Cotta, nobis, inquit, optatum! quod enim neque precibus unquam nec insidiando nec speculando assequi potui, ut, quid Crassus ageret meditandi aut dicendi causa, non modo videre mihi, sed ex eius scriptore et lectore Diphilo suspicari liceret, id spero nos esse adeptos, omniaque iam ex ipso, quae diu cupimus, cogituros.

XXXI. 137. Tum Crassus: Atqui arbitror, Sulpici, quum audieris, non tam te haec admiraturum, quae dixero, quam existimaturum, tum, quum ea audire cupiebas, causam cur cuperes non fuisse. Nihil enim dicam reconditum, nihil exspectatione vestra dignum, nihil aut inauditum vobis aut cuiquam novum. Nam principio illud, quod est homine ingenuo liberaliterque educato dignum, non negabo me ista omnium communia et contrita praecepta didicisse: 138. primum, oratoris officium esse, dicere ad persuadendum accommodate; deinde, esse omnem orationem aut de infinitae rei quaestione sine designatione personarum et temporum, aut de re certis in personis ac temporibus locata. 139. In utraque autem re quidquid in controversiam veniat, in eo quaeri

---

Cap. XXX. §. 135. *quandam non aut perreconditam*] Sic Lamb. in not. et in marg. repett. Lamb. (omisso tamen *aut*) et recentt. post Grut. — Vulgo codd. et edd. *non quandam aut perrec.* et sic edere voluit Olsh., sed operarum vitio excidit *non*.

§. 136. *scriptore et lectore Diphilo*] Servo aut liberto Crassi. *Scriptores* servi litterati vocabantur ii, qui dictantis verba stilo excipiebant, cfr. Brut. 22. 87 sq.; *lectores* s. *anagnostæ* ii, quibus ad libros prælegendos utebantur Romani; cfr. II. 55. 223, ad Fam. V. 9, Att. I. 12, Plin. epp. I. 15. IX. 17.

solere, aut factumne sit, aut, si est factum, quale sit, aut etiam quo nomine vocetur, aut, quod nonnulli addunt, rectene factum esse videatur. 140. Exsistere autem controversias etiam ex scripti interpretatione, in quo aut ambigue quid sit scriptum, aut contrarie, aut ita, ut a sententia scriptum dissentiat; his autem omnibus partibus subiecta quaedam esse argumenta propria. 141. Sed causarum, quae sint a communi quaestione seiunctae, partim in iudiciis versari, partim in deliberationibus; esse etiam genus tertium, quod in laudandis aut vituperandis hominibus poneretur; certosque esse locos, quibus in iudiciis uteremur, in quibus aequitas quaereretur; alios in deliberationibus, qui omnes ad utilitatem dirigerentur eorum, quibus consilium daremus; alios item in laudationibus, in quibus ad personarum dignitatem omnia referrentur. 142. Quumque esset omnis oratoris vis ac facultas in

---

Cap. XXXI. §. 140. *controversias ex scripti interpretatione*] Vide infra II. 26 et de Invent. II. 40 sqq., ubi hæc exempla afferuntur: 1) *ambigui: heres meus uxori meæ vasorum argenteorum pondo centum, quæ volet, dato,* in quibus, *quæ volet,* ambiguum est, ad heredem an ad uxorem referendum sit; 2) *contrarii,* quum inter se duæ videntur leges aut plures discrepare: "Lex est: *qui tyrannum occiderit, olympionicarum præmium capito et quam volet sibi rem a magistratu deposcito et magistratus ei concedito;* et altera lex: *tyranno occiso, quinque eius proximos cognatione magistratus necato.* Iam Alexandrum Pheræum uxor sua occidit; hæc filium suum sibi in præmii loco deposcit; sunt, qui ex lege puerum occidi dicant oportere: res in iudicio est." — 3) Controversiæ *ex scripto et sententia* natæ exemplum peti potest ex causa Curiana, lib. II. 32. 141 sq. et alibi commemorata. Cfr. Auct. ad Herenn. I. 11 sqq.

dissentiat] Sic omnes codd., de quorum quidem scriptura constet, et edd. antiquiss. Vulgata lectio *dissideat* ex Aldi correctione fluxisse videtur.

§. 141. *æquitas quæreretur*] Sic Crat., Strebæus, Pearc. et recentt. post Ern. Vulgo codd. et edd. inde ab antiquissimis *æquitas quæritur.* De *locis* (τόποις) s. argumentorum sedibus disputant Aristoteles et Cicero in Topicis.

§. 142. *oratoris vis*] *Eloquentiæ partes* sunt: inventio, dispositio, elocutio, memoria, pronuntiatio. Vide de Invent.

quinque partes distributa, ut deberet reperire primum, quid diceret; deinde inventa non solum ordine, sed etiam momento quodam atque iudicio dispensare atque componere; tum ea denique vestire atque ornare oratione; post memoria saepire; ad extremum agere cum dignitate ac venustate: 143. etiam illa cognoram; et acceperam, antequam de re diceremus, initio conciliandos eorum esse animos, qui audirent; deinde rem demonstrandam; postea controversiam constituendam; tum id, quod nos intenderemus, confirmandum; post, quae contra dicerentur, refellenda; extrema autem oratione ea, quae pro nobis essent, amplificanda et augenda, quaeque essent pro adversariis, infirmanda atque frangenda.

XXXII. 144. Audieram etiam, quae de orationis ipsius ornamentis traderentur; in qua praecipitur primum ut pure et latine loquamur; deinde ut plane et dilucide; tum ut ornate; post ad rerum dignitatem apte et quasi decore; singularumque rerum praecepta cognoram. 145. Quin etiam, quae maxime propria essent naturae, tamen his ipsis artem adhiberi videram. Nam de actione et de memoria quaedam brevia, sed magna cum exercitatione praecepta gustaram. In his enim fere rebus omnis istorum artificum doctrina versatur; quam ego si nihil dicam adiuvare, mentiar. Habet enim quaedam quasi ad commonendum oratorem, quo quidque referat et quo intuens ab eo, quodcunque sibi proposuerit, minus aberret. 146. Verum ego hanc vim intelligo

---

I. 7. 9, Auct. ad Herenn. I. 2. 3, Quintil. III. 3 init. cfr. de Orat. II. 19. 79.

§. 143. *antequam de re diceremus*] *Orationis partes* h. l. commemorantur sex: exordium, narratio, partitio s. divisio, confirmatio, reprehensio s. confutatio, conclusio s. peroratio. Vide de Invent. I. 14 sqq., Auct. ad Herenn. I. 3 sqq.; cfr. de Orat. II. 19. 79 sq. ibiq. adnott.

esse in praeceptis omnibus, non ut ea secuti oratores eloquentiae laudem sint adepti, sed, quae sua sponte homines eloquentes facerent, ea quosdam observasse atque † id egisse; sic esse non eloquentiam ex artificio, sed artificium ex eloquentia natum; quod tamen, ut ante dixi, non eiicio; est enim, etiamsi minus necessarium ad bene dicendum, tamen ad cognoscendum non illiberale. 147. Et exercitatio quaedam suscipienda vobis est; quamquam vos quidem iampridem estis in cursu; sed iis, qui ingrediuntur ad stadium quique ea, quae agenda sunt in foro, tamquam in acie, possunt etiam nunc exercitatione quasi ludicra praediscere ac meditari.

148. Hanc ipsam, inquit Sulpicius, nosse volumus; attamen ista, quae abs te breviter de arte decursa sunt, audire cupimus, quamquam sunt nobis

---

Cap. XXXII. §. 146. *atque id egisse*] Sic omnes codd. et vulgo edd.; sed vix sana est lectio. Felicissima mihi videtur Gesneri et Schuetzii coniectura: *atque digessisse*, quam receperunt Mueller et Olsh., probavit Or. — *atque delegisse* Man. — *atque in artem redegisse* Lamb. — *atque ad artem redegisse* susp. Ern. — *atque idem egisse* Pearc.

§. 147. *Et exercitatio*] Ita Lott., Streb., Ern., Sch., Harl., Olsh., Or. — Vulgo codd. et edd. *ea exercit.* — *at exercit.* ed. Lips. Thanneri, quod unice verum putat Mueller in dissert. de his libb p. 20; idem tamen in editione e coni. *etiam exercit.* — *eius exercit.* Man. — *præterea exercit.* Lamb. ex libris quibusdam, eumque secutus est Pearcius. — *ad ea exerc.* Havn. A, sed manu secunda, ut videtur.

sed iis] Ita cod. Lamb., Havn. A (*his* Havn. B), nec dissentire videntur reliqui codd. plerique, et sic vulgo editur inde ab Ald. et Iunt. — *sed ii* Erl. 1, edd. antiquiss. (*hi* Hahn.), Ern.

ad stadium] Sic Guelf. B, C, Med. 2, Lott., Crat., Man., Lamb., Mueller, Or. — *ad studium* Havn. uterq., Pall. omnes, Oxx. omnes (teste Cockm.), Erl. 1, reliquæ edd. antiquiss., Ald., Iunt., Steph. — *in stadium* Lambini cod., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh. — De vocc. *stadium* et *studium* a librariis confusis cfr. Spalding. Quintil. Vol. I. Præf. p. LXXIX, Ellendt ad Brut. p. 167 sq.

§. 148. *attamen*] *ac tamen* Havn. uterq., Guelf. B, C, et sic Sch. in ed. mai., Harl. et Olsh.

quoque non inaudita. Verum illa mox; nunc, de ipsa exercitatione quid sentias, quaerimus.

XXXIII. 149. Equidem probo ista, Crassus inquit, quae vos facere soletis, ut, causa aliqua posita consimili causarum earum, quae in forum deferuntur, dicatis quam maxime ad veritatem accommodate; sed plerique in hoc vocem modo, neque eam scienter, et vires exercent suas, et linguae celeritatem incitant verborumque frequentia delectantur. In quo fallit eos, quod audierunt, dicendo homines, ut dicant, efficere solere. 150. Vere enim etiam illud dicitur, perverse dicere homines perverse dicendo facillime consequi. Quamobrem in istis ipsis exercitationibus, etsi utile est etiam subito saepe dicere, tamen illud utilius, sumpto spatio ad cogitandum paratius atque accuratius dicere. Caput autem est, quod, ut vere dicam, minime facimus (est enim magni laboris, quem plerique fugimus), quam plurimum scribere. Stilus optimus et praestantissimus dicendi effector ac magister; neque iniuria. Nam si subitam et fortuitam orationem commentatio et cogitatio facile vincit, hanc ipsam profecto assidua ac diligens scriptura superabit. 151. Omnes enim, sive artis sunt loci sive ingenii cuiusdam atque prudentiae, qui modo insunt in ea re, de qua scribimus, inquirentibus nobis omnique acie ingenii contemplantibus osten-

---

Cap. XXXIII. §. 149. *ad veritatem accommodate*] H. e., ut vera res et causa, non ficta, agi videatur. Vide Matth. ad or. pro Rosc. Amer. 16. 48; cfr. Orat. I. 34. 157, 51. 220, II. 23. 94 ibiq. adnott.

quod audierunt] Græcorum illud dictum: ἐκ τοῦ λέγειν τὸ λέγειν πορίζεται.

§. 151 *inquirentibus*] Ita Havn. B, Oxx. omnes, Guelf. C, Erl. 1 a pr. manu, item C. Iul. Victor Art. rhet. p. 116 Maii, Ven., Ald., Iunt., Crat., Man., Steph. Cfr. Gernhard ad I. Off. 3. 9. p. 14, Beier ad I. Off. 30. 105. p. 229. — *anquirentibus* Havn. A, Erl. 1 a sec. manu, pleræque edd.

dunt se et occurrunt; omnesque sententiae verbaque omnia, quae sunt cuiusque generis maxime illustria, sub acumen stili subeant et succedant necesse est; tum ipsa collocatio conformatioque verborum perficitur in scribendo, non poetico, sed quodam oratorio numero et modo. 152. Haec sunt, quae clamores et admirationes in bonis oratoribus efficiunt, neque ea quisquam, nisi diu multumque scriptitarit, etiamsi vehementissime se in his subitis dictionibus exercuerit, consequetur. Et qui a scribendi consuetudine ad dicendum venit, hanc affert facultatem, ut, etiam subito si dicat, tamen illa, quae dicantur, similia scriptorum esse videantur; atque etiam, si quando in dicendo scriptum attulerit aliquid, quum ab eo discesserit, reliqua similis oratio consequetur. 153. Ut, concitato navigio, quum remiges inhibuerunt, retinet

---

antiquiss., Lamb. et vulgo post Grut. — Idem Iul. Victor paullo infra: *quæ sunt cuiusque generis maxime propria, maxime illustria — perspicitur in scribendo.*

§. 153. *quum remiges inhibuerunt*] Sic vulgo codd. et edd. (nisi quod Erl. 1 *adhibuerunt* et edd. antiquiss. *inhibuerint*). Sed Lambinus e Passeratii coniectura edidit *sustinuerunt*, eumque secutus est Pearcius. Movit eos, quod Cicero ad Atticum scribit lib. XIII. ep. 21. 4: *INHIBERE illud tuum, quod valde mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum. Quamquam id quidem sciebam; sed arbitrabar, sustineri remos, quum inhibere essent remiges iussi. Id non esse eiusmodi, didici heri, quum ad villam nostram navis appelleretur. Non enim sustinent, sed alio modo remigant. Id ab ἐποχῇ remotissimum est. Quare facies, ut ita sit in libro, quemadmodum fuit* (Cicero in aliquo Academicorum loco ἐπέχειν primo *sustinere* interpretatus erat, deinde autem ab Attico admonitus *inhibere* probaverat). — *Inhibitio autem remigum motum habet et vehementiorem quidem remigationis, navem convertentis ad puppim.* Sed observandum est, hanc epistolam annis fere decem post editos de Oratore libros scriptam esse, ac tum demum de vera huius voc. significatione nautica certiorem factum esse Ciceronem; unde patet, Ciceronem, non librarios, corrigere, qui h. l. *sustinuerunt* reponant. Ceterum de locutionibus: *inhibere remos* et *inhibere remis* cfr. Gronov. Observ. IV. 26, Spalding ad Quintil. XII. prooem. 4.

tamen ipsa navis motum et cursum suum, intermisso impetu pulsuque remorum: sic in oratione perpetua, quum scripta deficiunt, parem tamen obtinet oratio reliqua cursum, scriptorum similitudine et vi concitata.

XXXIV. 154. In quotidianis autem commentationibus equidem mihi adolescentulus proponere solebam illam exercitationem maxime, qua C. Carbonem, nostrum illum inimicum, solitum esse uti sciebam, ut aut versibus propositis quam maxime gravibus, aut oratione aliqua lecta ad eum finem, quem memoria possem comprehendere, eam rem ipsam, quam legissem, verbis aliis quam maxime possem lectis pronuntiarem. Sed post animadverti, hoc esse in hoc vitii, quod ea verba, quae maxime cuiusque rei propria quaeque essent ornatissima atque optima, occupasset aut Ennius, si ad eius versus me exercerem, aut Gracchus, si eius orationem mihi forte proposuissem: ita, si iisdem verbis uterer, nihil prod-

---

Cap. XXXIV. §. 154. *commentationibus*] Sic Manut. et recentt. post Sch. — *condcionibus* Erl. 1. — *concionibus* Havn. B, superscripta glossa *exercitationibus*. — *concitationibus* Pall. Gruteri et Oxx. omnes, Guelf. B, C, Havn. A, edd. antiquiss. — *concertationibus* Steph., Lamb. — *cogitationibus* Ald., Iunt., Crat., Grut., Ern. — *exercitationibus* ed. Lips. Thanneri. — De *C. Carbone* vide ad I. 10. 40.

aut Ennius — aut Gracchus] *Q. Ennius*, poeta celeberrimus, Rudiis, Campaniae urbe, natus a. U. 515 (239 a. Chr.), v. Brut. 18. 72, I. Tusc. 1. 3, Gell. N. A. XVII. 21, obiit a. U. 585 (169), Brut. 20. 78. Scripsit Annalium libros XVIII, tragoedias, alia. Vid. Baehr Geschichte d. Röm. Litteratur p. 78 sqq. *Gracchos* eloquentissimos fuisse constat; cfr. supra 9. 38. H. l. intelligendus est *C. Gracchus*, qui Ti. fratrem maiorem eloquentia superavit, cuiusque orationes, quae permultae olim exstabant, saepe a scriptoribus antiquis laudantur; Cicero Brut 33. 126. hunc oratorem prae ceteris legendum esse iuventuti censet; in scholis rhetoricis lectas fuisse eius orationes etiam post Ciceronis tempora, discimus ex Gell. XI. 13 aliorumque scriptorum locis, quos attulit Ellendt prolegg. p. XLV. *Ti. Gracchi* orationes (Cic. Brut. 27. 104) neglectas fuisse, ostendit Ellendt l. c. p. XXXIX.

esse; si aliis, etiam obesse, quum minus idoneis uti consuescerem. 155. Postea mihi placuit, eoque sum usus adolescens, ut summorum oratorum Graecas orationes explicarem. Quibus lectis hoc assequebar, ut, quum ea, quae legeram Graece, Latine redderem, non solum optimis verbis uterer et tamen usitatis, sed etiam exprimerem quaedam verba imitando, quae nova nostris essent, dum modo essent idonea.

156. Iam vocis et spiritus et totius corporis et ipsius linguae motus et exercitationes non tam artis indigent quam laboris; quibus in rebus habenda est ratio diligenter, quos imitemur, quorum similes velimus esse. Intuendi nobis sunt non solum oratores, sed etiam actores, ne mala consuetudine ad aliquam deformitatem pravitatemque veniamus. 157. Exercenda est etiam memoria ediscendis ad verbum quam plurimis et nostris scriptis et alienis. Atque in ea exercitatione non sane mihi displicet adhibere, si consueris, etiam istam locorum simulacrorumque rationem, quae in arte traditur. Educenda deinde dictio est ex hac domestica exercitatione et umbratili medium in agmen, in pulverem, in clamorem, in castra atque in aciem forensem; subeundus † usus omnium,

§. 155. *quæ legeram*] Sic Havn. B, Guelf. C, Erl. 1, *α*, *ε*, ed. s. l. et a., Hahn., Ven., Lott., Sch. in ed. mai., Harl., Olsh., Or. — *quæ legerim* Crat. — *quæ legerem* Havn. A, *β*, *γ*, *δ*, al., Med. utraq., Ald., Iunt., Lamb., Grut., Ern., Sch. in minore ed., Mueller.

§. 157. *locorum simulacrorumque rationem*] Vide Orat. II. 86 sqq.

subeundus usus omnium] Quid sibi velit indefinitum illud et vagum *usus omnium*, aut quid sit *subire usum omnium*, fateor me nescire, neque dubito, quin corruptus sit locus. Præter Erf., in quo omissum est voc. *usus*, omnes Ciceronis codd. in hac lectione consentiunt; sed Iul. Victor, qui Art. rhet. p. 119 hunc locum affert, exhibet *visus omnium*, quod Maius ad l. l. hic reponendum censet; melius Madvig, qui illud ipsum voc. coniectura eruit, legendum putat: *visus hominum (omnium* et *hominum* in MSS. frequentissime confundi

et periclitandae vires ingenii, et illa commentatio inclusa in veritatis lucem proferenda est. 158. Legendi etiam poetae, cognoscenda historia, omnium bonarum artium scriptores ac doctores et legendi et pervolutandi et exercitationis causa laudandi, interpretandi, corrigendi, vituperandi, refellendi; disputandumque de omni re in contrarias partes, et quidquid erit in quaque re, quod probabile videri possit, eliciendum [atque dicendum]. 159. Perdiscendum ius civile, cognoscendae leges, percipienda omnis antiquitas, senatoria consuetudo, disciplina rei publicae, iura sociorum, foedera, pactiones, causa imperii cognoscenda est; libandus etiam ex omni genere urbanitatis facetiarum quidam lepos, quo, tamquam sale, perspergatur omnis oratio. Effudi vobis omnia, quae sentiebam, quae fortasse, quemcunque patremfamilias arripuissetis ex aliquo circulo, eadem vobis percontantibus respondisset.

XXXV. 160. Haec quum Crassus dixisset, silentium est consecutum. Sed quamquam satis iis, qui aderant, ad id, quod erat propositum, dictum videbatur, tamen sentiebant celerius esse multo, quam ipsi vellent, ab eo peroratum.

Tum Scaevola, Quid est, Cotta? inquit, quid

---

satis constat), conferens II. 10. 41: *orator in foro atque in oculis civium constituendus*; idemque observat, eiusmodi substantiva in *us* exeuntia, quibus abstracta verbi notio significetur, etiam alibi apud Cic. inveniri, v. c. *coactu atque efflagitatu* Verr. V. 29. 75, *coniectus* p. Sest. 54. 115, *palmarum intentus* ibid. 55. 117. Dura tamen etiam haec lectio videtur, nec satis probata exemplis allatis; itaque vulgatam retinui.

§. 158. *eliciendum atque dicendum*] *eligendum* nonnulli Lamb. codd. (qui mox *atque eliciendum* pro *atque dicendum*), Pal. pr., sec., Pith., Memm., U, Z, Guelf. A, Erf., et sic edidit Steph. — Tum *atque dicendum* om. nonnulli Lamb. codd., Guelf. B, C, eiicienda putavit Lamb, eiecerunt Sch. et Harl. — Solum *dicendum* om. Havn. uterq., Pal. tert., quint., sext., sept., oct., *a*, *s*.

tacetis? nihilne vobis in mentem venit, quod praeterea a Crasso requiratis?

161. Id mehercule, inquit, ipsum attendo. Tantus enim cursus verborum fuit, et sic evolavit oratio, ut eius vim atque incitationem adspexerim, vestigia ingressumque vix viderim; et tamquam in aliquam locupletem ac refertam domum venerim, non explicata veste, neque proposito argento, neque tabulis et signis propalam collocatis, sed his omnibus multis magnificisque rebus constructis ac reconditis: sic modo in oratione Crassi divitias atque ornamenta eius ingenii per quaedam involucra atque integumenta perspexi; sed ea quum contemplari cuperem, vix adspiciendi potestas fuit. Ita neque hoc possum dicere, me omnino ignorare, quid possideat, neque plane nosse ac vidisse.

162. Quin tu igitur facis idem, inquit Scaevola, quod faceres, si in aliquam domum plenam ornamentorum villamve venisses? Si ea seposita, ut dicis, essent, tuque valde spectandi cupidus esses, non dubitares rogare dominum, ut proferri iuberet, praesertim si esset familiaris; similiter nunc petes a Crasso,

---

Cap. XXXV. §. 161. *Id mehercule*] Sic Havn. uterq., U, Z, γ, δ, ε, Guelf. A, B, C, Erl. 1, Erf., Steph., Lamb., Sch., Harl., Mueller, Olsh. — Vulgo *immo id mehercule*, quod defendunt Matth. in Misc. Crit. I. p. 676 et Or.; sed quod dicit Or., non exputari posse, cur *immo* a librariis sit insertum, inserendi causa videtur fuisse, quod librarii post interrogationem certam aliquam respondendi particulam desiderabant.

venerim] Ita omnes codd. et edd. inde ab antiquiss. — *venirem* Ern., fortasse operarum vitio; nam quod Or. etiam Gruterum sic legere adnotavit, error est.

§. 162. *si esset familiaris*] Sic Pall. aliquot, Pith., U, Z, β, Erf., pleræque edd. antiquiss. et vulgo ante Ern.; restituit Or. — *si esses fam.* Havn. uterq., Cant., Norf., Mead., Harl. 2, Gonv., α, γ, δ, ε, Erl. 1, Guelf. B, Hahn. (?), Waldarf., Pearc., Ern., Sch. Harl., Mueller, Olsh.

petes] Sic Havn. uterq., Cant., ε, Erl. 1, Guelf. C, (*potes* Guelf. B) Hahn. (?), Waldarf., vulgo inde ab Aldo usque

ut eam copiam ornamentorum suorum, quam constructam uno in loco quasi per transennam praetereuntes strictim adspeximus, in lucem proferat et suo quidque in loco collocet.

163. Ego vero, inquit Cotta, a te peto, Scaevola (me enim et hunc Sulpicium impedit pudor ab homine omnium gravissimo, qui genus huiusmodi disputationis semper contempserit, haec, quae isti forsitan puerorum elementa videantur, exquirere); sed tu hanc nobis veniam, Scaevola, da; perfice, ut Crassus haec, quae coarctavit et peranguste refersit in oratione sua, dilatet nobis atque explicet.

164. Ego mehercule, inquit Mucius, antea vestra magis hoc causa volebam, quam mea; neque enim tanto opere hanc a Crasso disputationem desiderabam, quanto opere eius in causis oratione delector; nunc vero, Crasse, mea quoque etiam causa rogo, ut, quoniam tantum habemus otii, quantum iamdiu nobis non contigit, ne graveris exaedificare id opus, quod instituisti. Formam enim totius negotii opi-

---

ad Grut.; restituit Pearc. et recentt. post Ern. — *petis* Pall. aliquot, Pith., Oxx. plerique, Guelf. A, Erf., Grut. sqq. — *petas* pleræque edd. antiquiss. — *peta* Nonius voc. *transenna*.

§. 163. *tu hanc nobis veniam, Scævola, da; perfice*] Hanc Madvigii emendationem meliores codices confirmant; nam: *tu hanc nobis veniam, Scævola, perfice* Cod. Clericanus apud Lamb., Pal. pr., sec., Metam. (V. ST.), Pith., Guelf. A, U *(profice)*, Z *(nobis hanc)*, in quibus *da* post *la* excidit. — *tu hanc nobis veniam Scævola, .. et perfice* (octo fere litterarum spatio relicto) Erf. — *tu veniam nobis da, Scævola, et perfice* Ven., Lott. — *tu nobis hoc da, Scævola; perfice* Lamb. — Vulgo: *tu hoc nobis da, Scævola, et perfice.* — *Veniam alicui dare* eo sensu, ut sit i. q. morem gerere, concedere alicui, aliquid alicuius causa facere, sæpe apud Cic. aliosque scriptores invenitur, v. c. Orat. I. 21. 98, p. Rab. Post. 12, 33, Attic. V. 21. 8; cfr. intt. ad Terent. Andr. V, 3. 30.

§. 164. *contigit*] Sic vulgo ante Grut.; restituerunt Sch., Mueller, Or. — *contingit* Havn. B, Erf., al., Grut., Ern., Harl., Olsh.

nione maiorem melioremque video, quam vehementer probo.

XXXVI. 165. Enimvero, inquit Crassus, mirari satis non queo, etiam te haec, Scaevola, desiderare, quae neque ego teneo, uti ii, qui docent, neque sunt eius generis, ut, si optime tenerem, digna essent ista sapientia ac tuis auribus.

Ain tu? inquit ille. Si de istis communibus et pervagatis vix huic aetati audiendum putas, etiamne illa negligere possumus, quae tu oratori cognoscenda esse dixisti, de naturis hominum, de moribus, de rationibus iis, quibus hominum mentes et incitarentur et reprimerentur, de historia, de antiquitate, de administratione rei publicae, denique de nostro ipso iure civili? Hanc enim ego omnem scientiam et copiam rerum in tua prudentia sciebam inesse; in oratoris vero instrumento tam lautam supellectilem nunquam videram.

166. Potes igitur, inquit Crassus, (ut alia omittam innumerabilia et immensa et ad ipsum tuum ius civile veniam) oratores putare eos, quos multas horas exspectavit, quum in campum properaret, et ridens et stomachans Scaevola, quum Hypsaeus maxima voce,

---

Cap. XXXVI. §. 166. *omittam innumerabilia et immensa*] Sic Havn. A., al., edd. antiquiss. et vulgo post Grut. — *omittam, quæ sunt innum. et immensa* duo Steph. codd., cod. Dresd., Man. — *omittam, quæ sunt immensa* Havn. B, Z, *α*, *β*, *γ*, *ε*, Ald., marg. Crat., Steph., Lamb.

quos multas horas exspectavit]. "Nimirum, dum perorarent, ab iis se detineri passus est" Matth. in Misc. Crit. I. p. 677; cfr. Heindorf ad Horat. Sat. I. 5. 9. Nihil igitur opus est coniectura Purgoldi *spectavit*. — Hanc causam a. U. 627 aut 628 actam esse, inde concludi potest, quod Cn. Octavius dicitur *homo consularis*, Hypsæus non item. *Cn.* enim *Octavius* consul fuit a. U. 626 (128) cum T. Annio Lusco Rufo; *M. Plautius Hypsæus* cos. a. U. 629 (125) cum M. Fulvio Flacco. — Scævola, qui hic commemoratur, videtur fuisse *P. Mucius Scæv.*, Pontif. Max., Quinti Mucii Scævolæ, Pont. Max., pater, cons. a. U. 621 (133). *M. Crassus* (fortasse is,

plurimis verbis, a M. Crasso praetore contenderet, ut ei, quem defendebat, causa cadere liceret; Cn. autem Octavius, homo consularis, non minus longa oratione recusaret, ne adversarius causa caderet, ac ne is, pro quo ipse diceret, turpi tutelae iudicio atque omni molestia stultitia adversarii liberaretur?

167. Ego vero istos, inquit, (memini enim mihi narrare Mucium) non modo oratoris nomine, sed ne foro quidem dignos putarim.

Atqui non defuit illis patronis, inquit Crassus, eloquentia, neque dicendi ratio aut copia, sed iuris civilis prudentia; quod alter plus lege agendo petebat, quam quantum lex in XII tabulis permiserat; quod quum impetrasset, causa caderet; alter iniquum putabat plus secum agi, quam quod esset in actione, neque intelligebat, si ita esset actum, litem adversarium perditurum.

---

qui appellatus est ἀγέλαστος, Cic. V Fin. 30. 92, Plin. H. N. VII. 18) ex iis, quæ supra allata sunt, prætor fuit a. U. 627 aut 628.

§. 167. *quod alter plus etc.*] Duodecim tabb. lex *actionem adversus tutorem in duplum* decernebat (Digest. XXVI. tit. 7. l. 55. §. 1), h. e. si quis per tutelam fraudasset quempiam, duplo furtum lueret. Hypsæus, pupilli patronus, lege agendo plus duplo postulabat, ignorans videlicet, ex iure civili eum, qui plus, quam lex permitteret, aut quam debitum esset, peteret, causa cadere (Cic. Invent. II. 19. 57, pro Rosc. Com. 4. 10, Gaius IV. 53, Institt. IV. 6 §. 33). Itaque si Octavius in ius venisset atque actione data probasset, iusto plus postulari, tutorem mulcta et turpi tutelæ iudicio liberasset; infamis enim existimabatur, qui tutelæ aut societatis aut mandati aut depositi iudicio victus discesserat (Cic. p. Cæcin. 3. 7). Sed is, iuris civilis non magis peritus, quam Hypsæus, hoc solum a prætore contendit, ne formulam daret, qua plus peteretur, quam quod esset *in actione* h. e. in ipsius legis formula (cfr. Gaius IV. 11).

quod esset] Sic codd. plerique (etiam Havn. uterq.) et edd. usque ad Gruterum; restituerunt Mueller et Or. — *quod erat* Vet. Steph., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh.

XXXVII. 168. Quid? his paucis diebus, nonne, nobis in tribunali Q. Pompeii, praetoris urbani, familiaris nostri, sedentibus, homo ex numero disertorum postulabat, ut illi, unde peteretur, vetus atque usitata exceptio daretur, CUIUS PECUNIAE DIES FUISSET? quod petitoris causa comparatum esse non intelligebat, ut, si ille infitiator probasset iudici, ante petitam esse pecuniam, quam esset coepta deberi, petitor, rursus quum peteret, ne exceptione excluderetur, QUOD EA RES IN IUDICIUM ANTEA VENISSET. 169. Quid ergo hoc fieri turpius aut dici po-

Cap. XXXVII. §. 168. *nobis in tribunali Q. Pompeii — sedentibus*] In tribunali una cum prætore sedisse videntur eius amici et quos sibi in consilium advocaverat. Cfr. Brut. 84. 290 et quæ attulit Ern. in clav. v. *tribunal.* — *Q. Pompeius* videtur esse Q. Pompeius Rufus, qui a. U. 666 (88) cum Sulla consul fuit.

postulabat, ut ille etc.] Petitor *ante diem* postulavit pecuniam alicui creditam; itaque si patronus eius, unde peteretur, iudici probasset, pecuniam tum, quum peteretur, non deberi (s. ante solutionis diem petitam esse), causa cecidisset petitor, et quum postea rursus peteret, hac exceptione excludi posset: *quod ea res in iudicium antea venisset;* eandem enim rem bis in iudicium venire non licebat (Digest. XLIV. tit. 2). Hoc non faciebat debitoris patronus, sed postulabat, ut ei, unde peteretur, hæc exceptio daretur: *ea pecunia ageretur, cuius pecuniæ dies fuisset*, h. e. ut petitori eam tantum pecuniam petere liceret, cuius solvendæ nunc tempus esset; neque sciebat, hanc exceptionem s. præscriptionem esse *pro actore* h. e. petitori prodesse, ita ut nunc quidem causa reiiceretur, postea autem, quum dies venisset, petitor eam in iudicium referre posset.' Hanc nostri loci sententiam esse, apparet ex Gaii Instit. Comm. IV. §. 131 sqq. Cfr. A. Schweppe Römische Rechtsgeschichte und Rechtsalterthümer (2te Ausg. Goetting. 1826) §. 559 p. 807 et Heffter Observv. ad Gaii libr. IV. (Berol. 1827. 4) Cap. 23 p. 109 sq. Hinc simul patet, cum Havn. utroq., Erl. 1, Guelf. B, C, α, β, γ, δ, ε, Ald., Iunt., Crat., Man., Lamb., Muellero et Orellio legendum esse: *ne exceptione excluderetur*, quamvis boni codd., v. c. Pall. duo, Mem., Pith., Z, quos sequuntur edd. antiquiss., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh., *ne* omittant; item deinceps Pall. duos, Mem., Pith., Z, Erf., plerasque edd. antiquiss., Man., Lamb., Grut. et recentt. post Ern. recte exhibere *antea venisset.* — *antea non venisset* Havn. uterq., α, β, γ, δ, ε, Erl. 1, Guelf. B, C, Hahn., Ald., Iunt., Crat.

test, quam eum, qui hanc personam susceperit, ut amicorum controversias causasque tueatur, laborantibus succurrat, aegris medeatur, afflictos excitet, hunc in minimis tenuissimisque rebus ita labi, ut aliis miserandus, aliis irridendus esse videatur? 170. Equidem propinquum nostrum, P. Crassum illum Divitem, quum multis aliis in rebus elegantem hominem et ornatum, tum praecipue in hoc efferendum et laudandum puto, quod, quum P. Scaevolae frater esset, solitus est ei persaepe dicere, neque illum in iure civili satis illi arti facere posse, nisi dicendi co-

---

§. 170. *propinquum nostrum*, *P. Crassum*]. *P. Licinius Crassus Mucianus Dives* Pontif. Max., P. Mucii filius, a. U. 623 (131) consul fuit cum L. Valerio Flacco atque sequente anno in bello adversus Aristonicum periit; v. Liv. epit. 59, Vell. Paterc. II. 4; cfr. Ascon. ad Scaur. 144 sq. Beier., Valer. Max. III. 2. 12. De eius eloquentia et iuris peritia v. Brut. 26, 98, cfr. Or. I. 56, 239 sq. Eius frater *P. Mucius Scævola* cos. a. U. 621 (133), pater erat *Q. Mucii Scævolæ* Pontif. Max., qui a. U. 659 (95) cum Crasso consul fuit. Propinquum suum dicit Crassus, quod P. Crassus adoptione in gentem Liciniam transierat; vide Ellendt ad Brut. l. c., qui tamen in prolegg. p. LXVIII miro errore P. Crassum hunc Mucianum nostri Crassi patrem facit!

quum multis aliis in rebus] *quum multis* Guelf. A, Oxx. plerique (*quoniam* Erf. frequenti confusione; vide Wunder. VV. LL. codicis Erf. Præf. p. XCVIII sqq.), al., Steph., Lamb., Grut., Ern., Sch., Olsh., Or. — *et multis* Havn. uterq., Guelf. B, C, Norf., Mead., Harl. 2, Cant., *α*, *γ*, Erl. 1, edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man., Pearc., Mueller. — Deinde *aliis in rebus* Havn. uterq., Norf., Mead., Harl. 2, Ald., Iunt., Crat., Man., Lamb., Pearc., Mueller, Olsh., Or. — *in* om. Cant., Oxx., ut videtur, omnes, Erl. 1, Guelf. A, B, C, Erf., edd. antiquiss., Grut., Ern., Sch., Harl.

tum præcipue — efferendum] *tum præcipue* Lamb., Ern., Sch., Harl., Olsh., Or. — om. *tum* Erl. 1, Erf., Guelf. A, C, Oxx. plerique, edd. antiquiss., Grut. sqq. — *et præcipue* Havn. uterq., Norf., Mead., Harl. 2, Cant., *α*, *γ*, Guelf. B, Ald., Iunt., Crat., Man., Mueller. — *Efferendum* *α*, edd. antiquiss., marg. Crat., Man., Lamb., Pearc., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *ferendum* plerique codd. (etiam Havn. uterq.), Ald., Iunt., Crat., Grut., Ern., Harl.

satis illi arti facere] Sic omnes codd. et vulgo edd. — Vocc. *illi arti* uncis incluserunt Ern., Harl., Or., eiecerunt Sch., Mueller, Olsh.

piam assumpsisset (quod quidem hic, qui mecum consul fuit, filius eius, est consecutus), neque se ante causas amicorum tractare atque agere coepisse, quam ius civile didicisset. 171. Quid vero ille M. Cato? nonne et eloquentia tanta fuit, quantam illa tempora atque illa aetas in hac civitate ferre maximam potuit, et iuris civilis omnium peritissimus? Verecundius hac de re iamdudum loquor, quod adest vir in dicendo summus, quem ego unum oratorem maxime admiror; sed tamen idem hoc semper ius civile contempsit. 172. Verum, quoniam sententiae atque opinionis meae voluistis esse participes, nihil occultabo et, quoad potero, vobis exponam, quid de quaque re sentiam.

XXXVIII. Antonii incredibilis quaedam et prope singularis et divina vis ingenii videtur, etiamsi hac scientia iuris nudata sit, posse se facile ceteris armis prudentiae tueri atque defendere. Quamobrem hic nobis sit exceptus; ceteros vero non dubitabo primum inertiae condemnare sententia mea, post etiam impudentiae. 173. Nam volitare in foro, haerere in iure ac praetorum tribunalibus, iudicia privata magnarum rerum obire, in quibus saepe non de facto,

---

§. 171. *ille M. Cato*] *M. Porcius Cato Sapiens Censorius* (quem Cicero libro de Senectute cum Lælio et Scipione colloquentem facit), Tusculo municipio ortus, quæstor a. U. 550 (204), Brut. 15. 60, Liv. 29. 25; prætor a. U. 556 (198), consul a. U. 559 (195) cum L. Valerio Flacco, censor a. U. 570 (184) cum eodem Flacco; obiit a. U. 605 (149), Brut. 16. 61. De eius vita scripserunt Corn. Nepos, Livius (qui imprimis XXXIX. 40. Catonis laudes magnifice ornat), Plutarchus et Aurel. Victor de VV. Illustr. XLVII. Accuratius de eius vita et moribus egerat Corn. Nepos in libro, qui periit, quem separatim de eo fecerat rogatu T. Pomponii Attici, vide Nep. vit. Cat. extr. De eius eloquentia et iuris prudentia Orat. III. 33. 135, Brut. 17; cfr. de Senect. 11. 38, Ellendt prolegg. p. XIX sqq.

sed de aequitate ac iure certetur, iactare se in causis centumviralibus, in quibus usucapionum, tutelarum, gentilitatum, agnationum, alluvionum, circumluvionum, nexorum, mancipiorum, parietum, luminum, stillici-

---

Cap. XXXVIII. §. 173. *in causis centumviralibus*] Centumvirale iudicium, quod a. U. 515 (239) constitutum esse putatur, ut de causis privatis, quarum nonnullae h. l. commemorantur, decerneret, centum et quinque iudicum erat, quum ex singulis tribubus terni deligerentur; v. Festus voc. *centumviralia iudicia.* De hoc iudicio exstat libellus Sibrandi Tetardi Siccamae, in Graevii thes. Vol. II. Cfr. Schweppe l. c. p. 781 et impr. Bethmann - Hollweg ueber die Competenz des Centumviralgerichts, in Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissensch. Vol. V. fasc. 3. p. 358 sqq.

usucapionum] *usucapio est adiectio* (leg. *adeptio) dominii per continuationem possessionis temporis lege definiti*, Digest. XLI. tit. 3. 3; cfr. Gaius II. 40 sqq.

gentilitatum, *agnationum*] *gentilium* hanc definitionem Scaevolae pontificis affert Cic. Top. 6. 29: *gentiles sunt*, *qui inter se eodem nomine sunt*, *qui ab ingenuis oriundi*, *quorum maiorum nemo servitutem servivit*, *quique capite non sunt deminuti.* — *Agnati sunt per virilis sexus personas cognatione iuncti*, *quasi a patre cognati: veluti frater eodem patre natus*, *fratris filius neposve ex eo*, *item patruus et patrui filius et nepos ex eo. At hi*, *qui per feminini sexus personas cognatione iunguntur*, *non sunt agnati*, *sed alias naturali iure cognati; itaque inter avunculum et sororis filium non agnatio est*, *sed cognatio* etc. Gaius I. 156 ibiq. editores. Cfr. Schweppe l. c. §. 367 sq.

alluvionum, *circumluvionum*] Gaius II. 70 sq.: *Per alluvionem videtur adiici*, *quod ita paullatim flumen agro nostro adiicit*, *ut aestimare non possimus*, *quantum quoquo momento temporis adiiciatur; hoc est*, *quod vulgo dicitur*, *per alluvionem id adiici videri*, *quod ita paullatim adiicitur*, *ut oculos nostros fallat. Quodsi flumen partem aliquam ex tuo praedio detraxerit et ad meum praedium attulerit*, *haec pars tua manet.* — De *circumluvione* idem agit §. 72 his verbis: *At si in medio flumine insula nata sit*, *haec eorum omnium est*, *qui ab utraque parte fluminis prope ripam praedia possident; si vero non sit in medio flumine*, *ad eos pertinet*, *qui ab ea parte*, *quae proxima est*, *iuxta ripam praedia habent.*

nexorum, *mancipiorum*] Varro de L. L. VII. p. 382 Spengel.: *Nexum Mamilius* (s. *Manilius*: vide ad I. 58. 246) *scribit omne quod per libram et aes geritur*, *in quo sint mancipia; Mucius*, *quae per aes et libram fiant*, *ut obligentur*, *praeterquam [quod] mancipio detur. Hoc verius esse*, *ipsum verbum ostendit*, *de quo quaerit; nam idem*, *quod obligatur per libram*, *neque suum fit*, *inde nexum dictum.* Igitur h. l. *nexum* strictiore sensu accipiendum est de obligatione per

diorum, testamentorum [ruptorum aut ratorum] ceterarumque rerum innumerabilium iura versentur, quum omnino, quid suum, quid alienum, quare denique civis aut peregrinus, servus aut liber quispiam sit, ignoret, insignis est impudentiae. 174. Illa vero deridenda arrogantia est, in minoribus navigiis rudem esse se confiteri; quinqueremes aut etiam maiores gubernare didicisse. Tu mihi quum in circulo de-

---

æs et libram facta (cfr. III. 40. 159), qua res ita traditur, ut is, qui recipiat, rei dominus non fiat, quo in genere est id, quod pignori datum est (Digest. X. 2. 33), *mancipium* vero de translatione per æs et libram facta atque inde nato pleno dominio; cfr. Gaius I. 119, Matthiae ad Cic. p. Murena 2. 3. Ut h. l. ita in leg. XII. Tabb. apud Fest. voc. *nuncupata* hæc vocc. distinguuntur: *Quum nexum faciet mancipiumque, uti lingua nuncupassit, ita ius esto.* Sæpe vero nexum latiore sensu usurpatur de omni, quod per æs et libram geritur, atque adeo de mancipio, quemadmodum Manilius definivit; vide Cic. Top. 5. 28; cfr. Schweppe l. c. §. 252 p. 370.

parietum, luminum, stillicidiorum] Hæc iura pertinent ad servitutes prædiorum urbanorum, de quibus consulendi sunt ICti in Digest. VIII. tit. 2, unde hæc, quæ ad nostrum locum illustrandum faciunt, excerpimus: l. 8. *Parietem, qui naturali ratione communis est, alterutri vicinorum demoliendi eum et reficiendi ius non est, quia non solus dominus est.* — l. 4. *LUMINUM servitute constituta id adquisitum videtur, ut vicinus lumina nostra excipiat; quum autem servitus imponitur, NE LUMINIBUS OFFICIATUR, hoc maxime adepti videmur, ne ius sit vicino, invitis nobis altius ædificare atque ita minuere lumina nostrorum ædificiorum.* — l. 20 §. 3. *Si servitus stillicidii imposita sit, non licet domino servientis areæ ibi ædificare, ubi cassitare coepisset stillicidium;* cfr. l. 21: *Si domus tua ædificiis meis servitutem deberet, — ut stillicidium ædificiorum meorum recipere deberet etc.*

testamentorum ruptorum aut ratorum] Sic Havn. uterq., Harl. uterq., α, β, γ, marg. δ, Erl. 1, Guelf. A, B, C, Erf., edd. ante Grut., Pearc., Ern., Or. — *test. raptorum aut ratorum* δ. — *test. ruptorum aut raptorum* Pal. 1, Tosan., alter Memm. (V. ST.), Z, U (*et* pro *aut*), s. — *test. raptorum* (omissis ceteris) Pal. sec. — *aut ratorum* om. Memm. alter, Pith., quos secutus est Gruterus. — Vocc. *ruptorum aut ratorum*, Ernestio suspecta, delent Sch., Mueller, Olsh.; nos uncis inclusimus. Certe concinnitas turbatur his additis; in ipsa autem oppositione nullum vitium est, quod inesse opinatus est Schuetz. Vid. Isidor. Origg. V. 24, Gaius II. 138 sqq., Institt. II. tit. 17.

cipiare adversarii stipulatiuncula et quum obsignes tabellas clientis tui, quibus in tabellis id sit scriptum, quo ille capiatur: ego tibi ullam causam maiorem committendam putem? Citius hercule is, qui duorum scalmorum naviculam in portu everterit, in Euxino ponto Argonautarum navem gubernarit.

175. Quid, si ne parvae quidem causae sunt, sed saepe maximae, in quibus certatur de iure civili: quod tandem os est illius patroni, qui ad eas causas sine ulla scientia iuris audet accedere? Quae potuit igitur esse causa maior quam illius militis? de cuius morte quum domum falsus ab exercitu nuntius venisset, et pater eius re credita testamentum mutasset et, quem ei visum esset, fecisset heredem essetque ipse mortuus: res delata est ad centumviros, quum miles domum revenisset egissetque lege in hereditatem paternam [testamento exheres filius].

---

§. 174. *stipulatiuncula*] Digest. XLV. tit. 1. l. 5. §. 1.: *Stipulatio est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, daturum facturumve se, quod interrogatus est, responderit*; cfr. Gaius III. 92 sqq. — *Et quum obsignes* non fidei faciendæ causa, ut interpretatur Muellerus, alii, sed metu, ne corrumpantur, quod adversarius facere solebat, non rei patronus. Sic fere explicat Beierus ad Scaur. p. 211; cfr. V. Tusc. 11. 33. — De substantivi repetitione post pronomen in voce *quibus in tabellis* cfr. eundem ad Tullian. p. 61, Ellendt. ad Brut. 18. 69, Zumpt. Gr. §. 742 p. 541 sq. ed. 5tæ. *in tabellis* om. Havn. uterq., Guelf. B, C, Ald., Steph.

Argonautarum navem] Argo nave vecti Iason eiusque socii in Colchidem ad vellus aureum petendum profecti sunt. Argonautarum in Euxino ponto pericula vide sis apud eos, qui de hac fabulosa navigatione scripserunt, Orpheum, Apollonium Rhodium et Valerium Flaccum in Argonauticis, Apollodor. I. 9. 16 sqq., Hygin. fab. 14 sqq.

§. 175. *testamento exheres filius*] Hæc verba ab uno cod. abesse testatur Lamb. ad h. l. Etiam Talæus ea a nonnullis exemplaribus abesse dicit. Merito suspecta sunt Pearcio, Ern., Orellio; nam statim miles dicitur testamento neque heres neque exheres nominatim scriptus fuisse; deleverunt Sch., Mueller, Olsh. — *Nempe* om. duo Pall., duo Gallicani,

[Nempe] in ea causa quaesitum est de iure civili, possetne paternorum bonorum exheres esse filius, quem pater testamento neque heredem neque exheredem scripsisset nominatim.

XXXIX. 176. Quid? qua de re inter Marcellos et Claudios patricios centumviri iudicarunt, quum Marcelli ab liberti filio stirpe, Claudii patricii eiusdem hominis hereditatem gente ad se redisse dice-

---

U, Z, Erf.; delevit Mueller. De re cfr. Valer. Max. VII. 7 init.

Cap. XXXIX. §. 176. *inter Marcellos et Claudios patricios*] Claudiæ gentis duæ fuerunt familiæ: earum, quæ Pulchrorum appellata est, patricia, quæ Marcellorum, neque potentia minor nec dignitate, plebeia. Ascon. ad Scaur. p. 188 Beier., Sueton. Tiber. init. Causa autem, quæ h. l. commemoratur, non uno nomine obscura est, quum nec, quo tempore acta sit, constet, nec satis nobis de stirpis et gentilitatis iure exploratum sit. Itaque probabilia magis, quam certa hic sequi possumus. Causa ad antiquiora tempora referenda videtur, quum soli patricii gentem habere putarentur (cfr. Liv. X. 8), et quum libertinorum filii nondum ingenui, sed et re et nomine libertini essent (Sueton. Claud. 24 ibiq. Wolf.), aut certe ad ea tempora, quum adhuc dubium et controversum harum personarum ius esset. Sic factum esse puto, ut de hereditate a liberti filio contentio inter patronos oriri posset; neque enim nisi liberti (intestati) hereditatem ex XII tabb. lege patronus petere potuit (Gaius III. 40 sqq.). Marcelli igitur hanc hereditatem ad se redisse dicebant *stirpe*, fortasse ideo, quod a plebeio manumissus fuisset mortui pater; patricii autem eandem hereditatem sibi deberi contendebant *gente*, quod lex XII tabb. gentiles ad hereditatem (ab intestato) vocaret (cfr. Gaius III. 17), gentiles autem solos patricios esse; itaque gentilicias hereditates ad solos patricios pervenire posse. — Gentiles posterioribus temporibus etiam plebeios existimatos fuisse, docet Scævolæ definitio ad c. 38. 173 allata. Paullo aliter de hac causa statuunt Schweppe l. c. §. 155. p. 244 sqq. et §. 487 p. 703 (qui recte observat, libertinum Claudii nominis ad gentem Claudiam pertinuisse, neque tamen gentilem ipsum fuisse) et Niebuhr R. G. I. p. 334 ed. alt. — Dolendum est eam commentarii primi partem, in qua de gentilibus egerat Gaius, in lacuna esse; vide Gaii comm. III. 17, ubi dicit, suo tempore totum gentilicium ius in desuetudinem abisse.

eiusdem hominis] Sic Havn. uterq., Erl. 1, Guelf. A, B, C, Codd. regii ap. le Clerc., Erf., edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man., Ern , Harl., Mueller, Olsh., Or. — *eiusdem nominis* codd. aliquot (fort. etiam Oxx.), Steph., Lamb., Grut.,

rent: nonne in ea causa fuit oratoribus de toto stirpis ac gentilitatis iure dicendum? 177. Quid? quod item in centumvirali iudicio certatum esse accepimus, qui Romam in exsilium venisset, cui Romae exsulare ius esset, si se ad aliquem quasi patronum applicavisset, intestatoque esset mortuus: *** nonne in ea causa ius applicationis, obscurum sane et ignotum, patefactum in iudicio atque illustratum est a patrono? 178. Quid? nuper quum ego C. Sergii Oratae contra hunc nostrum Antonium iudicio privato causam defenderem, nonne omnis nostra in iure versata defensio est? Quum enim M. Marius Gratidianus aedes Oratae vendidisset, neque servire quandam earum

---

Sch. — Statim pro vulgato *rediisse*, quæ forma Ciceroniano scribendi mori repugnat, contractam formam *redisse*, quam exhibent Havn. B, Erf. et edd. antiquiss., restituimus. Vid. Zumpt Gr. §. 160. p. 157, Heinrich ad Ascon. argum. Scaur. p. 126 Beier. Sic etiam infra 40. 182 *redisset* exstat in Havn. utroq., Guelf. A, B, C, Erf., edd. antiquiss.

§. 177. *nonne in ea causa*] Ante hæc verba lacunæ signa cum Ern., Sch. et Harl. posui; nam apodosin deesse manifestum est. Cfr. Madvig Emendd. p. 178 sq. *De iure applicationis* cfr. Arntzenii observ. in Actis litt. soc. Rheno — Traiect. Tom. I. p. 125 sqq. Niebuhr R. G. I. p. 336.

§. 178. *C. Sergii Oratæ — causam*] De hac causa cfr. Cic. III. Off. 16. 67 ibique Beier. Pro vulg. *Auratæ* hic et infra scripsimus *Oratæ*, quemadmodum h. l. exhibent *s*, marg. *δ*, Ven., et infra ed. s. l. et a., Ven., et sic Orelli cum vulgg. Off. l. c., item II. Fin. 22. 70, Fragmm. Vol. IV. P. II. p. 484, ubi Oratæ luxuria commemoratur, de qua cfr. Valer. Max. IX. 1. 1, Macrob. Saturn. II. 11. — *M. Marius Gratidianus*, M. Gratidii filius (Brut. 45. 168), homo callidus et turbulentus (III. Off. 20. 80, III. Legg. 16. 36), sed populo carissimus, qui ob id bis prætor fuit (Ascon. ad orat. in toga cand. p. 522 Or.), commemoratur etiam Orat. II. 65. 262. Sullæ iussu crudeliter interfectus est a Catilina, qui caput eius abscissum per urbem sua manu tulit (Petit. Consul. 3, Ascon. l. c., Seneca de Ira III. 18). Huius Gratidiani amitam in matrimonio habebat Ciceronis avus. Legg. l. c, Ascon. l. c.

servire] De servitutibus vide ad c. 38. 173. — *Mancipii lex* et simpliciter *lex* (Digest. XVIII. tit. 1. l. 68) dicitur venditionis formula s. tabula. Idem fortasse valet in *mancipio* infra §. 179, quamquam hoc etiam de ipsa mancipatione

aedium partem in mancipii lege dixisset: defendebamus, quidquid fuisset incommodi in mancipio, id si venditor scisset neque declarasset, praestare debere. 179. Quo quidem in genere familiaris noster M. Bucculeius, homo neque meo iudicio stultus et suo valde sapiens et a iuris studio non abhorrens, simili [in re] quodam modo nuper erravit. Nam quum aedes L. Fufio venderet, in mancipio lumina, uti tum essent, ita recepit. Fufius autem, simul atque aedificari coeptum est in quadam parte urbis, quae modo ex illis aedibus conspici posset, egit statim cum Bucculeio, quod, cuicunque particulae coeli officeretur, quamvis esset procul, mutari lumina putabat. 180. Quid vero? clarissima M'. Curii causa Marcique Coponii nuper apud centumviros quo concursu homi-

---

s. translatione dominii intelligi potest, ut hoc §. *quidquid fuisset incommodi in mancipio;* cfr. supra ad c. 38. 173, Beier ad Off. l. c. p. 304 sq.

§. 179. *simili in re quodam modo*] *in re* recte videntur omittere Havn. uterq., *a*, (fortasse etiam Guelf. B, C.) edd. antiquiss., Lamb. Nam quod dicit Schuetzius, hæc vocc. omitti non posse, propterea quod nondum alius cuiusquam, qui erraverit, facta sit mentio, is alius fuit M. Marius Gratidianus. — De *M. Bucculeio* non constat. — *L. Furius* fortasse est is, cuius mentio fit III. 13. 50, Sulpicii et Cottæ æqualis (Brut. 49. 182), cuius diligentia ex M'. Aquilii accusatione cognita commemoratur Brut. 62. 222, II. Off. 14. 50. Eundem intelligendum esse Orat. II. 22. 91 putat Mueller ad l. l., quod in medio relinquimus.

Fufius autem] *F. enim* Erl. 1, Hahn. Utrumque suspectum est Orellio. — *F. vero* codd. Lamb. aliquot, Med. utraq., Lott. — *F. vero enim* ed. s. l. et a., Ven. — *autem* om. unus Lamb. codex. Ad hunc locum illustrandum aliquantum facit lex 23 Dig. lib. VIII tit. 2: *Si servitus imposita fuerit, LUMINA, QUÆ NUNC SUNT, UT ITA SINT, de futuris luminibus nihil caveri videtur. Quodsi ita sit cautum, NE LUMINIBUS OFFICIATUR, ambigua est scriptura, utrum ne his luminibus officiatur, quæ nunc sunt, an etiam his, quæ postea quoque fuerint.*

§. 180. *M'. Curii causa*] Hæc causa satis illustratur iis, quæ ab ipso Cicerone afferuntur h. l. et I. 57. 242 sqq., II. 32. 140 sq. Cfr. Invent. II. 42. 122, Brut. 52 sq., pro Cæcin. 18. 53, Quintil. VII. 6. 9 sq., Gaius II. 179 sqq.

num, qua exspectatione defensa est? quum Q. Scaevola, aequalis et collega meus, homo omnium et disciplina iuris civilis eruditissimus et ingenio prudentiaque acutissimus et oratione maxime limatus atque subtilis atque, ut ego soleo dicere, iuris peritorum eloquentissimus, eloquentium iuris peritissimus, ex scripto testamentorum iura defenderet negaretque, nisi postumus et natus et, antequam in suam tutelam venisset, mortuus esset, heredem eum esse posse, qui esset secundum postumum et natum et mortuum heres institutus; ego autem defenderem, hac eum tum mente fuisse, qui testamentum fecisset, ut, si filius non esset, qui in suam tutelam veniret, M'. Curius esset heres. Num destitit uterque nostrum in ea causa in auctoritatibus, in exemplis, in testamentorum formulis, hoc est in medio iure civili, versari?

XL. 181. Omitto iam plura exempla causarum amplissimarum, quae sunt innumerabilia; capitis no-

---

in suam tutelam venisset] Sic Norf., Harl. 2, α, γ, Havn. uterq., Guelf. B, C, Ald., Iunt., Crat., Man., Lamb., Pearc. et recentt. post Ern. — *in suam tut. veniret* Erl. 1, Erf., al., edd. antiquiss., Grut., Sch. in ed. mai.

ego autem defenderem] Ita Havn. uterq., Z, α, γ, Erl. 1, Erf., Guelf. B, C, al. et vulgo inde ab Aldo usque ad Grut.; restituerunt Sch. et Or., qui tamen *autem* uncinis inclusit. — *ego licet def.* U, β, δ, ε, Vet. Steph., Guelf. A, Hahn. — *ego videlicet def.* reliquae edd. antiquiss., marg. Crat. — *ego voluntatem defend.* e Camerarii coni. Grut., Ern., Harl., Mueller, Olsh.

eum tum] *tum* om. Guelf. B, C, Havn. B, Ald., Iunt., Crat., Man., Steph., Lamb.; uncis inclusit Or. — *eum cum* Havn. A. — *eum hac cum* Erl. 1. — *eum hac tamen* Hahn.

qui in suam tutelam veniret] *in suam tutelam* Lamb., Or. Cfr. Brut. 53. 197. Vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. *suam* omittunt. — *veniret* Havn. uterq., Guelf. B, C (*non veniret*), al. et vulgo inde ab Aldo et Iunt. usque ad Ern.; restituerunt Mueller, Olsh., Or. Cfr. Ellendt ad Brut. l. c. — *non iret* Hahn. — *iret* reliquae edd. antiquiss. — *venisset* Lamb., Ern., Sch., Harl. — Vocc. *qui* — *veniret* om. U, Z, Erf.

stri saepe potest accidere ut causae versentur in iure. Etenim sic C. Mancinum, nobilissimum atque optimum virum ac consularem, quum propter invidiam Numantini foederis pater patratus ex S. C. Numantinis dedidisset, eumque illi non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, neque in senatum introire dubitasset, P. Rutilius, M. filius, tribunus plebis, iussit educi, quod eum civem negaret esse; quia memoria sic esset proditum, quem pater suus aut populus vendidisset, aut pater patratus dedidisset, ei nullum esse postliminium. 182. Quam possumus

---

Cap. XL. §. 181. *Etenim sic C. Mancinum*] *Etenim si C. Mancinum* Havn. uterq., edd. antiquiss., Ald., prob. Madvigio, qui apodosin incipere monet a verbis: *quam possumus reperire etc.*, quae quidem in vulgata lectione nimis abrupte addita sunt superioribus. — *C. Hostilius Mancinus* in consulatu, quem a. U. 617 (137) cum M. Æmil. Lepido Porcina gessit, adversus Numantinos male pugnavit atque, ut exercitum ab hostibus circumventum servaret, auctore Tib. Graccho quæstore, ignominiosam pacem fecit. Sed hanc pacem ratam esse senatus vetuit, atque ipse Mancinus tantum abfuit, ut poenam recusaret, ut rogationem suaderet, quam L. Furius Philus, Sex. Atilius Serranus, seq. anni coss., ex S. C. ferebant, ut Numantinis dederetur; qua accepta, per fetiales nudus ac post tergum religatis manibus hostibus deditus est. Vide quos auctores laudat Beierus ad III. Off. 30. 109 p. 390; adde III. de republ. 18. (De dedendi ritu et formula vide Liv. IX. 10; de *patre patrato* eundem I. 24.) Sed quum Numantini eum non recepissent, posteaque Mancinus domum revenisset, orta est ea causa, quam h. l. commemorat Cicero; quo iudicio superior discessisse videtur Mancinus. Cfr. Cic. Topic. 8. 37, pro Cæcin. 34. 98.

quum propter] Sic Havn. A, Oxx. omnes, Guelf. A, B, C, Erf., edd. antiquiss., Ald., Sch. in ed. mai., Olsh. — Vulgo: *quum eum propter*. — Paullo ante retinui vulg. *ac consularem*. — *atque consularem* Erl. 1, Guelf. A, Erf. — *ac* om. Guelf. B, C, Havn. uterq., Sch., Mueller, Olsh., Or., qui tamen cum Lamb. in marg. repett. Lamb. malit *et consularem*. — Infra *iussit educi* Havn. uterq., Z, β, γ, item α et δ a pr. manu, Guelf. A, C, Erf. et recentt. post Sch. — Vulgo inde ab antiquiss. edd. *de senatu iussit educi*. — *P. Rutilius* M. F., trib. plebis a. U. 618, non confundendus est cum P. Rutilio Rufo; vid. Ellendt prolegg. p. LI.

postliminium] Cic. Top. 8. 36 sq.: *In hoc verbo Servius* (Sulpicius) *noster nihil putat esse notandum, nisi POST; et*

reperire ex omnibus rebus civilibus causam contentionemque maiorem, quam de ordine, de civitate, de libertate, de capite hominis consularis? praesertim quum haec non in crimine aliquo, quod ille posset infitiari, sed in civili iure consisteret. Similique in genere, inferiore ordine, si quis apud nos servisset ex populo foederato seseque liberasset ac postea domum revenisset, quaesitum est apud maiores nostros, num is ad suos postliminio redisset et amisisset hanc civitatem. 183. Quid? de libertate, quo iudicium gravius esse nullum potest, nonne ex iure civili potest esse contentio, quum quaeritur, is, qui domini voluntate census sit, continuone, an ubi lustrum sit

---

LIMINIUM illud productionem esse verbi vult. — *Scævola autem*, *P. F.*, *iunctum putat esse verbum*, *ut sit in eo et POST et LIMEN: ut quæ a nobis alienata sunt*, *quum ad hostem pervenerint*, *et ex suo tamquam limine exierint*, *dein*, *quum redierint post ad idem limen*, *postliminio videantur redisse.* Cfr. Gell. VII. 18, Gaius I. 129, Digest. XLIX. tit. 15, Iustit. I. 12. 5.

§. 183. *qui domini voluntate census sit*] Servus liberari poterat aut censu aut vindicta aut testamento. Cic. Topic. 2. 10, Gaius I. 17. De manumissione per censum vide Cic. Cæcin. 34. 99, Ulpian. fragm. Vatic. Tit. 1 §. 8: *Censu manumittebantur olim*, *qui lustrali censu Romæ iussu dominorum inter cives Romanos censum profitebantur.* Cfr. Schweppe l. c. p. 526 et quos affert Creuzer Abriss d. Röm. Antiqq. p. 71 ed. alt. Quod ad iudicium h. l. commemoratum attinet, quæstio in eo versatur, utrum servus ex eo demum tempore liber sit, quo lustrum conditum sit, an iam ex eo, quo inter cives Romanos censum professus sit; nam si non ante lustrum conditum liber erat, quidquid inter professionem et conditum lustrum sibi comparaverat, non ipsius erat, sed domini. Vide Göschen Bemerkungen in Beziehung auf das aeltere Recht der Freylassung bey den Römern, in Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissensch. Vol. III. p. 269 sqq.

continuone, *an ubi lustrum sit conditum*, *liber sit*] Sic, omisso tamen priore *sit* adversus Ciceronis consuetudinem, e membranis Cuiacii (quem vide Observv. lib. XVII. c. 20) Gruter. et recentt. — Codd. et edd. variant. Proxime accedunt Pith. et Z, in quibus: *cont. an tibi lustrix conditum*, *liber sit.* — *continuone ante lustro condito liber sit* Vet. Steph. — *cont. an tribus lustris conditum liber sit β.* —

conditum, liber sit? Quid? quod usu memoria patrum venit, ut paterfamilias, qui ex Hispania Romam venisset, quum uxorem praegnantem in provincia reliquisset, Romaeque alteram duxisset, neque nuntium priori remisisset, mortuusque esset intestato, et ex utraque filius natus esset: mediocrisne res in controversiam adducta est? quum quaereretur de duobus civium capitibus, et de puero, qui ex posteriore natus erat, et de eius matre, quae, si iudicaretur certis quibusdam verbis, non novis nuptiis, fieri cum superiore divortium, in concubinae locum duceretur. 184. Haec igitur et horum similia iura suae civitatis ignorantem, erectum et celsum, alacri et prompto ore ac vultu huc atque illuc intuentem, vagari magna cum caterva toto foro, praesidium clientibus atque opem amicis et prope cunctis civibus lucem ingenii et consilii sui porrigentem atque tendentem, nonne in primis flagitiosum putandum est?

XLI. 185. Et quoniam de impudentia dixi, castigemus etiam segnitiem hominum atque inertiam. Nam si esset ista cognitio iuris magna ac difficilis, tamen utilitatis magnitudo deberet homines ad suscipiendum discendi laborem impellere. Sed, o dii

---

cont. an tribus lustris conditis liber sit Mem. alter, Pal. pr., sec., tert., oct., U (qui ante *an* addit *iam*), Waldarf. — *cont. an ubi iam ter lustrum conditum liber sit* Mem. alter. — Memorabilis est lectio: *census sit, si non sit conditum lustrum, sitne liber*, quam præbent *α*, *γ*, Guelf. B, C, Havn. uterq. (in marg. B post *lustrum* additum est *tribus*), Ald., Iunt., Man., Steph., Lamb. — Reliqui codd. et edd. antiquiss.: *census sit, si non (sit) conditum lustrum, sitne liber continuo (ne), an tribus lustris conditis (liber sit)*. Quæ parenthesi inclusimus, a nonnullis libris absunt.

certis quibusdam verbis] Gaius in Digest. lib. XXIV. tit. 2 l. 2: *In repudiis, id est, renunciatione, comprobata sunt hæc verba: TUAS RES TIBI HABETO, item hæc: TUAS RES TIBI AGITO.* Ceterum in constructione: *ut paterfamilias — natus esset* vitium inesse videtur; codd. nihil variant.

immortales, non dicerem hoc audiente Scaevola, nisi ipse dicere soleret, nullius artis faciliorem sibi cognitionem videri. 186. Quod quidem certis de causis a plerisque aliter existimatur; primum quia veteres illi, qui huic scientiae praefuerunt, obtinendae atque augendae potentiae suae causa, pervulgari artem suam noluerunt; deinde, postea quam est editum, expositis a Cn. Flavio primum actionibus, nulli fuerunt, qui illa artificiose digesta generatim componerent. Nihil est enim, quod ad artem redigi possit, nisi ille prius, qui illa tenet, quorum artem instituere vult, habeat illam scientiam, ut ex iis rebus, quarum ars nondum sit, artem efficere possit. 187. Hoc video, dum breviter voluerim dicere, dictum a me esse paullo obscurius; sed experiar et dicam, si potero, planius.

XLII. Omnia fere, quae sunt conclusa nunc artibus, dispersa et dissipata quondam fuerunt; ut in musicis numeri et voces et modi; in geometria lineamenta, formae, intervalla, magnitudines; in astrologia coeli conversio, ortus, obitus motusque siderum; in grammaticis poetarum pertractatio, historiarum cognitio, verborum interpretatio, pronuntiandi quidam sonus; in hac denique ipsa ratione dicendi excogitare, ornare, disponere, meminisse, agere, † ignota

---

Cap. XLI. §. 186. *a Cn. Flavio*] Liv. IX. 46.: *Anno U.* 450 (304) *Cn. Flavius, Cn. F. scriba, patre libertino, humili fortuna ortus, ceterum callidus vir et facundus, ædilis curulis fuit. — Civile ius, repositum in penetralibus pontificum, evulgavit, fastosque circa forum in albo proposuit, ut, quando lege agi posset, sciretur.* Cfr. Cic. pro Muren. 11. 25 ibiq. Matth., Epist. ad Attic. VI. 1. 5, Digest. I. 2. 2. 7, et quos auctores citat Dukerus ad Liv. l. c. — *Actiones* sunt formulæ certæ solemnesque, plerumque legum ipsarum verbis accommodatæ, quibus inter se homines disceptarent. Cfr. Gaius IV. 11, Digest. l. c. §. 6.

illam scientiam] Scientia hæc, ad artem efficiendam necessaria, est dialectica. Cfr. cap. sq. et Brut. 41 sq. — *Dum — voluerim* vid. Heinrich ad Tullian. §. 15.

quondam omnibus et diffusa late videbantur. 188. Adhibita est igitur ars quaedam extrinsecus ex alio genere quodam, quod sibi totum philosophi assumunt, quae rem dissolutam divulsamque conglutinaret et ratione quadam constringeret. Sit ergo in iure civili finis hic,[1] legitimae atque usitatae in rebus causisque civium aequabilitatis conservatio. 189. Tum sunt notanda genera et ad certum numerum paucitatemque revocanda; — genus autem est id, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures complectitur partes; partes autem sunt, quae generibus iis, ex quibus emanant, subiiciuntur; — omniaque, quae sunt vel generum vel partium nomina, definitionibus, quam vim habeant, est exprimendum. Est enim definitio earum rerum, quae sunt eius rei propriae, quam definire volumus, brevis et circumscripta quaedam explicatio. 190. Hisce ego rebus exempla adiungerem, nisi, apud quos haec haberetur oratio, cernerem. Nunc complectar, quod proposui, brevi. Si enim aut mihi facere licuerit, quod iamdiu cogito, aut alius quispiam aut me impedito occuparit aut mortuo effecerit, ut primum omne ius civile in genera digerat, quae perpauca sunt, deinde eorum generum quasi quaedam membra dis-

Cap. XLII. §. 187. *ignota quondam*] Sic omnes codd.; sed voc. *ignota* minime aptum esse h. l., bene ostendit Schuetzius, cuius coniecturam *infinita*, in nott. ad ed. mai. propositam, probat Madvig.

§. 190. *hæc haberetur oratio*] Goerenz ad I. Acad. 2, 4 *cum quibusdam vetus editis* scribendum putat: *hæc habetur oratio*, et sic pessime edidit Mueller, non improbante Orellio. Vid. Elberling Observv. crit. ad Cæsar. p. 99; cfr. Beier ad Tullian. p. 56. Quinam isti sint *vetus editi*, nescio; *haberentur* omnes codd. omnesque, quotquot inspexi, edd. antiquæ exhibent.

eorum generum — membra dispertiat] "H. e., genera in quædam quasi membra dispertiat, ut Plato Legg. XII. p. 956. B. ὅτε δὲ μέρη διῄρηται τῆς πόλεως." Matth. ad h. l.; cfr. eiusd. Gr. Gr. p. 767 sq. ed. alt.

pertiat, tum propriam cuiusque vim definitione declaret: perfectam artem iuris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam difficilem atque obscuram. 191. Atque interea tamen, dum haec, quae dispersa sunt, coguntur, vel passim licet carpentem et colligentem undique repleri iusta iuris civilis scientia.

XLIII. Nonne videtis, equitem Romanum, hominem acutissimo omnium ingenio, sed minime ceteris artibus eruditum, C. Aculeonem, qui mecum vivit semperque vixit, ita tenere ius civile, ut ei, quum ab hoc discesseritis, nemo de iis, qui peritissimi sunt, anteponatur? 192. Omnia sunt enim posita ante oculos, collocata in usu quotidiano, in congressione hominum atque in foro, neque ita multis literis aut voluminibus magnis continentur. Eadem enim elata sunt primum a pluribus, deinde, paucis verbis commutatis, etiam ab iisdem scriptoribus scripta sunt saepius.

193. Accedit vero, quo facilius percipi cognoscique ius civile possit, quod minime plerique arbitrantur, mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio. Nam sive quem hæc Aeliana studia dele-

§. 191. *dum hæc — coguntur*] Sic omnes codd. et vulgo edd., nisi quod U et marg. δ exhibent *colliguntur* ex interpretatione. — *dum hæc — cogantur* ex Ern. coniectura Sch. — Orellii nota ad h. l. operarum vitio perturbata est.

Cap. XLIII. §. 191. *C. Aculeonem*] Cfr. lib. II. 1. 2. ibiq. adnott.

§. 192. *Omnia sunt enim*] Sic Havn. uterq., Guelf. A, B, Beier ad I. Off. 3. 9. p. 21, Or. — Vulgo: *omnia enim sunt*. Cfr. quæ attulimus ad c. 2. 7. — Paullo infra Beierus l. c. legendum censet: *eadem sunt enim*; sed rectius idem ad II. Off. 8. 30. p. 62 corrigit: *eadem enim elata sunt*, et sic Erl. 1, Erf., item Vet. Steph. et Z, in quibus exstat: *eadem enim clara sunt*. — Vulgo: *eadem enim sunt elata*.

§. 193. *hæc Æliana studia*] Præclaram hanc Madvigii coniecturam in textum recipere non dubitavi, quum et res ipsa et codicum vestigia eam commendent. Codd. enim, edd. anti-

ctant, plurima est et in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum prisca vetustas cognoscitur, et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant; sive quis civilem scientiam † contemplatur, quam Scaevola non putat oratoris esse

---

quiss. et Man. *hæc aliena studia*, unus cod. Reg. *hæc atica studia*, Havn. B *aliena studia hæc*. — *hæc* vulgo omittitur inde ab Aldo, sed in corrupto voc. *aliena* consentiunt ferè edd., nisi quod Sch., Mueller et Olsh. receperunt emendationem a Wyttenbachio in Bibl. crit. I. p. 14 propositam: *antiqua*, quam eandem in Havn. B. recent. manu vulgatæ lectioni superscriptam inveni, atque Or. suo ed. Manutianæ exemplari adscriptam esse testatur. Sed ipse Orellius non nimis sibi placere profitetur hoc positum pro v. *antiquitatis studia* et aliud quid in *hæc* latere suspicatur, nomen fortasse proprium, v. c. *hæc Longiniana* vel *hæc Catoniana*. Eiusmodi nomen proprium nunc eruit Madvigii acumen. Intelligendus est *Lucius Ælius Lanuvinus*, duplici cognomine *Præconinus* et *Stilo*, de quo hæc scribit Cicero in Bruto 56. 205: *Fuit omnino vir egregius et eques Romanus cum primis honestus idemque eruditissimus et Græcis litteris et Latinis, antiquitatisque nostræ et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus: quam scientiam Varro noster acceptam ab illo auctamque per sese, vir ingenio præstans omnique doctrina, pluribus et illustrioribus litteris explicavit etc.* Ibidem §. 207 commemorat Cicero, se adolescentem perstudiose eum audire solitum. Cfr. I. Acad. 2. 8, II. Legg. 23. 59, Sueton. de illustr. Gramm. c. 3, Gell. N. A. X. 21 al. — *Hæc* autem *studia* dicit Crassus, quod hoc ipso tempore vivebat et antiquitatis studiis vacabat Ælius.

in pontificum libris] Pontificum libri videntur esse iidem, qui alibi (v. c. Liv. IV. 3) pontificum commentarii dicuntur, quibus ea, quæ ad res sacras pertinebant, et ius pontificium continebantur, admixtis per occasionem nonnullis historicis rebus; neque tamen propterea hi libri confundendi sunt cum annalibus pontificum Max. s. Annalibus Maximis, quod factum est a Creuzero ad I. Legg. 2. 6 p. 16 et ad N. D. I. 30. 84 p. 134, Baehrio, aliis; nam Pontificii libri (ut libri Augurales) disciplinam pontificalem tradebant, Annales Maximi historici erant argumenti (cfr. lib. II. 12. 52), illi sine dubio in pontificum penetralibus repositi (cfr. Liv. l. c. et IX. 46), hi vulgo propositi.

contemplatur] Sic ex Guelf. B Orellius cum Ellendtio ad Brut. p. 233. — *contempletur* Havn. B, δ a rec. manu, et sic vulgo inde ab antiquiss. edd. Sensum verbb.: *sive — contempletur* Muellerus dicit esse: "sive quis civilis prudentiæ effigiem, ad contemplationem propositam, quærat." Sed

propriam, sed cuiusdam ex alio genere prudentiae, totam hanc, descriptis omnibus civitatis utilitatibus ac partibus, XII tabulis contineri videbit; sive quem ista praepotens et gloriosa philosophia delectat (dicam audacius), hosce habet fontes omnium disputationum suarum, qui iure civili et legibus continentur. 194. Ex his enim et dignitatem maxime expetendam videmus, † quum verus, iustus atque honestus labor honoribus, praemiis, splendore decoratur, vitia autem hominum atque fraudes damnis, ignominiis, vinculis, verberibus, exsiliis, morte multantur; et docemur non infinitis concertationumque plenis disputationibus, sed auctoritate nutuque legum domitas habere libidines, coer-

---

neque h. l. de effigie ad contemplationem proposita sermo est, nec *contemplari* usquam idem valet ac *quærere*, *respicere*, neque exempla a Muellero allata quidquam probant. — *contemplatur* om. Pall. omnes, Pith., Havn. A, Z, β, γ, ε, Erl., Guelf. A, C, Erf. (*civili scientia* Pith., Z, Erf.), quo confirmatur suspicio Madvigii, antiquam codicum lacunam a posterioribus librariis infelici coniectura expletam esse.

videbit] Sic Gouv., Harl. 1, Z, U, β, Erf., edd. antiquiss., Pearc. et recentt. post Ern. — *videbitis* Havn. uterq., Erl. 1, al. et vulgo olim inde ab Ald. et Iunt. — Statim *hosce habet* omnes codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss. — *habebit* Ern. e coni., quem secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Olsh.

§ 194. *quum verus, iustus atque honest.*] Recte Madvigius in Ep. ad Orell. p. 39 post Zumptium (Gr. §. 783. p. 562 sq.) aliosque observavit, Ciceronem, ubi tria membra coacervet, aut repetita coniunctione uti, aut extremo quoque loco omittere, aut *que* ponere; *et, atque*, *ac* plane excludi. Cui observationi ne quis hunc locum adversari existimet, idem in litteris ad me datis, locum corruptum esse, inde patere ostendit, quod ed. Omniboni (item Med. utraq., Ven., Lott.) exhibeat *tum vero*, Steph. (Havn. A, Erl. 1, edd. antiquiss.) *et iustus*; quod *quum* causal. cum indicat. iungatur et quod *verus labor* h. e. non simulatus labor h. l. nullum idoneum sensum præbeat. Cetera recte; ex singulorum vero codd. aut edd. varietatibus nihil hic concludi potest; nam a verbis §. 193 *et legibus continentur* in antiquioribus codd. magna lacuna incipit, quæ pertinet usque ad lib. II. c. 3; quæ lacuna in recentioribus codd. atque inde derivatis edd. antiquiss. ex unico codice Laudensi expleta est. Vide Præfat.

cere omnes cupiditates, nostra tueri, ab alienis mentes, oculos, manus abstinere.

XLIV. 195. Fremant omnes licet, dicam quod sentio; bibliothecas mehercule omnium philosophorum unus mihi videtur XII tabularum libellus, si quis legum fontes et capita viderit, et auctoritatis pondere et utilitatis ubertate superare. 196. Ac si nos, id quod maxime debet, nostra patria delectat; cuius rei tanta est vis ac tanta natura, ut Ithacam illam, in asperrimis saxulis tamquam nidulum affixam, sapientissimus vir immortalitati anteponeret: quo amore tandem inflammati esse debemus in eiusmodi patriam, quae una in omnibus terris domus est virtutis, imperii, dignitatis? Cuius primum nobis mens, mos, disciplina nota esse debet, vel quia est patria parens omnium nostrum, vel quia tanta sapientia fuisse in iure constituendo putanda est, quanta fuit in his tantis opibus imperii comparandis. 197. Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod, quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intelligetis, si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne ius civile, praeter hoc nostrum, inconditum ac paene ridiculum; de quo multa soleo in sermonibus quotidianis dicere, quum hominum nostrorum prudentiam ceteris omnibus, et maxime Graecis, antepono. His

---

Cap. XLIV. §. 196. *in asperrimis saxulis*] *Ἰθάκη κραναή* Il. γ. 201, Odyss. α. 247, *τρηχεῖα* Od. ι. 27, *παιπαλόεσσα* Od. λ. 480. — *sapientissimus vir* (Ulysses *πολύμητις*) *immortalitati anteponeret* cfr. Odyss. α. 58 sqq., ε. 149 sqq., ι. 28 sqq., Cic. II. Legg. 1. 3.

§. 197. *si cum Lycurgo — leges conferre vol.*] Cfr. ad I. 4. 15. *Draco* Ol. XXXIX (a. Chr. 624) severas illas leges, quæ dictæ sunt *Θεσμοί*, Atheniensibus scripsit; vide Plutarch. in Solone c. 17, Ælian. V. H. VIII. 10 ibiq. intt., Suid. v. *Δράκων*.

ego de causis dixeram, Scaevola, iis, qui perfecti oratores esse vellent, iuris civilis cognitionem esse necessariam.

XLV. 198. Iam vero ipsa per sese quantum afferat iis, qui ei praesunt, honoris, gratiae, dignitatis, quis ignorat? Itaque, ut apud Graecos infimi homines, mercedula adducti, ministros se praebent in iudiciis oratoribus, ii, qui apud illos πραγματικοὶ vocantur: sic in nostra civitate contra amplissimus quisque et clarissimus vir, ut ille, qui propter hanc iuris civilis scientiam sic appellatus a summo poeta est:

Egregie cordatus homo, catus Aeliu' Sextus,

multique praeterea, qui, quum ingenio sibi dignitatem

Cap. XLV. §. 198. *Itaque ut*] Sic *a*, *s* et edd. post Ald. et Iunt. — *itaque non ut* plerique codd., edd. antiquiss., Sch., qui in sqq. distinguit: *civitate: contra.* Iam in Med. 1 punctum positum reperitur post *civitate*, atque in Havn. A post h. v. manu recent. adscriptum legitur: *suppl. sed.* Sed vide Matth. (ap. Mueller.), qui *non* additum esse putat ab imperito librario, qui nesciret, particulis *ut* — *sic* non similia tantum et cognata, sed opposita et repugnantia etiam copulari. — De *pragmaticis* cfr. 59. 253, Quintil. XII. 3. 4, Iuvenal. Sat. VII. 123.

a summo poeta] Ab Ennio (de quo v. ad 34. 154) in Annalibus. Hic versus citatur etiam I. Tusc. 9. 18, de repl. I. 18. — *Sext. Ælius Paetus* ædil. curul. a. U. 554 (200), Liv. XXXI. 50, consul a. U. 556 (198) cum T. Quintio Flaminino, iuris peritissimus, *post Flavium alias actiones composuit et librum populo dedit, qui appellatus est ius Ælianum.* Pompon. in Digest. I. 2. 7. Sext. Ælius commemoratur etiam Orat. I. 48. 212, 56. 240, III. 33. 133. — Voc. *catus* Sabinum esse putat Varro et explicat *acutus* L. L. VII. p. 332 Spengel.; cfr. intt. ad Cic. de repl. l. c.

ingenio sibi dignitatem] *ingenio sibi auctore dignitatem* omnes codd. (nisi quod *veritatem* pro *dignit.* exhibet *β*) et vulgo inde ab antiquiss. edd. Sed *auctore* delendum esse censuerunt Pearc., Ern., delerunt Sch. et Olsh., et facile oriri potuit ex sq. *auctoritate.* Contra *dignitatem* spurium esse putarunt Huldricus et Matth. ac legend. *ing. sibi auctoritatem*, quemadmodum iam coniecit Manut. et correctum exstat in marg. *δ.* Matthiæum secutus est Muellerus. — Statim *peperissent* cod. Lamb., pleræque edd. antiquiss., marg. Crat., Ern., Sch., Harl., Or. — *reperissent* codd. plerique et vulgo inde ab Ald. et Iunt., Mueller, Olsh. (*repetissent* Hahn.).

peperissent, perfecerunt, ut in respondendo iure auctoritate plus etiam quam ipso ingenio valerent.

199. Senectuti vero celebrandae et ornandae quod honestius potest esse perfugium, quam iuris interpretatio? Equidem mihi hoc subsidium iam inde ab adolescentia comparavi, non solum ad causarum usum forensem, sed etiam ad decus atque ornamentum senectutis, ut, quum me vires (quod fere iam tempus adventat) deficere coepissent, ista ab solitudine domum meam vindicarem. Quid est enim praeclarius, quam honoribus et rei publicae muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere idem, quod apud Ennium dicat ille Pythius Apollo, se esse eum, *unde sibi*, si non *populi et reges*, at omnes sui cives *consilium expetant*,

> Suarum rerum incerti, quos ego ope mea
> 'X incertis certos compotesque consili
> Dimitto, ut ne res temere tractent turbidas.

200. Est enim sine dubio domus iurisconsulti totius oraculum civitatis. Testis est huiusce Q. Mucii ianua

---

Defendit Matth. adversus Ern., qui *ingenio sibi reperire* male se habere dixerat. At quæ exempla affert Matth., ea *reperire* sic dici posse fortasse probarint; *sibi reperire*, nulla oppositione facta, dici non probavit V. Cl.

in respondendo iure] Sic codd., Hahn. et vulgo inde ab Ald. et Iunt. — *in respondendo de iure* reliquæ edd. antiquiss., Ern., Sch., Harl. Sed bene vulg. defendit Matth. (ap. Mueller.), qui inter alia affert Cic. I. Legg. 4. 12 *si te ad ius respondendum dedisses* et II. 12. 29 *respondendi iuris — facultatem afferunt*.

§. 199. *causarum usum forensem*] *caus. us. forensium* Hahn. et aliæ nonnullæ edd. antiqq., quas inspexit Ern., qui sic edidit, eumque secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Olsh. — Paullo infra *ista* om. edd. antiquiss., Iunt., Crat., Man., Ern., Olsh., prob. Orellio. Madvig coniicit: *ita ab solitudine*.

suarum rerum incerti etc.] Edidi, quemadmodum præcepit Hermannus in dissert. de R. Bentleio Opusc. II. p. 275. — Vulgo: *mea ope ex Incertis*.

§. 200. *Testis est huiusce Q. Mucii ianua*] Cfr. Cic. VIII. Philipp. 10. 31: *Ego, Patres conscripti, Q. Scaevolam augurem memoria teneo, bello Marsico, quum esset summa*

et vestibulum', quod in eius infirmissima valetudine affectaque iam aetate maxima quotidie frequentia civium ac summorum hominum splendore celebratur.

XLVI. 201. Iam [vero] illa non longam orationem desiderant, quamobrem existimem publica quoque iura, quae sunt propria civitatis atque imperii, tum monumenta rerum gestarum et vetustatis exempla oratori nota esse debere. Nam ut in rerum privatarum causis atque iudiciis depromenda saepe oratio est ex iure civili, et idcirco, ut ante diximus, oratori iuris civilis scientia necessaria est: sic in causis publicis iudiciorum, concionum, senatus, omnis haec et antiquitatis memoria et publici iuris auctoritas et regendae rei publicae ratio ac scientia, tamquam aliqua materies, iis oratoribus, qui versantur in re publica, subiecta esse debet. 202. Non enim causidicum nescio quem, neque proclamatorem aut rabulam hoc sermone nostro conquirimus, sed eum virum, qui primum sit eius artis antistes, cuius quum ipsa natura magnam homini facultatem daret, tamen † esse deus

---

senectute et perdita valetudine, quotidie, simul atque luceret, facere omnibus conveniendi sui potestatem; nec eum quisquam illo bello vidit in lecto, senexque et debilis primus veniebat in curiam.

Cap. XLVI. §. 201. *Iam vero illa*] *vero* om. Havn. uterq., Guelf. B, C, Erl. et plerique Oxx., Ald., Man., Sch.

subiecta esse debet] Sic Lamb., Sch., Or. — Vulgo *subi. esse debent.*

§. 202. *Non enim causidicum*] Cfr. Quintil. XII. 1. 25: *Non enim forensem quandam instituimus operam nec mercenariam vocem, nec, ut asperioribus verbis parcamus, non inutilem sane litium advocatum, quem denique causidicum vulgo vocant; sed virum cum ingenii natura præstantem, tum vero tot pulcherrimas artes penitus mente complexum, datum tandem rebus humanis, qualem nulla antea vetustas cognoverit, singularem perfectumque undique, optima sentientem optimeque dicentem.*

tamen esse deus putatur] Sic omnes codd. et edd. corrupte. — Ern. et Muellerus corrigunt *putabatur* et supplendum dicunt: "qui hanc facultatem hominibus daret." Ce-

putatur, ut et ipsum, quod erat hominis proprium, non partum per nos, sed divinitus ad nos delatum videretur; deinde qui possit, non tam caduceo, quam nomine oratoris ornatus, incolumis vel inter hostium tela versari; tum qui scelus fraudemque nocentis possit dicendo subiicere odio civium supplicioque constringere, idemque ingenii praesidio innocentiam iudiciorum poena liberare, idemque languentem labentemque populum aut ad decus excitare, aut ab errore deducere, aut inflammare in improbos, aut incitatum in bonos mitigare; qui denique, quemcunque in animis hominum motum res et causa postulet, eum dicendo vel excitare possit vel sedare. 203. Hanc vim si quis existimat aut ab iis, qui de dicendi ratione scripserunt, expositam esse, aut a me posse exponi tam brevi, vehementer errat, neque solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. Equidem vobis, quoniam ita voluistis, fontes, unde hauriretis, atque itinera ipsa ita putavi esse demonstranda, non ut ipse dux essem (quod et infinitum est et non necessarium), sed ut commonstrarem tantum viam et, ut fieri solet, digitum ad fontes intenderem.

---

teras VV. DD. coniecturas vide ap. Orellium, quibus longe præstat Madvigii coni.: *tamen invenisse deus putatur*, qua admissa, *cuius* explicandum sit: *quam*, *quum eius*. Vide Madvigii Ep. ad Or. p. 106 sq. et Add. — Deus ille est Mercurius.

ut et ipsum] *et* om. ed. s. l. et a. et Med. utraq. — *ut id ipsum* ex Heusingeri emendatione edidit Sch., fortasse rectius.

non tam caduceo] Caduceum præferebant legati de pace missi, qui inde dicti sunt *caduceatores*. Liv. VIII. 20, XLIV. 45; cfr. Corn. Nep. Hannib. 11, Gell. X. 27.

languentem labentemque] *lang. labantemque* Lamb., Sch., Mueller, Olsh. Sed vide Orell.

§. 203. *ut fieri solet*] H. e. ut mos est eorum, qui alicui viam monstrant, ut eum non ad ipsum locum ducant, sed plerumque tantummodo digitum ad locum intendant.

XLVII. 204. Mihi vero, inquit Mucius, satis superque abs te videtur istorum studiis, si modo sunt studiosi, esse factum. Nam ut Socratem illum solitum aiunt dicere, perfectum sibi opus esse, si qui satis esset concitatus cohortatione sua ad studium cognoscendae percipiendaeque virtutis; quibus enim id persuasum esset, ut nihil mallent esse se quam bonos viros, iis reliquam facilem esse doctrinam: sic ego intelligo, si in haec, quae patefecit oratione sua Crassus, intrare volueritis, facillime vos ad ea, quae cupitis, perventuros, ab hoc aditu ianuaque patefacta.

205. 'Nobis vero,' inquit Sulpicius, ista sunt pergrata perque iucunda; sed pauca etiam requirimus, in primisque ea, quae valde breviter a te, Crasse, de ipsa arte percursa sunt, quum illa te et non contemnere et didicisse confiterere. Ea si paullo latius dixeris, expleris omnem exspectationem diuturni desiderii nostri. Nam nunc, quibus studendum rebus esset, accepimus, quod ipsum est tamen magnum; sed vias earum rerum rationemque cupimus cognoscere.

Ernestius, qui in hac omnium codd. et vulg. editionum lectione commodum sensum esse negavit, legendum censuit: *ut dici solet*, atque hanc coniecturam recepit Schuetz. Muellerus autem ex Herelii coniectura (non solum Harlessio, sed etiam Orellio probata) edidit: *ut ferri solet*, h. e. Muellero interprete: *vulgo trito (!) dici solet.* Sed *ferri* dicitur de eo, quod narratur et fama celebratur, non de eo, quod vulgo dicitur, ut proverbium; hanc enim esse Herelii sententiam, cognoscitur ex ipsius Herelii ap. Harless. verbis *(modo loquendi proverbiali, vulgo trito)*, a Muellero depravatis.

Cap. XLVII. §. 204. *ut Socratem illum*] Fortasse respicit ad ea, quæ dicit Socrates apud Xenophontem, Memorab. II. 6. 39. — Paullo post: *esse se* Havn. uterq., Guelf. B, C, al., Lamb., Sch., Or. — Vulgo: *se esse.* — *Ab hoc* de Crasso intelligendum esse, bene observavit Olshausen in Seebodii Neues Archiv. Novemb. 1829 p. 204. Vulgo cum aditu coniungitur.

206. Quid? si, inquit Crassus, quoniam ego, quo facilius vos apud me tenerem, vestrae potius obsecutus sum voluntati, quam aut consuetudini aut naturae meae, petimus ab Antonio, ut ea, quae continet neque adhuc protulit, ex quibus unum libellum sibi excidisse iamdudum questus est, explicet nobis et illa dicendi mysteria enuntiet?

Ut videtur, inquit Sulpicius. Nam Antonio dicente etiam quid tu sentias intelligemus.

207. Peto igitur, inquit Crassus, a te, quoniam id nobis, Antoni, hominibus id aetatis, oneris ab horum adolescentium studiis imponitur, ut exponas, quid iis de rebus, quas a te quaeri vides, sentias.

XLVIII. Deprehensum equidem me, inquit Antonius, plane video atque sentio, non solum quod ea requiruntur a me, quorum sum ignarus atque insolens, sed quia, quod in causis valde fugere soleo, ne tibi, Crasse, succedam, id me nunc isti vitare non sinunt. 208. Verum hoc ingrediar ad ea, quae vultis, audacius, quod idem mihi spero usu esse venturum in hac disputatione, quod in dicendo solet, ut nulla exspectetur ornata oratio. Neque enim sum de arte dicturus, quam nunquam didici, sed de mea consuetudine; ipsaque illa, quae in commentarium meum retuli, sunt eiusmodi, non aliqua mihi doctrina tradita, sed in rerum usu causisque tractata; quae si vobis, hominibus eruditissimis, non probabuntur, ve-

---

§. 206. *sentias intelligemus*] Sic ex Manutii emendatione recentt. post Ern., præter Olsh., qui vulgatam codd. et edd. lectionem: *intelligas sentiemus* retinuit. Initio §. sequentis voc. *oneris* Schuetz post *id nobis* transposuit. Sed genitivum sic sæpe a casu suo regente longius disiungi, multis exemplis probarunt Matth. ad IV Catil. 8. 16 extr. et Beier ad II Off. 9. 34 p. 68. Muellerus hoc voc. post *imponitur* collocavit.

stram iniquitatem accusatote, qui ex me ea quaesieritis, quae ego nescirem, meam facilitatem laudatote, quum vobis, non meo iudicio, sed vestro studio inductus, non gravate respondero.

209. Tum Crassus, Perge modo, inquit, Antoni. Nullum est enim periculum, ne quid tu eloquare, nisi ita prudenter, ut neminem nostrum poeniteat ad hunc te sermonem impulisse.

Ego vero, inquit, pergam et id faciam, quod in principio fieri in omnibus disputationibus oportere censeo, ut, quid illud sit, de quo disputetur, explanetur, ne vagari et errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dissenserint, non idem [esse] illud, quo de agitur, intelligant. 210. Nam si forte quaereretur, quae esset ars imperatoris, constituendum putarem principio, quis esset imperator; qui quum esset constitutus administrator quidam belli gerendi, tum adiungeremus de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quae essent propriae belli administrandi; quarum qui essent animo et scientia compotes, eos esse imperatores dicerem, utererque exemplis Africanorum et Maximorum; Epaminondam atque Hanni-

---

Cap. XLVIII. §. 209. *non idem esse illud*] *esse* delent Sch. et Mueller; uncis inclusit Or. — Statim: *quo de agitur* Havn. uterq., Oxx. omnes, al., Gruterus et recentt. præter Olsh., qui vulgatum ordinem *de quo agitur* restituit. Denique *intelligant* e coni. edidit Ern., eumque secuti sunt recentt. præter Olsh., qui cum vulgatis exhibuit *intelligent*.

§. 210. *exemplis Africanorum et Maximorum*] H. e. exemplis Africani et Maximi atque eius generis virorum s. exempl. talium virorum, quales fuerunt Africanus et Maximus; cfr. Ellendt ad Brut. 69. 244. p. 179. — *P. Cornelius Scipio Africanus maior*, einsdemque nominis *Æmilianus minor*, *Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator*, quinquies consul, dictator a. U. 537 (217), qui cunctando rem Roma-

balem atque eius generis homines nominarem. 211. Sin autem quaereremus, quis esset is, qui ad rem publicam moderandam usum et scientiam et studium suum contulisset, definirem hoc modo: qui, quibus rebus utilitas rei publicae pararetur augereturque, teneret iisque uteretur, hunc rei publicae rectorem et consilii publici auctorem esse habendum; praedicaremque P. Lentulum, principem illum, et Ti. Gracchum patrem et Q. Metellum et P. Africanum et C. Laelium et innumerabiles alios tum ex nostra civitate tum ex ceteris. 212. Sin autem quaereretur, quisnam iurisconsultus vere nominaretur, eum dicerem, qui legum et consuetudinis eius, qua privati in civitate uterentur, et ad respondendum et ad agendum et ad caven-

---

nam ab Hannibale labefactatam restituit, *Epaminondas*, Thebanorum, et *Hannibal*, Poenorum dux, vel tironibus noti sunt.

§. 211. *P. Lentulum* etc.] *P. Cornelius Lentulus*, princeps senatus (fortasse idem, qui a. U. 592 (162) cum Cn. Domitio Ahenobarbo cos. fuit; vid. Ellendt ad Brut. 28. 108 p. 81), cum L. Opimio consule C. Gracchum armatus in Aventinum persecutus est atque in hoc proelio grave vulnus accepit. Cic. Philipp. VIII. 4. 14, Catilin. IV. 6. 13; cfr. Brut. 28. 108, Div. in Cæc. 21. 69, Agr. II. 30. 82. — De *Tiberio Graccho* patre vide ad 9. 38. — *Q. Cæcilius Metellus Macedonicus*, prætor a. U. 606 (148) in Macedonia Andriscum s. Pseudophilippum, qui se Persei, regis Macedoniæ, filium ferebat, vicit (Vell. Paterc. I. 11 ibiq. intt.). Consul a U. 611 (143) cum Appio Claudio Pulchro. De eius felicitate vide V Fin. 27. 82, I Tusc. 35. 85, Brut. 21. 81 et impr. Vell. Paterc. l. c. — *P. Africanus* impr. *minor*. — *C. Lælius Sapiens* bello Punico tertio legatus Scipioni fuit (Cic. repl. II. 40, Appian. de reb. Punic. 126); prætor a. U. 609 (145) Viriathi ferociam fregit (II Offic. 11. 40, Læl. 25. 96, Brut. 21, 84); consul a. U. 614 (140) cum Q. Servilio Cæpione. Cfr. Ellendt prolegg. p. XXV sqq.

tum ex nostra] Sic Erl. 1, Guelf. B, edd. antiquiss., Sch. — Vulgo: *quum ex nostra*.

§. 212. *et ad agendum*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *et ad scribendum* e coni. Ern., Sch., Harl., Mueller, qui conferunt Cic. pro Murena 9. 19: *urbanam militiam respondendi, scribendi, cavendi* — secutus est

dum, peritus esset; et ex eo genere Sex. Aelium, M'. Manilium, P. Mucium nominarem.

XLIX. Atque ut iam ad leviora artium studia veniam, si musicus, si grammaticus, si poeta quaeratur, possim similiter explicare, quid eorum quisque profiteatur, et quo non amplius ab quoque sit postulandum. Philosophi denique ipsius, qui de sua vi ac sapientia unus omnia paene profitetur, est tamen quaedam descriptio, ut is, qui studeat omnium rerum divinarum atque humanarum vim, naturam causasque nosse et omnem bene vivendi rationem tenere et persequi, nomine hoc appelletur. 213. Oratorem autem, quoniam de eo quaerimus, equidem non facio eundem, quem Crassus, qui mihi visus est omnem omnium rerum atque artium scientiam comprehendere uno oratoris officio ac nomine; atque eum puto esse, qui et verbis ad audiendum iucundis et sententiis ad probandum accommodatis uti possit in causis forensibus atque communibus. Hunc ego appello oratorem eumque esse praeterea instructum voce et actione et lepore quodam volo. 214. Crassus vero mihi noster visus est oratoris facultatem non illius artis terminis, sed ingenii sui finibus, immensis paene, describere. Nam et civitatum regendarum oratori gubernacula

---

Sex. Ælium] De *Sex. Ælio Pæto* vide ad 45. 198. — *M'. Manilius Nepos* cos. a. U. 605 (149) cum L. Marcio Censorino, iuris peritissimus (Cic. de repl. I. 13, III. 10), cuius tres de iure civili libros commemorat Pomponius in Digest. I. 2. 39; cfr. Cic. I. Fin. 4. 12. Vide A. Maii Prosopograph. dialogg. de repl.; cfr. infr. ad 58. 246. — De *Publ. Mucio* cfr. ad 37. 170.

Cap. XLIX. §. 213. *et verbis*] *et*, quod exhibent plerique codd. omnesque edd. ante Gruterum, recte restituit Or. — om. Grut., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

§. 214. *Nam et civitatum regendarum etc.*] "Voluerat addere: *et philosophiam*. Sed quum ad priora refutanda abripi se passus esset, illa verba hic omisit, et ad quaestionem de philosophia c. 51 demum transit. Sic cap. 50.

sententia sua tradidit; in quo per mihi mirum visum est, Scaevola, te hoc illi concedere, quum saepissime tibi senatus, breviter impoliteque dicenti, maximis sit de rebus assensus. M. vero Scaurus, quem non longe ruri apud se esse audio, vir regendae rei publicae scientissimus, si audierit, hanc auctoritatem gravitatis et consilii sui vindicari a te, Crasse, quod eam oratoris propriam esse dicas: iam, credo, huc veniat et hanc loquacitatem nostram vultu ipso aspectuque conterreat; qui quamquam est in dicendo minime contemnendus, prudentia tamen rerum magnarum magis quam dicendi arte nititur. 215. Neque vero, si quis utrumque potest, aut ille consilii publici auctor ac senator bonus ob eam ipsam causam orator est, aut hic

---

217 post *et quos φυσικοὺς etc.* continuandum erat: *et philosophi iidem essent geometræ et musici*, quod nunc alia orationis forma usus adiecit. Lib. II. 11. 48 *nam et testimonium* etc. debebat sequi: *et mandata exponenda;* pro hoc cap. 12 init. *Quid? si — mandata sint expon.* — Lib. II. 78. 319. respondent sibi: *sic et facile reperientur*, *et momenti aliquid afferent.* Sed post parenthesin sensum particulæ *sic* repetit voc. *ita.*" Matthiae in Seebodii Misc. crit. I. p. 677; cfr. Beier ad Scaur. p. 144 sq., Madvig de Asconio p. 79 not.

M. vero Scaurus] *M. Æmilius Scaurus* in consulatu, quem a. U. 639 (115) cum M. Cæcil. Metello gessit, in Q. Metelli Macedonici locum princeps senatus a censoribus lectus est. Vixit adhuc bello Marsico. Ascon. in Scaur. p. 153 sq. Beier. De eius vita et auctoritate vid. Ellendt prolegg. p. XLVI sqq.; cfr. Beier ad Scaur. l. c. et ad I Off. 22. 76 p. 177 atque infra ad II. 64. 257. Hunc Scaurum Cicero et admirabatur et diligebat (cfr. Scaur. p. 134), ideoque non solum eius ingenium, sed etiam animum moresque, quos graviter vituperat Sallust. Iugurth. c. 15 al., summis laudibus effert. Sic pro Sestio 47. 101 dicitur *propugnator rei publicæ constantissimus*, *qui a C. Graccho usque ad Q. Varium seditiosis omnibus restiterit; quem nulla unquam vis, nullæ minæ, nulla invidia labefecerit;* et pro Fonteio 7. 14: *Ecquem hominem vidimus*, *ecquem vere commemorare possumus parem consilio*, *gravitate*, *constantia*, *ceteris virtutibus*, *honoris*, *ingenii*, *rerum gestarum ornamentis*, *M. Æmilio Scauro fuisse?* Cfr. Brut. 29. 112.

disertus atque eloquens, si est idem in procuratione civitatis egregius, † aliquam scientiam dicendi copia est consecutus. Multum inter se distant istae facultates longeque sunt diversae atque seiunctae, neque eadem ratione ac via M. Cato, P. Africanus, Q. Metellus, C. Laelius, qui omnes eloquentes fuerunt, orationem suam et rei publicae dignitatem exornabant.

L. Neque enim est interdictum aut a rerum natura aut a lege aliqua atque more, ut singulis hominibus ne amplius quam singulas artes nosse liceat. 216. Quare non, etsi eloquentissimus Athenis Pericles, idemque in ea civitate plurimos annos princeps consilii publici fuit, idcirco eiusdem hominis atque

---

§. 215. *aliquam scientiam dicendi copia*] *aliquam scientiam*, aut *aliquam scientia*, aut *aliqua scientia* codd. et vulg. edd.; *copiam* cod. Grut., Oxx. omnes, Erl. 1 et edd. antiquiss. In voc. *aliquam* vitium esse, senserunt VV. DD.; sed coniecturæ, quas protulerunt, vulgatæ lectioni non multum præstant. Wyttenbach. in Bibl. crit. I. p. 15 coni. *alienam scientiam*, eumque secuti sunt Sch., Olsh., Or. (Iam in ed. Hahn. exstat: *aliena scientia dicendi copiam*). — *illam scientiam* Man., Lamb., Ern., Harl., Mueller. — *reliquam scientiam* coni. Gesnerus.

Cap. L. §. 216. *Pericles*] *Pericles et auctoritate et eloquentia et consilio princeps civitatis* (Cic. de repl. I. 16) *quadraginta annos præfuit Athenis et urbanis eodem tempore et bellicis rebus* (Orat. III. 34. 138), de qua re præcipue consulendi sunt Thucydides et Plutarch. in eius vita. Xantippi illius, qui apud Mycalen copias regias devicerat, filius fuit, Anaxagoræ auditor (Plato Phædr. p. 269. E, Cic. Brut. 11. 44, Or. 4. 15, de Orat. et de repl. II. cc.); Ol. LXXIX. 4 (461 a. Chr.) florere coepit; obiit Ol. LXXXVII. 4 (429 a. Chr.).

eiusdem hominis etc.] H. e. ad eundem hominem atque artem pertinere utraque facultas existimanda est, ita ut homo eloquens atque disertus idem semper sit homo reipublicæ gubernandæ peritus, vel contra. Matthiae l. c. quasi brevius dictum explicat pro: "quare non idcirco, ut eiusdem hominis, sic eiusdem artis utraque facultas exist. est." Quidquid est, inutilis videtur coniectura Schuetzii: *eiusdem nominis*, quam receperunt Muellerus (quem tamen poenituit facti; vide Seebodii Misc. crit. II. p. 508) et Olsh. — De *P. Crasso* vide ad 37. 170.

artis utraque facultas existimanda est; nec, si P. Crassus idem fuit eloquens et iuris peritus, ob eam causam inest in facultate dicendi iuris civilis scientia. 217. Nam si quisque, ut in aliqua arte et facultate excellens aliam quoque artem sibi assumpserit, ita perficiet, ut, quod praeterea sciet, id eius, in quo excellet, pars quaedam esse videatur: licet ista ratione dicamus, pila bene et duodecim scriptis ludere proprium esse iuris civilis, quoniam utrumque eorum P. Mucius optime fecerit; eademque ratione dicantur, et quos φυσικοὺς Graeci nominant, iidem poetae, quoniam Empedocles physicus egregium poema fecerit. At hoc ne philosophi quidem ipsi, qui omnia, sicut propria, sua esse atque a se possideri volunt, dicere

---

§. 217. *ita perficiet*] Sic iam Lamb. et postea Ern. e coni., quem secuti sunt recentt. Matthiae tamen l. c. vulg. *is perficiet* servandum censet; sed eorum locorum, quos ad or. p. lege Man. 12. 33, II Catil. 12. 27 atque in comment. de anacoluthis in Wolfii Analect. litt. II p. 16 attulit, quibus hanc lectionem vindicari putat, alia ratio esse videtur. (*ita* om. Havn. A. — *iis perf.* Waldarf. — *id perf.* Lips. Thanneri.)

duodecim scriptis ludere] Ovid. A. A. III. 363 sqq.

Est genus in totidem tenui ratione redactum
Scriptula, quot menses lubricus annus habet.
Parva tabella capit ternos utrimque lapillos,
In qua vicisse est, continuasse suos.

Cfr. Cic. fragm. Hortensii ap. Nonium v. *scripta* (Fragm. p. 483 Or.), Quintil. XI. 2. 38 (ad quem locum veterum testimonia de huius ludi peritia in P. Mucio celebrata collegit Spalding) et Ernestius in clavi s. v. *scriptorum ludus.* Quodsi alter Ovidii locus A. A. II. 207:

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit:
Fac pereat vitreo miles ab hoste tuus.

de eodem ludo intelligendus est: in figuris ad hunc ludum adhibitis aliqua similitudo fuisse videtur cum iis, quibus hodie utimur in Schahiludio.

et quos] Vide Matth. observ. ad 49. 214 allatam. — *et* om. Havn. A, Guelf. B, Sch., Mueller, Olsh. — *etiam quos* Man. — *Empedocles* Agrigentinus, poeta et philosophus Pythagoreus, vel potius Eleaticus, Parmenidæ discipulus et imitator (Diogen. Laert. VIII. 55 sq., Suidas v. Παρμενίδης), Olymp. fere LXXXIV (444 a. Chr.) floruit. Diog. Laert. VIII. 74. Egregium carmen, quod h. l. commemoratur, vi-

audent, geometriam aut musicam philosophi esse, quia Platonem omnes in illis artibus praestantissimum fuisse fateantur. 218. Ac si iam placet omnes artes oratori subiungere, tolerabilius est sic potius dicere, ut, quoniam dicendi facultas non debeat esse ieiuna atque nuda, sed aspersa atque distincta multarum rerum iucunda quadam varietate, sit boni oratoris multa auribus accepisse, multa vidisse, multa animo et cogitatione, multa etiam legendo percurrisse, neque ea ut sua possedisse, sed ut aliena libasse. Fateor enim callidum quendam hunc et nulla in re tironem ac rudem, nec peregrinum atque hospitem in agendo esse debere.

LI. 219. Neque vero istis tragoediis tuis, quibus uti philosophi maxime solent, Crasse, perturbor, quod ita dixisti, neminem posse eorum mentes, qui audirent, aut inflammare dicendo aut inflammatas restinguere, quum eo maxime vis oratoris magnitudoque cernatur, nisi qui rerum omnium naturam, mores hominum atque rationes penitus perspexerit, in quo philosophia sit oratori necessario percipienda; quo in studio hominum quoque ingeniosissimorum otiosissimorumque totas aetates videmus esse contritas; quorum ego copiam magnitudinemque cognitionis atque artis non modo non contemno, sed etiam vehementer admiror; nobis tamen, qui in hoc populo foroque versamur, satis est ea de moribus hominum et scire et dicere, quae non abhorrent ab hominum moribus. 220. Quis enim unquam orator magnus

---

detur esse illud περὶ φύσεως, tribus libris; cfr. Cic. Læl. 7. 24 ibiq. intt., Fabric. Bibl. Gr. I. p. 811 sqq. Empedoclis fragmenta ediderunt Sturz 1805 et Amad. Peyron, Lips. 1810. Cfr. Heinr. Ritter ueber die philosophische Lehre des Empedokles in Wolfii Analect. litt. Vol. II, et eiusd. Gesch. d. Philosophie alter Zeit I. p. 506 sqq.

et gravis, quum iratum adversario iudicem facere vellet, haesitavit ob eam causam, quod nesciret, quid esset iracundia, fervorne mentis an cupiditas puniendi doloris? Quis, quum ceteros animorum motus aut iudicibus aut populo dicendo miscere atque agitare vellet, ea dixit, quae a philosophis dici solent? qui partim omnino motus negant in animis ullos esse debere, quique eos in iudicum mentibus concitent, scelus eos nefarium facere; partim, qui tolerabiliores volunt esse et ad veritatem vitae propius accedere, permediocres ac potius leves motus debere esse dicunt. 221. Orator autem omnia haec, quae putantur in communi vitae consuetudine mala ac molesta et fugienda, multo maiora et acerbiora verbis facit; itemque ea, quae vulgo expetenda atque optabilia videntur, dicendo amplificat atque ornat; neque vult ita sapiens inter stultos videri, uti qui audiant aut illum ineptum et Graeculum putent, aut, etiamsi valde probent ingenium, oratoris sapientiam admirentur, se esse stultos moleste ferant; 222. sed ita peragrat per animos hominum, ita sensus mentesque pertractat, ut non desideret philosophorum descriptiones, neque exquirat oratione, summum illud bonum in animone

---

Cap. LI. §. 220. *partim omnino motus* etc.] Sic Stoici; cfr. 53 230, III. 18. 65, II Acad. 44. 135. — *partim qui tolerabiliores* etc. Peripatetici *perturbari animos necesse dicebant esse, sed adhibebant modum quendam, quem ultra progredi non oporteret,* IV Tusc. 17. 38. Etiam Academici veteres *mediocritates probabant et in omni permotione naturalem volebant esse quendam modum.* II Acad. 44. 135; cfr. I Offic. 25. 89 ibiq. Beier. — In vocc.: *scelus eos nefarium facere*, ex priore sententia negativa verbum affirmativum *aiunt* s. *dicunt* intellig. est; cfr. Beier ad III Off. 2. 9 p. 197.

§. 221. *ingenium, oratoris sapientiam*] Sic post Ald., Iunt., Crat., Victor., Lamb. distinxit Or. — Vulgo: *ingenium oratoris, sapientiam.* — *ingenium sapientiam oratoris* Havn. B. — *ingen. oratoris sapientiam animi* edd. antiquiss.

§. 222. *summum illud bonum* etc.] V Tusc. 30. 84 sq.: *Sunt autem hæ de finibus* (bonorum), *ut opinor, retentæ de-*

sit an in corpore; virtute an voluptate definiatur; an haec inter se iungi copularique possint; an vero, ut quibusdam visum, nihil certum sciri, nihil plane cognosci et percipi possit. Quarum rerum fateor magnam multiplicemque esse disciplinam, et multas, copiosas variasque rationes; sed aliud quiddam, longe aliud, Crasse, quaerimus. 223. Acuto homine nobis opus est et natura usuque callido, qui sagaciter pervestiget, quid sui cives iique homines, quibus aliquid dicendo persuadere velit, cogitent, sentiant, opinentur, exspectent.

LII. Teneat oportet venas cuiusque generis, aetatis, ordinis, et eorum, apud quos aliquid aget aut erit acturus, mentes sensusque degustet; 224. philosophorum autem libros reservet sibi ad huiuscemodi Tusculani requiem atque otium, nec, si quando ei dicendum erit de iustitia et fide, mutuetur a Platone, qui, quum haec exprimenda verbis arbitraretur, novam quandam finxit in libris civitatem; usque eo

---

fensæque sententiæ. Primum simplices quattuor: nihil bonum, nisi honestum, ut Stoici; nihil bonum, nisi voluptatem, ut Epicurus; nihil bonum, nisi vacuitatem doloris, ut Hieronymus; nihil bonum, nisi naturæ primis bonis aut omnibus aut maximis frui, ut Carneades contra Stoicos disserebat. Hæc igitur simplicia; illa mixta: tria genera bonorum, maxima animi, secunda corporis, externa tertia, ut Peripatetici, nec multo veteres Academici secus; voluptatem cum honestate Dinomachus et Calliphon copulavit; indolentiam autem honestati Peripateticus Diodorus adiunxit. Cfr. V Fin. 7 sq., Beier ad I Off. 2. 6. p. 13 sq.

ut quibusdam visum] V. c. Empedocli, Democrito, Metrodoro Chio, Parmenidi, Xenophani, Anaxagoræ (Acad. II. 23. 73 sq., I. 12. 44), imprimis vero Scepticis s. Pyrrhoniis (Diogen. Laert. IX. 61, Gell. N. A. XI. 5) et Academiæ recentiori (Acad. I. 12. 45 sq.).

Cap. LII. §. 223. *aget*] *agit* Cant., Guelf. B; recepit Pearc., prob. Heusingero. — *agat* Crat. — Statim: *nec si quando* e coni. Heerenii et Schuetzii ediderunt recentt. — Vulgo: *ne si quando*.

§. 224. *finxit in libris civitatem*] In libris decem de

illa, quae dicenda de iustitia putabat, a vitae consuetudine et a civitatum moribus abhorrebant. 225. Quod si ea probarentur in populis atque in civitatibus, quis tibi, Crasse, concessisset, clarissimo viro et amplissimo principi civitatis, ut illa diceres in maxima concione tuorum civium, quae dixisti? „Eripite nos ex miseriis, eripite ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri; nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.“ Omitto *miserias*, in quibus, ut illi aiunt, vir fortis esse non potest; omitto

---

re publica (πολιτειῶν ἢ περὶ δικαίου). Cfr. Plato de Repl. V p. 472 B sq., IX. p. 592 B, de Legg. V. p. 739 E. Cic. de repl. II. 11; *Princeps ille, quo nemo in scribendo præstantior fuit, aream sibi sumpsit, in qua civitatem exstrueret arbitratu suo, præclaram illam quidem fortasse, sed a vita hominum abhorrentem et moribus.*

§. 225. *in maxima concione*] Anno U. 648 (106), C. Atilio Serrano, Q. Servilio Cæpione coss., quum legem Serviliam (Q. Servilii Cæpionis Cos.) iudiciariam, de iudiciis ab equitibus ad senatum transferendis, suaderet. Brut. 43. 161, 44. 164, 86. 296, de Orat. II. 55. 223. De lege Servilia cfr. de Invent. I. 49. 92, Tacit. Annal. XII. 60, C. A. C. Klenze fragmenta legis Serviliæ repetundarum (Berol. 1825. 4) prolegg. p. XV. not. 71. Hanc legem perlatam fuisse negat Ellendt prolegg. p. LXXII; perlatam, sed paullo post abrogatam dicunt Ern. in Indice legg., Zumpt Annal. a. U. 650 et Klenze l. c., qui tamen infirmissimis argumentis ad hanc sententiam probandam utitur; nam quod dicit, nisi perlata fuisset lex, Cæpionem a Valerio Max. VI. 9. 13 non appellatum fuisse *patronum senatus:* hac appellatione vel ob *latam* legem dignus erat; inscriptio vero (CCCCLXVIII. 5. Gruter.), qua maxime nititur, iamdudum a VV. DD. inter spurias relata est; cfr. Orellii Inscriptt. I. p. 151. 565.

eripite ex faucibus] Sic plerique codd. (Vet. Steph., Havn. uterq., α, δ, ε, Guelf. B, C, Erl. 1), edd. antiquiss., Sch., Mueller. — Vulgo: *eripite nos ex fauc.* — Illi, quorum crudelitate cives liberari vult, sunt equites Romani, qui tum (inde ab a. U. 632 = 122, quum lege Sempronia C. Gracchi iudiciaria iudicia a senatu ad equites translata erant) iudices erant. Cfr. Brut. 44. 164, p. Cluent. 51. 140.

ut illi aiunt] Philosophi, impr. Stoici. Eundem hunc locum ex Crassi oratione affert et vituperat Cicero, stoicum agens, Paradox. V. 3. 41.

fauces, ex quibus te eripi vis, ne iudicio iniquo exsorbeatur sanguis tuus, quod sapienti negant accidere posse; *servire* vero non modo te, sed universum senatum, cuius tum causam agebas, ausus es dicere. 226. Potestne virtus, Crasse, servire, istis auctoribus, quorum tu praecepta oratoris facultate complecteris? quae et semper et sola libera est, quaeque, etiamsi corpora capta sint armis aut constricta vinculis, tamen suum ius atque omnium rerum impunitam libertatem tenere debeat. Quae vero addidisti, non modo senatum servire *posse* populo, sed etiam *debere*, quis hoc philosophus tam mollis, tam languidus, tam enervatus, tam omnia ad voluptatem corporis doloremque referens, probare posset, senatum servire populo, cui populus ipse moderandi et regendi sui potestatem, quasi quasdam habenas, tradidisset?

---

§. 226. *tenere debeat*] Sic vulgo codd. et edd.; defendit Or., quasi dictum ex philosophorum opinione. Schuetzius tamen, quem sequitur Mueller, rectius, ut mihi quidem videtur, ex coni. edidit *debet*, propter *libera est*, quod præcessit.

quis hoc philos. tam mollis etc.] Hanc constructionem vacillare dicit Schuetzius, ideoque e coni. edidit: *hæc quis phil. tam mollis*, *tam* — *referens*, *ut probare possit*. Recte Muellerus locum sanum esse iudicat, sed male interpretatur: *tam mollis quam tu:* quo quid magis inurbanum ab Antonio proferri potuit? Neque meliore successu in hac loquendi forma explicanda versatur Ellendt ad Brut. 62. 197 p. 140. — In sententiis interrogativis et negativis per breviloquentiam quandam sic interdum ponitur *quis tam*, *nemo tam* etc. pro *quis*, *nemo tam* — *est*, *ut*, velut h. l. *quis* — *tam mollis* — *probare posset* pro *quis* — *tam mollis fuit*, *ut*, vel, *quis*, *quamvis mollis*, *probare posset*. Sic Attic. VIII. 4: *Numquam reo cuiquam*, *tam humili*, *tam sordido*, *tam nocenti*, *tam alieno*, *tam præcise negavi*, *quam hic mihi* (h. e. numq. reus fuit tam humilis —, cui tam p. negaverim, quam); in Pison. 5. 10: *quam potestatem minuere* — *nemo tam effuse petulans conatus est* (h. e. nemo fuit tam eff. p., ut minuere conaretur). Cfr. Quintil. IV. 1. 64: *qua tanta superstitione prohibemur;* Cic. p. Deiot. 5. 15; epp. ad Brut. I. 15 init.

LIII. 227. Itaque haec quum a te divinitus ego dicta arbitrarer, P. Rutilius Rufus, homo doctus et philosophiae deditus, non modo parum commode, sed etiam turpiter et flagitiose dicta esse dicebat. Idemque Servium Galbam, quem hominem probe commeminisse se aiebat, pergraviter reprehendere solebat, quod is, L. Scribonio quaestionem in eum ferente, populi misericordiam concitasset, quum M. Cato, Galbae gravis atque acer inimicus, aspere apud populum Romanum et vehementer esset locutus; quam

---

Cap. LIII. §. 227. *P. Rutilius Rufus*] Panætii auditor, prope perfectus in Stoicis, ut ait Cic. Brut. 30. 113; etiam iuris peritus, cos. a. U. 649 (105) cum Cn. Mallio Maximo. Post consulatum legatus Q. Mucii Scævolæ, P. M., Proconsulis a. U. 660 (94), Asiam a publicanorum iniuriis defendit, sed tantam hac re invidiam sibi contraxit equitum Rom., penes quos tum iudicia erant, ut a. U. 662 (92) repetundarum accusatum virum innocentissimum damnarent; cfr. Brut. c. 30. Exsul Mitylenas migravit, sed ibi a Mithridate oppressus crudelitatem regis in togatos vestitus mutatione vitavit (Dio Cass. fragm. Peiresc. CVI sq., Cic. p. Rabir. Postumo 10. 27), atque Smyrnam concessit, ubi Cicero adolescens complures dies cum eo erat (Brut. 22. 85, de repl. I. 8). A Sulla revocatus in patriam redire noluit. Plura de hoc viro vide ap. Beier. ad II Offic. 13. 47 p. 91, eund. ad Scaurian. p. 131 sqq., A. Maium in Prosopogr. dialogg. de repl., Ellendt. prolegg. p. L sqq. et Madvig. de Ascon. p. 110 not. 4.

Serv. Galbam] De *Servio Sulpicio Galba* cfr. ad 10. 40. Anno U. 604 (150) ex prætura quum obtineret Hispaniam, Lusitanorum XXX milia, ut tradit Sueton. Galb. 3, vel septem milia, ut refert Valer. Max. IX. 6. 2. contra interpositam fidem interfecit; ob quod facinus anno sq. reus factus a L. Scribonio Libone, trib. pl. (cfr. II. 65. 263), fecit id, quod h. l. et Brut. 23. 89 sq. narrat Cicero; cfr. Liv. Epit. 49, Quintil. II. 15. 8, intt. ad Sueton. Galb. 3, Ellendt prolegg. p. XXII et p. XXXI. Rutilius admodum tum adolescens fuit; cfr. Brut. 22, Læl. 27. 101.

M. Cato] Vide ad 37. 171. Hanc causam egit 85 annos natus, eodem anno, quo e vita excessit; Brut. 20. 80. Alios auctores sequitur Livius, qui XXXIX. 40 Catonem nonagesimo ætatis anno Galbam ad populi iudicium adduxisse dicit. — De Catonis *Originibus* vide impr. Corn. Nep. Cat. 3. *Has senex* scribere instituit, iisque persecutus est Italiæ et

orationem in Originibus suis exposuit ipse. 228. Reprehendebat igitur Galbam Rutilius, quod is C. Sulpicii Galli, propinqui sui, Q. pupillum filium ipse paene in humeros suos extulisset, qui patris clarissimi recordatione et memoria fletum populo moveret, et duos filios suos parvos tutelae populi commendasset ac se, tamquam in procinctu testamentum faceret, sine libra atque tabulis, populum Romanum tutorem instituere dixisset illorum orbitati. Itaque quum

præcipue Romanorum historiam inde a primordiis urbis usque ad præturam Ser. Galbæ. Originum fragmenta collegit Lion in Catonianis (Gotting. 1826) p. 17-42; cfr. Lachmann de fontib. Livii p. 42, Niebuhr R. G. I. p. 9 sqq. ed. alt.

§. 228. *C. Sulpicii Galli*] *C. Sulp. Gallus* prætor a. U. 585=169 a Chr. (Liv. XLIII. 11), cos. a. U. 588 (166) cum M. Claudio Marcello. Bello Macedonico legatus L. Æmilii Paulli (tribunus militum, teste Liv.), a. U. 586 (168) lunæ defectionem prædixit, vel deficiendi causam explicavit in concione militum, quo facto exercitum metu liberavit; Cic. de repl. I. 15 ibiq. intt., Liv. XLIV. 37, Valer. Max. VIII. 11. 1; cfr. Beier ad I Off. 6. 19 p. 42. Galbæ propinquus dicitur Gallus, quod eiusdem gentis erat.

in procinctu — sine libra atque tabulis] Gaius II. 101 sqq.: *Testamentorum genera initio duo fuerunt; nam aut calatis comitiis faciebant, quæ comitia bis in anno testamentis faciendis destinata erant, aut in procinctu, id est, quum belli causa ad pugnam ibant; procinctus est enim expeditus et armatus exercitus; alterum itaque in pace et in otio faciebant, alterum in proelium exituri. Accessit deinde tertium genus testamenti, quod per æs et libram agitur. Qui neque calatis comitiis, neque in procinctu testamentum fecerat, is, si subita morte urguebatur, amico familiam suam, id est, patrimonium suum mancipio dabat, eumque rogabat, quid cuique post mortem suam dari vellet; quod testamentum dicitur per æs et libram, scilicet quia per mancipationem peragitur. — Eaque res ita agitur. Qui facit, adhibitis, sicut in ceteris mancipationibus, quinque testibus civibus Rom. puberibus et libripende, postquam tabulas testamenti scripserit, mancipat alicui dicis gratia familiam suam* etc. Cfr. Gell. XV. 27, Ulpian. fragm. tit. 20, Institt. II. t. 10. 1. De testamento in procinctu Plutarch. in Coriolan. 9: *Ἦν δὲ τότε τοῖς Ῥωμαίοις ἔθος εἰς τάξιν καθισταμένοις, καὶ μέλλουσι τοὺς θυρεοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ περιζώννυσθαι τὴν τήβεννον, ἅμα καὶ διαθήκας ἀγράφους τίθεσθαι, τριῶν ἢ τεττάρων ἐπακουόντων, ὀνομάζοντας τὸν κληρονόμον.* Cfr. Festus vocc. *Endoprocinctu* et *Procincta*, Vell. Paterc. II. 5, intt. ad Cic. II N. D. 3. 9.

et invidia et odio populi tum Galba premeretur, hisce eum tragoediis liberatum ferebat; quod item apud Catonem scriptum esse video, *nisi pueris et lacrimis usus esset, poenas eum daturum fuisse.* Haec Rutilius valde vituperabat et huic humilitati dicebat vel exsilium fuisse vel mortem anteponendam. 229. Neque vero hoc solum dixit, sed ipse et sensit et fecit. Nam quum esset ille vir exemplum, ut scitis, innocentiae, quumque illo nemo neque integrior esset in civitate neque sanctior, non modo supplex iudicibus esse noluit, sed ne ornatius quidem aut liberius causam dici suam, quam simplex ratio veritatis ferebat. Paullum huic Cottae tribuit partium, disertissimo adolescenti, sororis suae filio. Dixit item causam illam

---

hisce eum] Sic Heusingerus e coni., eumque secuti sunt Sch. et Olsh. Eodem ducunt vestigia codd., in quibus est: *his cum* (Erl. 1), *isque*, *iisque*, *hisque eum*. — *his quoque eum* Med. utraq., Ven. et vulgo post Ald. — *his quasi eum* Lott., marg. Crat., Victor., Mueller, Or. Sed *tragoedias* hoc sensu sine *quasi* ponere solet Cicero (cfr. I. 51. 219, II. 51. 205, 55. 225), et offendit *quasi* alieno loco ante *eum* collocatum.

§. 229. *iudicibus esse noluit*] *iud. esse voluit* Guelf. B, C, Havn. A, Hahn., ed. s. l. et a., Med. 1, Iunt., Crat., Sch., Olsh., et defendi posse putat Orellius. Verum ante *sed ne* — *quidem* posterior negatio in *non modo non* tum omitti potest, quum non solum idem utriusque membri verbum est, sed hoc verbum posteriori demum membro inest. Contra ubi priori membro adiunctum est verbum, *non* omitti vix potest. Cfr. Attic. I. 11: *Non modo eam voluntatem eius, quæ fuerat erga te, recuperare non potui, verum ne causam quidem elicere*, aliosque locos, quos affert Krebsius Latein. Schulgram. §. 542. b. ed. alt. et Anleitung z. Lateinischschr. p. 558 ed. quart.; cfr. Meyer ad Cic. Orat. 2 init. In posteriore membro cogitandum esse *voluit*, recte observavit Beier ad Scaur. p. 131, qui ad I Off. 21. 71 p. 165 sqq. et III Off. 29. 65 p. 382 parum enucleate de hac re disputavit, quam eandem neque Herzog ad Cæsar. B. G. II. 17. p. 130, nec Zumptius (§. 726) et Ramshornius (p. 536) in Grammaticis satis distincte exposuerunt. Ceterum de *non modo (non)* — *sed* multa disputata sunt his annis a Ramshornio, Rosenheynio, Schuppio, aliis, quorum commentationes recensentur in Iahnii Annal. Vol. V. 4 p. 379. — Paullo post *liberius*

quadam ex parte Q. Mucius, more suo, nullo apparatu, pure et dilucide. 230. Quod si tu tunc, Crasse, dixisses, qui subsidium oratori ex illis disputationibus, quibus philosophi utuntur, ad dicendi copiam petendum esse paullo ante dicebas, et si tibi pro P. Rutilio non philosophorum more, sed tuo licuisset dicere: quamvis scelerati illi fuissent, sicuti fuerunt, pestiferi cives supplicioque digni, tamen omnem eorum importunitatem ex intimis mentibus evellisset vis orationis tuae; nunc talis vir amissus est, dum causa ita dicitur, ut si in illa commenticia Platonis civitate res ageretur. Nemo ingemuit, nemo inclamavit patronorum, nihil cuiquam doluit, nemo est questus, nemo rem publicam imploravit, nemo supplicavit. Quid multa? pedem nemo in illo iudicio supplosit, credo, ne Stoicis renuntiaretur.

LIV. 231. Imitatus est homo Romanus et consularis veterem illum Socratem, qui, quum omnium sapientissimus esset sanctissimeque vixisset, ita in iudicio capitis pro se ipse dixit, ut non supplex aut

---

sic explicat Matthiae l. c.: "Oratione non ad ea, quæ proprie ad rem pertinebant, adstricta, sed ultra propositum evagante."

Q. Mucius] Scævola P. Max. (vide ad 37. 170), cuius legatus in Asia Rutilius fuerat. Asiam autem iustissime rexerat Mucius procos. publicanosque coercuerat, ita ut ob hoc beneficium Mucia, festus dies in eius honorem, a sociis instituerentur. Cic. Verr. II. 21. 51. — Rutilium ipsum pro se dixisse, sed Cottæ, sororis filio (cfr. III. N. D. 32. 80), et Q. Mucio paullum partium tribuisse, Cicero etiam Brut. 30. 115 commemorat. Moris enim erat Romanorum, ut singulos reos plures patroni defenderent, ita tamen, ut pluribus quam quatuor raro quisquam uteretur; Scaurum tamen sex patronos defendisse et post bella civilia ante legem Iuliam (iudiciariam, qua hic mos abrogatus esse videtur) ad duodenos patronos perventum esse, auctor est Asconius argum. Scaur. p. 127 Beier.

§. 230. *pedem nemo — supplosit*] Cfr. Cic. Brut. 80. 278: *Nulla perturbatio animi, nulla corporis; non frons percussa, non femur; pedis (quod minimum est) nulla supplosio.*

reus, sed magister aut dominus videretur esse iudicum. Quin etiam, quum ei scriptam orationem disertissimus orator Lysias attulisset, quam, si ei videretur, edisceret, ut ea pro se in iudicio uteretur, non invitus legit et commode scriptam esse dixit; sed, inquit, ut, si mihi calceos Sicyonios attulisses, non uterer, quamvis essent habiles et apti ad pedem, quia non essent viriles, sic illam orationem disertam sibi et oratoriam videri, fortem et virilem non videri. Ergo ille quoque damnatus est, neque solum primis sententiis, quibus tantum statuebant iudices, damna-

---

Cap. LIV. §. 231. *Lysias*] Cephali Syracusani filius, Ol. LXXX. 2 = 459 a. Chr. Athenis natus (cfr. Cic. Brut. 16. 63) ibidemque educatus, anno ætatis quinto decimo (Ol. LXXXIII. 4 = 445 a. Chr.) simul cum duobus fratribus sese adiunxit iis, qui Athenis Thurium in coloniam mittebantur. Ibi Nisiam et Tisiam Syracusanos audivit magnasque opes sibi comparavit; sed post infaustam Atheniensium in Siciliam expeditionem, seditione facta, Ἀττικισμοῦ accusatus, patria eiectus est. Athenas reversus, triginta tyrannorum crudelitatem vix fuga evitavit; postea cum Thrasybulo Athenas rediit atque ob merita ab Atheniensibus factus ἰσοτελής (*functus omni civium munere*, ait Cic. Brut. l. c., quod quomodo intelligendum sit, docet Boeckh Staatsh. II. p. 77 sqq.), anno ætatis octogesimo tertio ibi mortuus est. Plura de eius vita vide ap. Dionys. Halic. de Lysia iudic., Pseudo — Plutarch. X oratt. vitt. III et Photium cod. 262. Permultas scripsit orationes (Pseudo — Plutarchus 230, Photius 233 veras eius existimari dicit), ex quibus non nisi 34 ad nos pervenerunt.

calceos Sicyonios] Calcei Sicyonii (*Sicyonia*, ὑποδήματα ἐκ Σικυῶνος, Σικυώνια) molles et pretiosi, in feminarum imprimis ornamentis erant. Pollux VII. s. 93, Lucian. dialog. meretr. 14. 23, Athenæus IV. p. 155. C, Lucret. IV. 1121, Virgil. Cir. 169; cfr. Leopard. emend. I. 11, Balduin. de calceo antiquo p. 197. — De Socratis responso cfr. Diogen. Laert. II. 40 sq., ubi Socrates dicit: καλὸς μὲν ὁ λόγος, οὐ μὴν ἁρμόττων ἐμοί.

neque solum primis sententiis etc.] In iudiciis Atheniensium, postquam accusator et reus verba fecerunt, magistratus, qui iudicio præsidebat, per præconem iudices invitabat, ut primis sententiis aut damnarent reum aut absolverent; quo facto, si causa æstimabilis (ἀγὼν τιμητός) erat, h. e. eiusmodi, ut poena legibus non esset definita, sed iudices constituere oporteret, quid reo solvendum vel luendum esset (*Harpocrat.* v. ἀτίμητος ἀγὼν καὶ τιμητός): in tali causa, post-

rent an absolverent, sed etiam illis, quas iterum legibus ferre debebant. Erat enim Athenis, reo damnato, si fraus capitalis non esset, quasi poenae aestimatio; 232. et sententia quum iudicibus daretur, interrogabatur reus, quam quasi aestimationem commeruisse se maxime confiteretur. Quod quum interrogatus Socrates esset, respondit, sese meruisse, ut amplissimis honoribus et praemiis decoraretur, et ut ei victus quotidianus in Prytaneo publice praeberetur; qui honos apud Graecos maximus habetur.

---

quam accusator repetiit poenam iam in actione latam, qua dignum censeret reum (quod dicebatur *τιμᾶσθαι τῷ φεύγοντι, τίμησιν ποιεῖσθαι, ἐπιγράφεσθαι τίμημα*), reus contra æstimabat poenam, quam ipse commeruisse se fateretur (hoc dicebatur *ἀντιτιμᾶσθαι, ἑαυτῷ τιμᾶσθαι*). Tum demum ferebatur iudicum altera sententia (*δευτέρα ψῆφος*), qua decernebant, accusatorisne an rei æstimatio valeret (*τιμᾶν τῷ φεύγοντι*). Ad hoc *τιμητῶν* genus pertinebat Socratis causa, quæ erat *γραφὴ ἀσεβείας*. Vid. Meier et Schoemann Attischer Process p. 171 sqq., p. 300 sqq. et p. 704 sqq.; cfr. Boeckh Staatsh. I. p. 398, Stallbaum ad Platon. Apolog. Socr. p. 75 sq.

§. 232. *et sententia*] Sic edd. antiquiss. et recentt. post Ern. — Vulgo: *ex sententia*. — *hæc sententia* Lamb. — *ea sententia* coni. Orellius.

et ut ei victus] Pronominis *is* pro reciproco positi exempla attulerunt Goerenz ad I. Legg. 7. 23 et Matthiae ad orat. pro Rosc. Amer. 54. 95.

in Prytaneo] De Græcarum civitatum prytaneis vide Casauboni animadv. in Athen. XV c. 60 p. 700 D., Spanhem. ad Callimach. H. in Cerer. 129 p. 734 et diatrib. de Vesta et Prytanibus Græcor. — Athenarum Prytaneum, in arcis vicinia situm, a Theseo exstructum erat, quum pagos Atticos in unum coniungeret (Thucyd. II. 15, Plutarch. Thes. 24, K. O. Mueller in encyclop. Erschii et Grub. VI. p. 237). Prytaneum erat penetrale urbis (Liv. XLI. 20), Vestæ sacrum, ubi perpetuus ignis ardebat, ubi servabantur Solonis leges (*ἄξονες* Pausan. I. 18. 3, Pollux VIII. 10 s. 128), unde coloniæ deducebantur (Herodot. I. 146 ibiq. intt.). In hac æde publice alebantur 50 prytanes, legati, cives de patria bene meriti eorumque posteri (*σίτησις ἐν πρυτανείῳ*). Vid. Meursii Athen. Att. I. 8, Boeckh Staatsh. I. p. 265, Wachsmuth Hell. Alterthumskunde I. 1. p. 193 sq., 2 p. 34 sq.; cfr. Fischer ad Platon. Apol. Socr. 26.

maximus habetur] Sic e coni. Ern., quem secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Olsh. — Codd. et vulgo edd., etiam Orell., *max. haberetur*, quod ex attractione quadam temporum

233. Cuius responso sic iudices exarserunt, ut capitis hominem innocentissimum condemnarent. Qui quidem si absolutus esset (quod mehercule, etiamsi nihil ad nos pertinet, tamen propter eius ingenii magnitudinem vellem), quonam modo istos philosophos ferre possemus, qui nunc, quum ille damnatus est, nullam aliam ob culpam, nisi propter dicendi inscientiam, tamen a se oportere dicunt peti praecepta dicendi? Quibuscum ego non pugno, utrum sit melius aut verius; tantum dico, et aliud illud esse atque hoc, et hoc sine illo summum esse posse.

LV. 234. Nam quod ius civile, Crasse, tam vehementer amplexus es, video quid egeris; tum, quum dicebas, videbam. Primum Scaevolae te dedisti, quem omnes amare meritissimo pro eius eximia suavitate debemus; cuius artem quum indotatam esse et incomptam videres, verborum eam dote locupletasti et ornasti. Deinde quod in ea tu plus operae laborisque consumpseras, quum eius studii tibi et hortator et magister esset domi, veritus es, nisi istam artem oratione exaggerasses, ne operam perdidisses. Sed ego ne cum ista quidem arte pugno. 235. Sit sane

---

natum atque unice verum putat Ellendt ad Brut. 32, 124 p. 93. Sed verba: *qui honos etc.* nullo modo cum Socratis responso coniungi possunt, neque ea ceteris implicita sunt, sed in fine periodi ab homine Romano ad Græcum morem a Socrate commemoratum illustrandum addita.

Cap. LV. §. 234. *tum, quum dicebas, videbam*] Sic plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo inde ab Ald. et Iunt. — *tum, quum dicebas, non videbam* Steph., Lamb., quod cur vulgatæ lectioni prætulerit Or., nescio; neque enim quidquam intercessit, quo fieret, ut nunc magis, quam tum, quum Crassus dicebat, Antonius hoc cerneret. — *et quum dicebas videbam* Vet. Steph. — *et tum, quum dicebas, videbam* Muellerus, qui *et* ex edd. vett. se recepisse dicit; sed præter Manutium nemo, quantum scio, sic edidit; edd. antiquiss. exhibent: *tuncque quum dic. videbam.* Schuetzius in ed. mai. expunxit hæc verba, quæ non sine causa Heusingero spuria visa sunt.

tanta, quantam tu illam esse vis. Etenim sine controversia et magna est et late patet et ad multos pertinet et summo in honore semper fuit, et clarissimi cives ei studio etiam hodie praesunt; sed vide, Crasse, ne, dum novo et alieno ornatu velis ornare iuris civilis scientiam, suo quoque eam concesso et tradito spolies atque denudes. 236. Nam si ita diceres, qui iurisconsultus esset, esse eum oratorem, itemque qui esset orator, iuris eundem esse consultum: praeclaras duas artes constitueres atque inter se pares et eiusdem socias dignitatis. Nunc vero iurisconsultum sine hac eloquentia, de qua quaerimus, fateris esse posse fuisseque plurimos; oratorem negas, nisi illam scientiam assumpserit, esse posse. Ita est tibi iurisconsultus ipse per se nihil, nisi leguleius quidam cautus et acutus, praeco actionum, cantor formularum, auceps syllabarum; sed quia saepe utitur orator subsidio iuris in causis, idcirco istam iuris

---

§. 235. *ei studio etiam hodie præsunt*] Sic plerique codd. (*et hodie* Erl. — *etiam* om. Havn. uterq., Guelf. B, C), Hahn. (*et hodie*), Ald., Man., Lamb., Grut., Ern., Harl., Olsh. — *ei studio et semper præfuerunt et hodie præsunt* pleræque edd. antiquiss., Mueller, Or., et sic etiam duo Lamb. codd., Iunt., Crat., Victor., nisi quod ante *hodie* addunt *etiam*. Sed *semper præfuerunt* repetitio est eorum, quæ antecedebant, *summo in honore SEMPER fuit*, quod quum sentiret Schuetz, e coni. edidit: *ei studio et olim præfuerunt et hodie præsunt*.

§. 236. *Ita est tibi*] Sic pro vulg. *ita et tibi* scripsit Ern., quem secuti sunt recentt. — *Leguleius*. Cfr. Quintil. XII. 3. 11: *Alii se ad album* (h. e. prætorum edicta) *ac rubricas* (ICtorum libros) *transtulerunt*, *et formularii vel, ut Cicero ait, leguleii esse maluerunt*; cfr. ibid. intt. — *Præco actionum*, qui, quibus quemque actionibus uti oporteat, denuntiat. — *Cantor formularum*, qui formularum solemnia verba s. *carmina* semper in ore atque in promptu habet. — *Auceps syllabarum*, qui singula hominum verba captat, ut inde calumniandi materiem sumat, vel qui legum quasi singulas syllabas venatur atque in suum commodum interpretando torquet. Cic. pro Cæcin. 23. 65 *aucupia verborum et litterarum tendiculas* commemorat; cfr. ibid. 18. 52.

scientiam eloquentiae tamquam ancillulam pedisequamque adiunxisti.

LVI. 237. Quod vero impudentiam admiratus es eorum patronorum, qui aut, quum parva nescirent, magna profiterentur, aut ea, quae maxima essent in iure civili, tractare auderent in causis, quum ea nescirent nunquamque didicissent: utriusque rei facilis est et prompta defensio. Nam neque illud est mirandum, qui, quibus verbis coëmptio fiat, nesciat, eundem eius mulieris, quae coëmptionem fecerit, causam posse defendere; nec, si parvi navigii et magni eadem est in gubernando scientia, idcirco qui, quibus verbis erctum cieri oporteat, nesciat, idem erciscundae familiae causam agere non possit. 238. Nam

---

Cap. LVI. §. 237. *quibus verbis coemptio fiat*] Uxor apud Rom. fiebat femina *confarreatione*, aut *coemptione*, aut *usu*. Vide quae collegerunt Schweppe Röm. Rechtsgesch. §. 588 et Creuzer Antiqq. p. 93 sqq. ed. alt. — De *coemptione* Gaius I. 113: *Coemptione in manum conveniunt* (feminae) *per mancipationem, id est, per quandam imaginariam venditionem, adhibitis non minus quam quinque testibus, civibus Romanis puberibus, item libripende, praeter mulierem eumque, cuius in manum convenit.* Cfr. Non. voc. *nubentes* (XII. 50) ex Varronis libr. I. de Vita P. R., Serv. ad Virg. Georg. I. 31 et Æn. IV. 103, Isidor. Origg. V. 24, Savigny in Zeitschr. f. gesch. Rechtswiss. II. p. 387 sqq., III. p. 311. — De verbis, quibus coemptio fiebat, Boethius comment. in Cic. Topic. 3. 14: *Coemptio certis solemnitatibus peragebatur, et sese in coemendo invicem interrogabant; vir ita: an sibi mulier materfamilias esse vellet. Illa respondebat, velle. Item mulier interrogabat, an vir sibi paterfamilias esse vellet. Ille respondebat, velle. Itaque mulier viri conveniebat in manum, et vocabantur hae nuptiae per coemptionem; et erat mulier materfamilias viro loco filiae. Quam solemnitatem in suis institutis Ulpianus exponit.*

erctum cieri] Sic ex Victorii (qui in suis MSS. invenit *eretum cieri*) emendatione (Varr. lectt. XXXV. 1) vulgo post Grut., atque ad hanc emend. alludere dicuntur codd. Pall. et plerique Oxx. Iam Lott. exhibet *herctum cieri.* — *erectum cieri* Hahn. — *herciscundae cieri* Ven. — *herciscimderi* Med. utraq. — *heretum citum* Havn. B, sed e correct. — *hercisceri* Ald., Iunt., Crat., al. — *hercisci* nonnulli codd. ap. Lamb., Man., Steph. — *ercisci cieri* Lamb. e codd. — *dividi*

quod maximas centumvirales causas in iure positas protulisti, quae tandem earum causa fuit, quae ab homine eloquenti, iuris imperito, non ornatissime potuerit dici? quibus quidem in causis omnibus, sicut in ipsa M'. Curii, quae abs te nuper est dicta, et in C. Hostilii Mancini controversia atque in eo puero, qui ex altera natus erat uxore, non remisso nuntio superiori, fuit inter peritissimos homines summa de iure dissensio. 239. Quaero igitur, quid adiuverit oratorem in his causis iuris scientia, quum hic iurisconsultus superior fuerit discessurus, qui esset non suo artificio, sed alieno, hoc est, non iuris scientia, sed eloquentia, sustentatus. Equidem hoc saepe audivi, quum aedilitatem P. Crassus peteret, eumque maior natu et iam consularis Ser. Galba assectare-

---

familiam Havn. A. — *Erctum citum*, teste Festo hh. vv., *fit inter consortes, ut in libris legum Romanarum legitur. Erctum a coercendo dictum, unde et erciscundæ et ercisci; citum autem vocatum est a ciendo.* Igitur *erctum* (sine dubio a Gr. εἴργω) *ciere*, quod proprie significat, rem coactam loco movere, est patrimonium vel hereditatem dividere (at udskifte et Bo). Serv. ad Virg. Æn. VIII. 642; cfr. H. E. Dirksen Uebersicht d. bisherigen Versuche zur Kritik u. Herstellung des Textes der Zwölf-Tafel-Fragmente (Leipz. 1824) p. 389 sqq. *Familiam erciscere* eodem sensu num adhibitum fuerit ab ICtis Rom., nescio; certe *familia erciscunda* (ut ait Isidor. Origg. V. 25) est *divisio hereditatis inter heredes; erciscunda enim apud veteres divisio nuncupatur*; cfr. Gaius II. 219. Inde statim dicitur: *familiæ erciscundæ causa; fam. erc. arbiter* Cic. p. Cæcin. 7. 19; *f. erc. actio, iudicium, iudex* Digest. X. 2; cfr. ibid. XLIV. 2. 8, Gaius IV. 42.

§. 238. *M'. Curii etc.*] De his causis vide c. 39 et 40.

§. 239. *P. Crassus*] De *P. Crasso*, P. Mucii fratre, diximus ad c. 37. 170, de *Serv. Galba* ad c. 10. 40 et 53. 227. — *C. Galba*, Servii F., P. Crassi gener, *sacerdos*, *rogatione Mamilia, Iugurthinæ coniurationis invidia, quum pro se ipse dixisset, oppressus est.* Cic. Brut. 33. 127 cfr. 34. 128. De C. Mamilii Limetani trib. pl. rogatione a. U. 644 (110) perlata cfr. Sallust. Iug. 40.

et iam] Sic Orellius. Vulgo omnes: *etiam*. — *assectaretur* h. e. honoris causa comitaretur, ut sua auctoritate candidatum commendaret. De assectatoribus locus classicus est in Q. Ciceronis libro de petitione consulatus c. 9. Cfr. Chr.

tur, quod Crassi filiam C. filio suo despondisset, accessisse ad Crassum consulendi causa quendam rusticanum; qui quum Crassum seduxisset atque ad eum retulisset responsumque ab eo verum magis quam ad suam rem accommodatum abstulisset: ut eum tristem Galba vidit, nomine appellavit quaesivitque, qua de re ad Crassum retulisset. Ex quo ut audivit commotumque ut vidit hominem, Suspenso, inquit, animo et occupato Crassum tibi respondisse video; 240. deinde ipsum Crassum manu prehendit et, Heus tu, inquit, quid tibi in mentem venit ita respondere? Tum ille fidenter, homo peritissimus, confirmare, ita se rem habere, ut respondisset, nec dubium esse posse. Galba autem alludens varie et copiose multas similitudines afferre multaque pro aequitate contra ius dicere; atque illum, quum disserendo par esse non posset (quamquam fuit Crassus in numero disertorum, sed par Galbae nullo modo), ad auctores confugisse et id, quod ipse diceret, et in P. Mucii, fratris sui, libris et in Sex. Aelii commentariis scriptum protulisse ac tamen concessisse, Galbae disputationem sibi probabilem et prope veram videri.

LVII. 241. Attamen, quae causae sunt eiusmodi, ut de earum iure dubium esse non possit, omnino in iudicium vocari non solent. Num quis eo testamento, quod paterfamilias ante fecit, quam ei filius natus esset, hereditatem petit? Nemo; quia constat

---

G. Schwarzii disp. de assectatione veterum Rom. Altdorf. 1722. 4, repetit. in Schwarzii diss. selectis ab Harlessio collectis Erlang. 1778. 4 p. 185 sqq.

§. 240. *Tum ille fidenter, homo*] Sic codd. et vulgo post Ald. et Iunt. — *tum ille Crassus fidenter, homo* Hahn. — *tum illi Crassus fid., h.* reliquae edd. antiquiss. — *tum illi fidenter homo* marg. Crat., Man., Mueller, Or. — De *Sext. Ælio* vide ad 45. 198.

agnascendo rumpi testamentum. Ergo in hoc genere iuris iudicia nulla sunt. Licet igitur impune oratori omnem hanc partem iuris in controversiis ignorare, quae pars sine dubio multo maxima est. 242. In eo autem iure, quod ambigitur inter peritissimos, non est difficile oratori, eius partis, quamcunque defendet, auctorem aliquem invenire; a quo quum amentatas hastas acceperit, ipse eas oratoris lacertis viribusque torquebit. Nisi vero (bona venia huius optimi viri dixerim [Scaevolae]) tu libellis aut praeceptis soceri tui causam M'. Curii defendisti. Nonne arripuisti patrocinium aequitatis et defensionem testamentorum ac voluntatis mortuorum? 243. Ac mea quidem sententia (frequens enim te audivi atque affui) multo maiorem partem sententiarum sale tuo et lepore et politissimis facetiis pellexisti, quum et illud nimium acumen illuderes et admirarere ingenium

---

Cap. LVII. §. 241. *agnascendo*] H. e. si post testamentum factum natus filius, vel ab eo, qui testamentum fecit, aliquis adoptatus sit. Cfr. Cic. p. Cæcin. 25. 72, Gaius II. 138, Digest. XL. 5. 24 §. 11.

iuris in controversiis] Hanc codd. et edd. ante Lamb. lectionem restituit Orellius, qui in Addendis Vol. II. P. I. p. 586 putat, fortasse e geminationis regulis leg. esse: *iuris his in controversiis.* — *iuris incontroversi* Lamb. e coni., eumque secuti sunt Gruter. et recentt. Ernestius tamen voc. *incontroversi* uncis inclusit.

§. 242. *amentatas hastas*] Cfr. Brut. 78. 271: *Hermagoræ præceptis — etsi ornamenta non satis opima dicendi, tamen, ut hastæ velitibus amentatæ, sic apta quædam et parata singulis causarum generibus argumenta traduntur.*

dixerim Scævolæ — soceri tui] *Scævolæ* nomen, quod glossatori deberi videtur, cum Orellio uncis inclusi; omittunt Man. (prob. Heusing.), Sch. et Mueller. *Socer Crassi* hic idem fuerat Q. Mucius Scævola Augur; vide ad 7. 24. Scævola autem, qui § sequente commemoratur, est *Q. Mucius Scæv.* Pontif. Max., Crassi in consulatu collega, filius P. Mucii (c. 37. 170), ICti nobilissimi, qui *ius civile fundavit* (ut ait Pompon. Digest. I. t. 2 §. 39) et decem libellos de iure civili reliquit. Hinc Q. Mucius P. M., quod ab hoc quasi hereditate traditum ius civile acceperat, §. 244 dicitur *paterni iuris* defensor et quasi *patrimonii* propugnator *sui.*

Scaevolae, qui excogitasset, nasci prius oportere quam emori; quumque multa colligeres et ex legibus et ex senatusconsultis et ex vita ac sermone communi, non modo acute, sed etiam ridicule ac facete, ubi, si verba, non rem sequeremur, confici nihil posset. Itaque hilaritatis plenum iudicium ac laetitiae fuit; in quo quid tibi iuris civilis exercitatio profuerit, non intelligo; dicendi vis egregia, summa festivitate et venustate coniuncta, profuit. 244. Ipse ille Mucius, paterni iuris defensor et quasi patrimonii propugnator sui, quid in illa causa, quum contra te diceret, attulit, quod de iure civili depromptum videretur? quam legem recitavit? quid patefecit dicendo, quod fuisset imperitis occultius? Nempe eius omnis oratio versata est in eo, ut scriptum plurimum valere oportere defenderet. At in hoc genere pueri apud magistros exercentur omnes, quum in eiusmodi causis alias scriptum, alias aequitatem defendere docentur. 245. Et, credo, in illa militis causa, si tu aut heredem aut militem defendisses, ad Hostilianas te actiones, non ad tuam vim et oratoriam facultatem contulisses. Tu vero, vel si testamentum defenderes, sic ageres, ut omne omnium testamentorum ius in eo iudicio positum videretur; vel si causam ageres militis, patrem eius, ut soles, dicendo a mortuis excitasses; statuisses ante oculos; complexus esset filium flensque eum centumviris commendasset; lapides mehercule omnes flere ac lamentari coëgisset, ut totum illud, UTI LINGUA NUNCU-

§. 245. *ad Hostilianas — actiones*] Has actiones testamentarias fuisse, ex h. l. apparet. Cfr. Hugo Gesch. d. R. R. p. 287 et p. 307 ed. 6tæ.

defenderes — ageres, ageres — excitasses] De hac enallage temporum vid. Krueger Untersuchungen aus d. Gebiete d. Lat. Sprachlehre fasc. II. p. 212; cfr. Matthiae ad orat. pro Roscio Amer. 36. 103.

coegisset] Sic codd. et vulg. edd. — *coegisses* Havn. B,

PASSIT, non in XII tabulis, quas tu omnibus bibliothecis anteponis, sed in magistri carmine scriptum videretur.

LVIII. 246. Nam quod inertiam accusas adolescentium, qui istam artem, primum facillimam, non ediscant; quae quam sit facilis, illi viderint, qui eius artis arrogantia, quasi difficillima sit, ita subnixi ambulant, deinde etiam tu ipse videris, qui eam artem facilem esse dicis, quam concedis adhuc artem omnino non esse, sed aliquando, si quis aliam artem didicerit, ut hanc artem efficere possit, tum esse illam artem futuram; deinde, quod sit plena delectationis, in qua tibi remittunt omnes istam voluptatem

---

qui supra exhibet *complexus esses*, *commendasses*, quemadmodum legendum esse coniecit Ern. — *coegisses* e coni. ediderunt Sch., Mueller, Olsh., Or.

uti lingua nuncupassit] Verba legis sunt: *UTI LINGUA NUNCUPASSIT* (h. e. palam nominaverit, Gaius II. 104, Isidor. Origg. V. 24), *ITA IUS ESTO.* Fest. voc. *nuncupata.* Hæc verba sæpius in XII tabb. scripta fuisse videntur, atque hæc formula, quæcumque sic palam pronuntiata essent, rata esse iubebat, etiam in testamentis; cfr. de Invent. II. 50. 148, Gaius l. c., Beier ad III. Off. 16. 65 p. 299 sqq., Dirksen l. c. p. 397 sqq. Quæ sequuntur, quæ sane obscuriora sunt, sic intelligenda esse videntur: Crassum oratione effecturum fuisse, ut contra scriptum iudicaretur, secus atque in XII tabb. præceptum esset, ita ut illa XII tabularum verba non maiorem habitura fuissent auctoritatem, quam si in rhetoris alicuius formulis scripta essent. — Ceterum observandum est, vulgo codd. et edd. exhibere *nuncupasset;* sed recte *nuncupassit* correxerunt Man. et Lamb., quos secuti sunt recentt. post Sch. Similis confusio iam in antiquissimis codd. reperitur: sic *legasset* pro *legassit* in Gaii MS. Veronensi II. 224.

Cap. LVIII. §. 246. *Nam quod inertiam etc.*] "Dicere voluit Cicero: nam quod inertiam accusas adolescentium, — primum quod facillima sit, deinde quod sit plena delectationis, iniuste facis; nam primum, quam sit facilis etc." Matth. ad h. l. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 678. Fatendum tamen, admodum durum esse huiusmodi anacoluthon, ubi apodosis non omittitur, sed bis per relativam sententiam exprimitur; neque sine causa Ern. hunc locum non ubique sanum esse suspicatus est.

in qua] Sic codd. et vulg. edd. — *in quo* ex Guelf. C et Ernestii coni. ediderunt Sch., Mueller, Or.

et ea se carere patiuntur; nec quisquam est eorum, qui, si iam sit ediscendum sibi aliquid, non Teucrum Pacuvii malit quam Manilianas venalium vendendorum leges ediscere. 247. Tum autem, quod amore patriae censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere: non vides, veteres leges aut ipsa sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas? Quod vero viros bonos iure civili fieri putas, quia legibus et praemia proposita sint virtutibus et supplicia vitiis: equidem putabam, virtutem hominibus, si modo tradi ratione possit, instituendo et persuadendo, non minis et vi ac metu tradi. Nam ipsum quidem illud etiam sine cognitione iuris, quam sit bellum cavere malum, scire possumus. 248. De me autem ipso, cui uni tu concedis, ut sine ulla iuris scientia tamen causis satisfacere possim, tibi hoc, Crasse, respondeo, neque me unquam ius civile didicisse, neque tamen in iis causis, quas in iure possem defendere, unquam istam scientiam desiderasse. Aliud est enim esse artificem cuiusdam generis atque artis, aliud in communi vita et vulgari hominum con-

---

Teucrum Pacuvii] *M. Pacuvius*, Ennii sororis filius, a. U. 534 (220) Brundusii natus, nobilissimus tragoediarum scriptor, etiam pingendi arte excelluit (Plin. H. N. XXXV. 7). Romæ, ubi C. Lælii hospitio et amicitia utebatur (Cic. Læl. 7. 24), usque ad summam senectutem fabulas docuit (Brut. 64. 229); deinde Tarentum concessit, ubi prope nonagenarius diem obiit; Gell. N. A. XIII. 2, Hieronym. in Chron. Euseb. Ol. CLVI. Cfr. H. Stieglitz de M. Pacuvii vita commentatio, præmissa fragmentis Dulorest. Lips. 1826. De Teucro vide infra ad II. 46. 193. — *Manilianæ venalium vendendorum leges*, quas *Mamilii actiones* vocat Varro, erant formulæ a M'. Manilio ICto (c. 48. 212), ut videtur, compositæ, ad quas mancipationes fiebant et mancipiorum leges conficiebantur (Hugo Gesch. d. R. R. p. 287). Ex his formulis nonnullæ exstant ap. Varronem de R. R. II. 3. 5, 5. 11, 7. 6.

suetudine nec hebetem nec rudem. 249. Cui nostrum nunc licet fundos nostros obire aut res rusticas vel

---

§. 249. *Cui nostrum nunc licet*] Hanc Schuetzii coniecturam recepi, non solum quod facilitate commendatur (*non* et *nunc* sæpe a librariis confunduntur), sed quod vulgata lectio veritati et totius loci sententiæ repugnat. Nam primum, quomodo Antonius dicere potuit, sibi, Crasso, Scævolæ, ceteris, qui omnes, ut ipse dicit, *in causis et in negotiis et in foro conterebantur*, licere fundos obire aut res rusticas invisere? certe per negotia non licebat; aliud est enim, feriis in villam suburbanam evolare, aliud fundos obire et res rusticas invisere, quod ii faciunt, qui agriculturæ vacant. Deinde quid sibi vult illa affirmatio per interrogationem expressa: *Cui nostrum non licet?*, quum in sequentibus, quæ quasi præparari debebant hac interrogatione, id urgeat Antonius, *sine* exercitatione et *sine* accurata rei rusticæ cognitione se ceterosque, quod opus sit, efficere posse? Denique quænam tandem ista est oppositio: Licet nobis rei rusticæ operam dare; tamen nemo ita coecus, ita vecors est, ut nesciat, quid sit sementis etc.? Nam quod Orellius dicit, quomodocunque distinxeris, *tamen* h. l. ut sæpe significare *certe*, *sane*, *saltem*, id quamquam omnino lubricum est et incertum (cfr. Matth. ad III Cat. 5. 10), de sua distinctione nonnemini fortasse persuaserit, de vulgata distinctione nemini, credo, persuadebit; ne sibi quidem persuasisse videtur, qui, vulgata distinctione relicta, interpunxerit: *invisere tamen? Nemo*, quemadmodum antea Muellerus: *delectationis tamen, invisere? Nemo.* Hac distinctione vel transpositione inepta oppositio tollitur, sed neque ceteræ difficultates removentur, quæ efficiunt, ut similitudo claudicet, et aliud infertur incommodum, verbis *Nemo — omnino nesciat* a ceteris divulsis et quasi in medio pendentibus. Itaque ut sibi constet similitudo, aut omisso *non* aut in *nunc* mutato, ita informari debet: Quemadmodum nos, qui in tanta occupatione rem rusticam curare non possumus, sine exercitatione et sine accurata rei rusticæ cognitione ac studio, communi illa intelligentia, qua nemo caret, qui non sit sine oculis vel sine mente, contenti esse possumus, si quando fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori sit; ita iidem sine accurata iuris civilis cognitione ad causas agendas satis instructi esse possumus communi illa intelligentia, qua nemo Romanus caret. — Ceterum *fundum inspicere* "est vel arbitri vel advocati vel iudicis, exorta forte de finibus fundorum aut alia eiusmodi de causa inter vicinos controversia," quemadmodum recte observat Schuetz. Reclamat Muellerus, qui *fundum inspicere* et *fundum obire* idem esse existimare videtur; sed nullum aliud argumentum adversus Schuetzii sententiam affert, quam quod de hac re postea esse sermonem dicit; sed ubi hæc res postea commemoretur, equidem invenire non possum.

fructus causa vel delectationis invisere? Tamen nemo tam sine oculis, tam sine mente vivit, ut, quid sit sementis ac messis, quid arborum putatio ac vitium, quo tempore anni aut quo modo ea fiant, omnino nesciat. Num igitur, si cui fundus inspiciendus, aut si mandandum aliquid procuratori de agricultura, aut imperandum villico sit, Magonis Carthaginiensis sunt libri perdiscendi, an hac communi intelligentia contenti esse possumus? Cur ergo non iidem in iure civili, praesertim quum in causis et in negotiis et in foro conteramur, satis instructi esse possumus ad hoc duntaxat, ne in nostra patria peregrini atque advenae esse videamur? 250. Ac si iam sit causa aliqua ad nos delata obscurior, difficile, credo, sit cum hoc Scaevola communicare; quamquam ipsi omnia, quorum negotium est, consulta ad nos et exquisita deferunt. An vero, si de re ipsa, si de finibus, quum in rem praesentem non venimus,

---

procuratori — villico] *Procurator* domini res rusticas quasi eius vicarius curat, servos observat, rationes domini ducit; Petron. 30 ibiq. intt.; cfr. Columella I. 6. 7. — *Villicus* servus, agrorum custos, familiæ rusticæ præest. Cato de R. R. 142 sq., Colum. l. c. §. 6, XI. 1. 3 sqq. Cfr. intt. ad Cic. Tullian. §. 17 p. 31 Beier.

Magonis Carthaginiensis libri] Plin. H. N. XVIII. 5: *De cultura agri præcipere principale fuit etiam apud exteros. Siquidem et reges fecere — et Poenus etiam Mago, cui quidem tantum honorem senatus noster habuit Carthagine capta, ut, quum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius eius duodetriginta volumina censeret in Latinam linguam transferenda, quum iam M. Cato præcepta condidisset, peritisque linguæ Punicæ dandum negotium, in quo præcessit vir clarissimæ familiæ D. Silanus.* Cfr. Varro de R. R. I. 1. 10, Colum. I. 1. 13.

§. 250. *in rem præsentem*] H. e. ad locum, unde præsentes rem, fines, inspicere possimus, quemadmodum interpretatur Beierus ad I Off. 10. 32 p. 73; cfr. eund. ad §. 33 p. 77, ubi affert Liv. XL. 17 pr.: *Eodem anno inter populum Carthaginiensem et regem Masinissam in re præsenti* (h. e. in loco ipso, de quo lis erat) *disceptatores Romani de agro fuerunt.*

si de tabulis et perscriptionibus controversia est, contortas res et saepe difficiles necessario perdiscimus: si leges nobis, aut si hominum peritorum responsa cognoscenda sunt, veremur, ne ea, si ab adolescentia iuri civili minus studuerimus, non queamus cognoscere?

LIX. Nihilne igitur prodest oratori iuris civilis scientia? Non possum negare prodesse ullam scientiam, ei praesertim, cuius eloquentia copia rerum debeat esse ornata; sed multa et magna et difficilia sunt ea, quae sunt oratori necessaria, ut eius industriam in plura studia distrahere nolim. 251. Quis neget opus esse oratori, in hoc oratorio motu statuque, Roscii gestum et venustatem? Tamen nemo suaserit studiosis dicendi adolescentibus, in gestu discendo histrionum more elaborare. Quid est oratori tam necessarium quam vox? Tamen me auctore nemo dicendi studiosus Graecorum more et tragoedorum voci serviet, qui et annos complures sedentes decla-

---

perscriptionibus] Sic recte duo Lamb. codd. (V. ST.), Norf., Cant., Mead., *a*, *δ*, *ε*, Guelf. B, C, ed. s. l. et a., Hahn., Med. 1, Ven., Man., Lamb., Pearc. et recentt. post Ern. — *præscriptionibus* Havn. uterq., Erl. 1, al., Med. 2, Lott., et vulgo olim inde ab Ald. et Iunt. — "Quæcunque in tabulas (præsertim trapezitarum) referuntur, sive ut ipse debeas, sive ut tibi debeantur, dicuntur *perscribi*" Beier ad III Off. 14. 59 p. 285; et *perscriptiones* sunt litteræ (chirographa, assignationes), quibus creditor ad argentarium vel alium quempiam remittitur, unde pecuniam numerandam accipiat. Iam Lambinus comparavit Attic. IV. 18. 2, p. Rosc. Comoed. init. Adde ibid. 2. 5, Philipp. V. 4. 11, Flacc. 19. 44, Attic. XII. 51. 3, Liv. XXIV. 18. Cfr. intt. ad Terent. Phorm. V. 7. 30 et Beier excurs. IV. ad III Off. p. 432 sqq.

Cap. LIX. §. 251. *oratorio motu statuque*] Cfr. Orat. 18. 59. — De *Roscio* vide ad 27. 124.

Græcorum more et tragoedorum] Sic plerique codd. et edd. — *aut tragoed.* Pal. sept. — *Et* trium MSS. auctoritate delevit Lamb., prob. Pearcio; verum non solum Græci tragoedi, sed etiam Romani voci serviebant. — *Græcos* intellige *oratores*, qui in declamationibus illa artificia a rhetoribus præscripta adhibebant. Ex interpretatione nata est lectio ed.

mitant et quotidie, antequam pronuntient, vocem cubantes sensim excitant eandemque, quum egerunt, sedentes ab acutissimo sono usque ad gravissimum sonum recipiunt et quasi quodam modo colligunt. Hoc nos si facere velimus, ante condemnentur ii, quorum causas receperimus, quam toties, quoties praescribitur, pacanem aut † munionem citarimus. 252. Quod si in gestu, qui multum oratorem adiuvat, et in voce, quae una maxime eloquentiam vel commendat vel sustinet, elaborare nobis non licet, ac tantum in utroque assequi possumus, quantum in hac acie quotidiani muneris spatii nobis datur: quanto minus est ad iuris civilis perdiscendi occupationem descendendum? quod et summatim percipi sine doctrina potest et hanc habet ab illis rebus dissimilitudinem, quod vox et gestus subito sumi et aliunde arripi non potest, iuris utilitas ad quamque causam quamvis repente vel a peritis vel de libris depromi potest. 253. Itaque illi disertissimi homines ministros habent in causis iuris peritos, [quum ipsi sint imperitissimi,] eos, qui, ut abs te paullo ante dictum est,

---

Lips. Thanneri, quam recepit Schuetzius: *Græcorum more sophistarum et trag.*

præscribitur] Scil. in præceptis rhetorum; sic pro vulgato *perscribitur* sine dubio recte Man. et Lamb., probb. Pearcio, Heindorfio ad Hor. Sat. I. 3. 7, Wolffio et Or.

munionem] Sic codd. (*muniorem* cod. Turnebi, *enionem* γ) et vulgo edd. Corrupto hoc vocabulo non metri, sed cantilenæ s. carminis cuiusdam genus significari videtur. Infelices VV. DD. coniecturas vide sis ap. Muellerum et Orellium. Locus Photii, quem citat Orell., qui coni. censoris Ienensis *nomum* probat, est cod. 239 p. 320. b. lin. 23 sq. Bekker. — *Citare* h. l. est recitare, canere; cfr. Hor. Sat. l. c. ibiq. Schol.

§. 253. *imperitissimi*] Sic Lamb. (prob. Pearc.) et recentt. post Ern. — Vulgo codd. et edd. *peritissimi*. Sed verba: *quum ipsi sint imper.* a glossatore addita videntur. — Statim *eos qui* Man., Lamb., Mueller, Or., qui tamen *eos* uncinis inclusit. — *et qui* codd. et vulgo edd. — De *pragmaticis* vide c. 45. 198.

pragmatici vocantur. In quo nostri omnino melius multo, quod clarissimorum hominum auctoritate leges et iura tecta esse voluerunt. Sed tamen non fugisset hoc Graecos homines, si ita necesse esse arbitrati essent, oratorem ipsum erudire in iure civili, non ei pragmaticum adiutorem dare.

LX. 254. Nam quod dicis senectutem a solitudine vindicari iuris civilis scientia, fortasse etiam pecuniae magnitudine; sed nos, non quid nobis utile, verum quid oratori necessarium sit, quaerimus. Quamquam, quoniam multa ad oratoris similitudinem ab uno artifice sumimus, solet idem Roscius dicere, se, quo plus sibi aetatis accederet, eo tardiores tibicinis modos et cantus remissiores esse facturum. Quod si ille, adstrictus certa quadam numerorum moderatione et pedum, tamen aliquid ad requiem senectutis excogitat, quanto facilius nos non laxare modos, sed totos mutare possumus? 255. Neque enim hoc te, Crasse, fallit, quam multa sint et quam varia genera dicendi, quod haud sciam an tu primus ostenderis, qui iamdiu multo dicis remissius et lenius, quam solebas; neque minus haec tamen tua gravissimi sermonis lenitas quam illa summa vis et contentio probatur; multique oratores fuerunt, ut illum Scipionem audimus et Laelium, qui omnia sermone conficerent paullo intentiore, nunquam, ut Ser.

Cap. LX. §. 254. *solet idem Roscius dicere*] Cfr. Cic. I. Legg. 4. 11: *Te ipse mutasti et aliud dicendi instituisti genus, ut, quemadmodum Roscius, familiaris tuus, in senectute numeros in cantu leniverat* (sic pro vulg. *cecinerat* Hermannus Opusc. I. p. 300) *ipsasque tardiores fecerat tibias, sic tu a contentionibus, quibus summis uti solebas, quotidie relaxes aliquid.*

§. 255. *quod haud sciam*] Sic Lamb. et Olsh. — *id quod haud sc.* ex Heusing. coni. Sch., Mueller, Or. Alii aliter vitiosam codd. et edd. lectionem *et quod haud sciam* correxerunt.

Galba, lateribus aut clamore contenderent. Quod si iam hoc facere non poteris aut noles, vereris, ne tua domus, talis et viri et civis, si a litigiosis hominibus non colatur, a ceteris deseratur? Equidem tantum absum ab ista sententia, ut non modo non arbitrer subsidium senectutis in eorum, qui consultum veniant, multitudine esse ponendum, sed tamquam portum aliquem exspectem istam, quam tu times, solitudinem. Subsidium enim bellissimum existimo esse senectuti otium.

256. Reliqua vero etiamsi adiuvant, historiam dico et prudentiam iuris publici et antiquitatis, † iter et exemplorum copiam, si quando opus erit, a viro optimo et istis rebus instructissimo, familiari meo Longino, mutuabor. Neque repugnabo, quo minus, id quod modo hortatus es, omnia legant, omnia audiant, in omni recto studio atque humanitate versentur; sed mehercule non ita multum spatii mihi habere videntur, si modo ea facere et persequi volent, quae a te, Crasse, praecepta sunt; qui mihi prope etiam nimis duras leges imponere visus es huic aeta-

---

§. 256. *antiquitatis iter*] Ellendt ad Brut. 59. 214 p. 154 melius quam alii explicat de itinere, "*quod per antiquitatem quasi peregrinantibus instituitur*; quo non res solum gestas, quas historia continet, sed etiam situs, instituta, iura, mores, religiones urbium et civitatum cognoscimus." Offendit tamen *iter antiquitatis* pro itinere per antiquitatem dictum, nec quemquam *mutuari* posse puto *iter* h. e. occupationem ipsam, in qua versetur. Itaque non sine causa voc. *iter* nonnullis VV. DD. corruptum videtur.

Longino] Sic vulgo post Grut. e coni. Nicol. Grucchii, qui ita correxit ex orat. pro Planc. 24. 58, ubi commemoratur tum iam mortuus Longinus, nescio quis, antiquitatis peritissimus. — Codd. et edd. inde ab Ald. *Longo.* — *longe* edd. antiquiss.

mihi habere videntur] Sic Havn. A, *a*, edd. antiquiss., Sch., Harl., Mueller, Or. — *habere* om. codd. nonnulli, v. c. Havn. B, Guelf. B, C, unde orta est vulgata lectio *mihi videtur*, quam retinuit Olsh.

ti, sed tamen ad id, quod cupiunt, adipiscendum prope necessarias. 257. Nam et subitae ad propositas causas exercitationes et accuratae et meditatae commentationes ac stilus ille tuus, quem tu vere dixisti perfectorem dicendi esse ac magistrum, multi sudoris est, et illa orationis suae cum scriptis alienis comparatio et de alieno scripto subita, vel laudandi vel vituperandi vel comprobandi vel refellendi causa, disputatio non mediocris contentionis est, vel ad memoriam vel ad imitandum.

LXI. 258. Illud vero fuit horribile, quod, mehercule vereor, ne maiorem vim ad deterrendum habuerit quam ad cohortandum. Voluisti enim in suo genere unumquemque nostrum quasi quendam esse Roscium, dixistique non tam ea, quae recta essent, probari, quam quae prava, fastidiis adhaerescere; quod ego non tam fastidiose in nobis quam in histrionibus spectari puto. 259. Itaque nos raucos saepe attentissime audiri video; tenet enim res ipsa atque causa; at Aesopum, si paullum irrauserit, explodi. A quibus enim nihil praeter voluptatem aurium

Cap. LXI. §. 258. *quæ prava, fastidiis*] Vulgo: *quæ prava sunt, fastidiis*; sed *sunt* in oratione obliqua (respicitur enim ad ea, quæ Crassus dixerat c. 25. 116), præsertim quum præcesserit *essent*, ferri non posse vidit Ern., qui h. v. uncinis inclusit; delerunt Sch. et Mueller, sed restituerunt Olsh. (qui alienissima comparat) et Or. *Sunt* in paucis modo codd. exstat; quamquam plerique, v. c. Havn. A, Pall. omnes, α, δ, ε, etiam antecedentia inde a voc. *probari* omittunt. In Havn. B legitur: *recta essent, delectare, quam quæ turpia, fastidiis adhær.*

§. 259. *Aesopum*] *Aesopus*, celeberrimus tragoediarum actor, Ciceronis æqualis et familiaris, sæpe a Cicerone aliisque commemoratur; cfr. p. Sest. 58. 123, I. Divin. 37. 80, IV. Tusc. 25. 55, Fam. VII. 1, ad Quint. Frat. I. 2. 8, Horat. Epp. II. 1. 82, Quintil. XI. 3. 111, Plutarch. Cic. c. 5, Macrob. II. 10. — Statim *irrauserit* Pal. octav. et Priscian. X. p. 904 (Vol. I. p. 508 Kr.), Lamb., Grut. et recentt. Vulgo codd. et edd. *irraucuerit*.

quaeritur, in iis offenditur, simul atque imminuitur aliquid de voluptate. In eloquentia autem multa sunt, quae teneant, quae si omnia summa non sunt, et pleraque tamen magna sunt, necesse est ea ipsa, quae sunt, mirabilia videri.

260. Ergo ut ad primum illud revertar, sit orator nobis is, qui, ut Crassus descripsit, accommodate ad persuadendum possit dicere. Is autem concludatur in ea, quae sunt in usu civitatum vulgari ac forensi, remotisque ceteris studiis, quamvis ea sint ampla atque praeclara, in hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur, imiteturque illum, cui sine dubio summa vis dicendi conceditur, Atheniensem Demosthenem, in quo tantum studium fuisse tantusque labor dicitur, ut primum impedimenta naturae diligentia industriaque superaret; quumque ita balbus esset, ut eius ipsius artis, cui studeret, primam literam non posset dicere, perfecit meditando, ut nemo planius esse locutus putaretur; 261. deinde quum spiritus eius esset angustior, tantum continenda anima in dicendo est assecutus, ut una continuatione verborum (id quod eius scripta declarant) binae ei contentiones vocis et remissiones continerentur; qui etiam, ut memoriae proditum est, coniectis in os

§. 260. *Atheniensem Demosthenem*] Vide ad c. 13. 58. De eius labore in impedimentis naturae vincendis atque diligentia in exercendo cfr. Plutarch. Demosth. c. 6 sq., Pseudo-Plutarch. X. oratt. vit. 8, Valer. Max. VIII, 7. 1 extern. — Cic. II. Divin. 46. 96: *Demosthenem scribit Phalereus, quum RHO* (primam artis ῥητορικῆς, cui studebat, litteram) *dicere nequiret, exercitatione fecisse, ut planissime diceret.* — Quod sequitur, *planius esse locutus*, exhibent Vet., Steph., Havn. uterq., Guelf. B, C, al., edd. antiquiss., et sic ediderunt Sch., Mueller, Or. — Vulgo inde ab Aldo: *planius eo locutus*, quod retinuit Olsh. — Utrumque coniunxit Lamb., qui dedit: *planius eo locutus esse.* — *Binae contentiones et remissiones* sunt δύο ἄρσεις καὶ θέσεις, ut observat Matth. ad h. l.

calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat, neque is consistens in loco, sed inambulans atque adscensu ingrediens arduo. 262. Hisce ego cohortationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer assentior; cetera, quae collegisti ex variis et diversis studiis et artibus, tametsi ipse es omnia consecutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror.

LXII. Haec quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius et Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. 263. Tum Crassus: Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis, atque haud scio, an aliter sentias et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam praestitit; cuius quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed iam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utramque partem solent copiosissime dicere. 264. Verum ego non solum arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet; sed maius quiddam videbam, quum censebam oratorem, praesertim in nostra re publica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quae abs te de officiis praeceptisque oratoris quaesita sunt; sed, opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie

---

Cap. LXII. §. 263. *maximeque eorum*] H. e. Peripateticorum atque Academicorum; cfr. II. Tusc. 3. 9.

dicta sunt. 265. Nunc et Scaevola, quoniam in Tusculanum ire constituit, paullum requiescet, dum se calor frangat, et nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Placuit sic omnibus.

Tum Scaevola, Sane, inquit, vellem non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio. Libenter audirem Antonium. Et quum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum civile pervellit, quam iucundus, quod se id nescire confessus est.

---

§. 265. *Nunc et Scævola etc.*] Apte Muellerus in Seebodii Misc. Crit. II. p. 508 affert Cic. Attic. IV. 16, ubi Cicero causam reddit, cur post primi libri sermonem Scævolam semoverit: *Quod in iis libris, quos laudas* (libb. de Oratore), *personam desideras Scævolæ: non eam temere dimovi, sed feci idem, quod in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Quum in Piræeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex; deinde quum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere, neque postea revertitur. Credo, Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego potius hoc mihi cavendum putavi in Scævola, qui et ætate et valitudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scævolæ studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic ioculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui.*

Lælio] Quis hic sit Lælius, non liquet; C. Lælium, Scævolæ socerum, cos. a. U. 614 (140), non significari patet. Probabiliter Orellius in Addendis Vol. II. P. I. p. 586 coniicit *L. Ælio* et conferri iubet Beieri fragmm. Cic. Oratt. p. 172 et p. 285, ubi similis nominum confusio indicatur. Cfr. etiam Spalding ad Quintil. VIII. 6. 38.

M. TULLII CICERONIS
DE ORATORE
LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

1. Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse; erantque multi, qui, quamquam non ita sese rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio discendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent, ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor et stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. 2. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis

---

Cap. I. §. 1. *quamquam — arbitrarentur*] Interdum etiam apud Ciceronem coniunctivus post *quamquam* invenitur. Vid. Matth. ad or. p. Murena 9. 20, Zumpt Gr. §. 574, Ellendt ad Brut. 30. §. 115 p. 86 sq., Paldamus ad Sueton. vitt. select. p. 5.

studio discendi] Sic Havn. B, al. (neque dissentire videntur Oxx.), Ald., Iunt, Crat., Man., Lamb., Cockm., Pearc., Or. — *studio dicendi* Vet. Steph., edd. antiquiss., Victor., Grut., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

§. 2. *ut pueri*] H. e. iis testimoniis v. argumentis, quae nobis pueris suppeterent. Cfr. Heindorf. ad Hor. Sat. I. 6. 79 p. 152 sq., Ramshorn. Gr. p. 683, Herzog. ad Caes. B. G. IV. 3 p. 204 aliosque, quos affert Kuehner ad I. Tusc. 8. 15 p. 59.

testibus, patre et C. Aculeone, propinquo nostro, et L. Cicerone patruo, solebamus, quod de Crasso pater et Aculeo (quocum erat nostra matertera), quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit; quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placerent, et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud saepe intelleximus (quum † essemus eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus), illum

---

patre et C. Aculeone] Pater Ciceronis, Marcus Cicero, Marci, qui II. 66. 265 commemoratur, filius, equestri loco natus (p. Muren. 8. 17), quum esset infirma valitudine, in villa Arpinati, quam latius ædificaverat, fere ætatem egit in litteris, omneque studium in filiis educandis posuit (II. Legg. 1. 3). Eius frater *L. Cicero*, ut ex h. cap. patet, anno U. 651 (103) cum Antonio (vide ad I. 18. 82) in Ciliciam profectus, una ex hac provincia cum eodem decesserat, ita ut satis diu cum eo versatus et sermonum, quos ille cum doctissimis hominibus vel Athenis vel Rhodi habuerat, testis (vide infr.) optime de eius studio et doctrina iudicare posset. Cfr. Matth. et Or. ad h. l., qui similem locum p. Archia 4. 6 laudat. Ita nihil inepti est in voc. *profectus*, quod magnopere offendit Muellerum et Ellendtium, quorum ille coniicit *præfectus* (*decedere in Ciliciam!*), hic proleg. p. LXVI. *profecto*. — *C. Aculeo*, eques Romanus, iuris peritus (Orat. I. 43. 191, Brut. 76. 264), in matrimonio habebat sororem Helviæ (Plutarch. Cic. 1), matris Ciceronis. Eius filius *C. Visellius Varro*, Ciceronis consobrinus, commemoratur Brut. l. c. Aculeone Crassus familiarissime utebatur (I. 43. 191), eumque adversus Gratidianum defendit (II. 65. 262).

et ab iis doctoribus] Sic Man., Lamb., Or. — Vulgo *et ab his doctoribus*. Nihil hac confusione in codd. frequentius. Vid. Orell. ad II. Acad. 2. 7, Madvig. Ep. ad Orell. p. 21, Wunder in censura ed. Mueller. or. p. Sestio in Iahnii Annal. V. 2. p. 174 sq. Itaque iure nobis paullo infra §. 3 *in iis artibus*, c. 5. 21 *in iis philosophi garrire*, et c. 56. 229 *quum iis nihil opus sit* pro *his* correxisse videmur; recte etiam Mueller et Or. II. 11. 45 *ex iis enim fontibus* ediderunt, neque minus recte c. 77. 312 Orell. cum Man. et Lamb. *ut iis locis uti liceat* pro vulg. *his*.

quum essemus eiusmodi] Sic corrupte omnes codd., neque multum placent emendationes VV. DD. Lambinus hæc

et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percontando eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. 3. De Antonio vero quamquam saepe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset: tamen ipse adolescentulus, quantum illius ineuntis aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. Non erit profecto tibi, quod scribo, hoc novum, nam iam tum ex me audiebas, mihi illum ex multis variisque sermonibus nullius rei, quae quidem esset in iis artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. 4. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam,

---

tria verba eiecit; Ernestius, quem secuti sunt Sch., Henr., Mueller, Olsh., coniecit: *quum esset eiusmodi*; sed tum *poteramus* ferri non potest. Quæ exempla ad indicativum defendendum affert Pearcius, ea omnia aliena sunt, præter Manil. 2. 6; sed ibi codd. (etiam Erf.) et pleræque edd. recte exhibent *debeat*. — Gulielmii coni. *quum essemus eius domi* placet Orellio, et sic latine dici posse non nego (*huius domi est mortuus* Cluent. 60. 165; cfr. II. Philipp. 19. 48); quamquam sæpius *in domo eius* dicitur; sed quid hoc sibi h. l. velit, equidem non satis assequor.

§. 4. *ut Crassus — vellet, Antonius autem — censebat*] Anacoluthi genus satis frequens, quo quæ secundaria esse debebat sententia, primaria fit. Cfr. III. Tusc. 26. 63, I. Off. 3. 8, I. Fin. 13. 45 sq., Gernhard excurs. de anacoluth. in Cic. libb. de Off. p. 446.

hoc populo] Sic omnes codd. et vulgo edd. In Havn. B V. D. suprascripsit: *l. pp. hoc*, significans, *hoc* ad comparativum pertinere. Pearcius coni. *huic populo*, provocans ad geminum locum II. 36. 153. Sed *hoc populo* ferri potest, ut abl. absolut. pro: quum in hoc populo versemur (cfr. I. 51. 219), s. quum hunc, talem populum habeamus, quemad-

si omnino didicisse nunquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur. 5. Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere unquam et praestare potuisse.

II. Etenim ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae; bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta teneatur. Omnia, quaecunque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est. 6. Quare equidem et in nostra civitate et in ipsa Graecia, quae semper haec summa duxit, multos et † ingeniis et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor; talem vero exsistere eloquentiam, qualis fuit in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad tantam prudentiam

---

modum interpretatur Ern. al. — Orellius comparat Attic. XI. 11 *hac iuventute*. Cfr. Ellendt ad Brut. 69. 242 p. 177.

Cap. II. §. 5. *saepta teneatur*] Sic omnes codd. et vulgo edd. Referendum ad *bene dicere κατὰ τὸ νοούμενον*, quasi scripsisset: *bene dicendi ars*. Lambinus coni. *saeptum ten.*, quod recepit Peare.

§. 6. *et ingeniis*] Vitium in hac vulgata lectione esse patet; neque enim ablativus descriptionis, qui dicitur, sine adiectivo defendi ullo modo potest, neque bene dicitur *laude dicendi esse*, quum *laus* non sit facultas. Schuetzius aliique ex eo, quod sequitur, *magna laude*, ad *ingeniis* intelligi posse *magnis* censent; sed recte hoc durissimum esse sensit Muellerus, qui aut *ingenii*, aut (quod probo) *floruisse* corrigere malit.

qualis fuit] Sic Erl. 1 et recentt. post Sch. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *qualis fuerit*. — Infra *quanta in illis fuit* omnes codd. et edd., praeter Ern., qui e coni. edidit *fuerit*.

pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuisse confirmo. 7. Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem illi quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem literis; vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse; vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule etiam ut laudem eorum iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. 8. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum; sed quum alter non multum, quod quidem exstaret, et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. 9. Quod hoc

---

§. 8. *quum alter non multum*] Hoc necessario de Crasso intelligendum est, cuius perpauca exstare, nec ea iudiciorum, scribit Cic. Orat. 38. 132; cfr. Brut. 43 sq., ubi Crassi orationes scriptæ commemorantur. — *Alter* (Antonius) *nihil admodum* h. e. omnino nihil; Cic. Brut. 44. 163: *Vellem aliquid Antonio præter illum de ratione dicendi sane exilem libellum* (Orat. I. 21. 94, 47. 206, 48. 208), *plura Crasso libuisset scribere*. Cfr. Orat. 5. 18, Quintil. III. 1. 19. — Handius in Tursellino I. p. 173 sq., qui formulis *nihil admodum* et *admodum nihil* eandem vim tribuit, de h. l. hæc observat: "Id quod ex aliqua ratione negatum volumus, sæpe plene et prorsus negamus, etiam cum quadam asseveratione. Antonius etiamsi unum exilem librum de ratione dicendi scripsisset, tamen omnino nullam reliquit orationem, e qua eloquendi ars cognosci posset. Id disertis verbis narrat Cic. pro Cluent. 50. 140. [cfr. Orat. 38. 132]. — Et poterat Cicero in ista quidem sententia negationem etiam tantopere augere, ut unum illum libellum prætermitteret." — Gernhard ad Læl. 4. 16 *nihil admodum* putat esse fere nihil, *admodum nihil* (Brut. 58. 210): plane nihil. Alii in aliam sententiam disputant; vide Handium l. c.

etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria iam refellente; sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audierunt, ut duos summos viros iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et praesentium memoria teste commendemus.

III. 10. Nec vero te, carissime frater atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor, ut erudiam; quid enim tua potest oratione aut subtilius aut ornatius esse? sed [quoniam] sive iudicio, ut soles dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore a

---

§. 9. *Ser. Galbæ*] vide ad I. 10. 40, 53. 227. De *C. Carbone* ad I. 10. 40.

iam refellente] *iam me refellente* Havn, uterq., Cant., Norf., Harl. 2, α, β, δ, ε, Guelf. B, C, Erl. 1, edd. antiquiss. pleræque, Pearc.

Cap. III. §. 10. *quoniam sive iudicio*] *quoniam*, quod h. l. ferri nullo modo potest, legitur in omnibus codd., præter Erl. 1, qui sine dubio recte hanc partic. omittit. — *quamquam sive iudicio* Ern. e coni., eumque secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Or., qui tamen h. voc. uncis inclusit. — Statim e Pearcii coni. *ut soleo dicere* ediderunt Ern., Sch., Harl., Mueller; sine causa.

ut pater eloquentiæ — Isocrates] In Panathen. §. 10 p. 251 Bekker.: *Οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην, φωνῆς ἱκανῆς καὶ τόλμης, ὡς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος τῶν πολιτῶν*: cfr. fragm. Cic. de repl. lib. III: ap. Non. voc. *confidentia* (de repl. III. 30), Plin. epist. VI. 29. — *Isocrates* Atheniensis natus Ol. LXXXVI (436), prope centenarius mortuus est Ol. CX. 3 (338), paucis post proelium Chaeronense diebus; fame se interfecisse dicitur, ne patriam servitute oppressam videret. Adolescens Prodicum, Gorgiam (in Thessalia tum degentem, Orat. 52. 176), Tisiam, alios audivit; postea ipse ludum aperuit atque discipulorum multitudine nobilitateque floruit. Eius auditores nominantur Theopompus, Ephorus, Timotheus, Cononis filius (Orat. III. 34. 139), Isæus, Lycurgus, Hyperides, Demosthenes, Philiscus aliique permulti. Inde h. l. *pater eloquentiæ* dicitur; cfr. infra II c. 22. 94, Brut. 8. 32, Orat. 15. 40.

calculis, summa voce versus multos uno spiritu pronuntiare consuescebat, neque is consistens in loco, sed inambulans atque adscensu ingrediens arduo. 262. Hisce ego cohortationibus, Crasse, ad studium et ad laborem incitandos iuvenes vehementer assentior; cetera, quae collegisti ex variis et diversis studiis et artibus, tametsi ipse es omnia consecutus, tamen ab oratoris proprio officio atque munere seiuncta esse arbitror.

LXII. Haec quum Antonius dixisset, sane dubitare visus est Sulpicius et Cotta, utrius oratio propius ad veritatem videretur accedere. 263. Tum Crassus: Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis, atque haud scio, an aliter sentias et utare tua illa mirifica ad refellendum consuetudine, qua tibi nemo unquam praestitit; cuius quidem ipsius facultatis exercitatio oratorum propria est, sed iam in philosophorum consuetudine versatur, maximeque eorum, qui de omni re proposita in utramque partem solent copiosissime dicere. 264. Verum ego non solum arbitrabar, his praesertim audientibus, a me informari oportere, qualis esse posset is, qui habitaret in subselliis neque quidquam amplius afferret, quam quod causarum necessitas postularet; sed maius quiddam videbam, quum censebam oratorem, praesertim in nostra re publica, nullius ornamenti expertem esse oportere. Tu autem, quoniam exiguis quibusdam finibus totum oratoris munus circumdedisti, hoc facilius nobis expones ea, quae abs te de officiis praeceptisque oratoris quaesita sunt; sed, opinor, secundum hunc diem. Satis enim multa a nobis hodie

---

Cap. LXII. §. 263. *maximeque eorum*] H. e. Peripateticorum atque Academicorum; cfr. II. Tusc. 3. 9.

dicta sunt. 265. Nunc et Scaevola, quoniam in Tusculanum ire constituit, paullum requiescet, dum se calor frangat, et nos ipsi, quoniam id temporis est, valetudini demus operam. Placuit sic omnibus.

Tum Scaevola, Sane, inquit, vellem non constituissem, in Tusculanum me hodie venturum esse, Laelio. Libenter audirem Antonium. Et quum exsurgeret, simul arridens, Neque enim, inquit, tam mihi molestus fuit, quod ius nostrum civile pervellit, quam iucundus, quod se id nescire confessus est.

---

§. 265. *Nunc et Scævola etc.*] Apte Muellerus in Seebodii Misc. Crit. II. p. 508 affert Cic. Attic. IV. 16, ubi Cicero causam reddit, cur post primi libri sermonem Scævolam semoverit: *Quod in iis libris, quos laudas* (libb. de Oratore), *personam desideras Scævolæ: non eam temere dimovi, sed feci idem, quod in πολιτείᾳ deus ille noster Plato. Quum in Piræeum Socrates venisset ad Cephalum, locupletem et festivum senem, quoad primus ille sermo haberetur, adest in disputando senex; deinde quum ipse quoque commodissime locutus esset, ad rem divinam dicit se velle discedere, neque postea revertitur. Credo, Platonem vix putasse satis consonum fore, si hominem id ætatis in tam longo sermone diutius retinuisset. Multo ego potius hoc mihi cavendum putavi in Scævola, qui et ætate et valitudine erat ea, qua esse meministi, et iis honoribus, ut vix satis decorum videretur, eum plures dies esse in Crassi Tusculano. Et erat primi libri sermo non alienus a Scævolæ studiis. Reliqui libri τεχνολογίαν habent, ut scis. Huic ioculatorem senem illum, ut noras, interesse sane nolui.*

Lælio] Quis hic sit Lælius, non liquet; C. Lælium, Scævolæ socerum, cos. a. U. 614 (140), non significari patet. Probabiliter Orellius in Addendis Vol. II. P. I. p. 586 coniicit *L. Ælio* et conferri iubet Beieri fragmm. Cic. Oratt. p. 172 et p. 285, ubi similis nominum confusio indicatur. Cfr. etiam Spalding ad Quintil. VIII. 6. 38.

M. TULLII CICERONIS
DE ORATORE
LIBER SECUNDUS.

Cap. I.

1. Magna nobis pueris, Quinte frater, si memoria tenes, opinio fuit, L. Crassum non plus attigisse doctrinae, quam quantum prima illa puerili institutione potuisset, M. autem Antonium omnino omnis eruditionis expertem atque ignarum fuisse; erantque multi, qui, quamquam non ita sese rem habere arbitrarentur, tamen, quo facilius nos incensos studio discendi a doctrina deterrerent, libenter id, quod dixi, de illis oratoribus praedicarent, ut, si homines non eruditi summam essent prudentiam atque incredibilem eloquentiam consecuti, inanis omnis noster esse labor et stultum in nobis erudiendis patris nostri, optimi ac prudentissimi viri, studium videretur. 2. Quos tum, ut pueri, refutare domesticis

---

Cap. I. §. 1. *quamquam — arbitrarentur*] Interdum etiam apud Ciceronem coniunctivus post *quamquam* invenitur. Vid. Matth. ad or. p. Murena 9. 20, Zumpt Gr. §. 574, Ellendt ad Brut. 30. §. 115 p. 86 sq., Paldamus ad Sueton. vitt. select. p. 5.

studio discendi] Sic Havn. B, al. (neque dissentire videntur Oxx.), Ald., Iunt, Crat., Man., Lamb., Cockm., Pearc., Or. — *studio dicendi* Vet. Steph., edd. antiquiss., Victor., Grut., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

§. 2. *ut pueri*] H. e. iis testimoniis v. argumentis, quae nobis pueris suppeterent. Cfr. Heindorf. ad Hor. Sat. I. 6. 79 p. 152 sq., Ramshorn. Gr. p. 683, Herzog. ad Caes. B. G. IV. 3 p. 204 aliosque, quos affert Kuehner ad I. Tusc. 8. 15 p. 59.

testibus, patre et C. Aculeone, propinquo nostro, et L. Cicerone patruo, solebamus, quod de Crasso pater et Aculeo (quocum erat nostra matertera), quem Crassus dilexit ex omnibus plurimum, et patruus, qui cum Antonio in Ciliciam profectus una decesserat, multa nobis de eius studio doctrinaque saepe narravit; quumque nos cum consobrinis nostris, Aculeonis filiis, et ea disceremus, quae Crasso placerent, et ab iis doctoribus, quibus ille uteretur, erudiremur, etiam illud saepe intelleximus (quum † essemus eiusmodi, quod vel pueri sentire poteramus), illum

---

patre et C. Aculeone] Pater Ciceronis, Marcus Cicero, Marci, qui II. 66. 265 commemoratur, filius, equestri loco natus (p. Muren. 8. 17), quum esset infirma valitudine, in villa Arpinati, quam latius ædificaverat, fere ætatem egit in litteris, omneque studium in filiis educandis posuit (II. Legg. 1. 3). Eius frater *L. Cicero*, ut ex h. cap. patet, anno U. 651 (103) cum Antonio (vide ad I. 18. 82) in Ciliciam profectus, una ex hac provincia cum eodem decesserat, ita ut satis diu cum eo versatus et sermonum, quos ille cum doctissimis hominibus vel Athenis vel Rhodi habuerat, testis (vide infr.) optime de eius studio et doctrina iudicare posset. Cfr. Matth. et Or. ad h. l., qui similem locum p. Archia 4. 6 laudat. Ita nihil inepti est in voc. *profectus*, quod magnopere offendit Muellerum et Ellendtium, quorum ille coniicit *præfectus* (*decedere in Ciliciam!*), hic prolegg. p. LXVI. *profecto*. — *C. Aculeo*, eques Romanus, iuris peritus (Orat. I. 43. 191, Brut. 76. 264), in matrimonio habebat sororem Helviæ (Plutarch. Cic. 1), matris Ciceronis. Eius filius *C. Visellius Varro*, Ciceronis consobrinus, commemoratur Brut. l. c. Aculeone Crassus familiarissime utebatur (I. 43. 191), eumque adversus Gratidianum defendit (II. 65. 262).

et ab iis doctoribus] Sic Man., Lamb., Or. — Vulgo *et ab his doctoribus*. Nihil hac confusione in codd. frequentius. Vid. Orell. ad II. Acad. 2. 7, Madvig. Ep. ad Orell. p. 21, Wunder in censura ed. Mueller. or. p. Sestio in Iahnii Annal. V. 2. p. 174 sq. Itaque iure nobis paullo infra §. 3 *in iis artibus*, c. 5. 21 *in iis philosophi garrire*, et c. 56. 229 *quum iis nihil opus sit* pro *his* correxisse videmur; recte etiam Mueller et Or. II. 11. 45 *ex iis enim fontibus* ediderunt, neque minus recte c. 77. 312 Orell. cum Man. et Lamb. *ut iis locis uti liceat* pro vulg. *his*.

quum essemus eiusmodi] Sic corrupte omnes codd., neque multum placent emendationes VV. DD. Lambinus hæc

et Graece sic loqui, nullam ut nosse aliam linguam videretur, et doctoribus nostris ea ponere in percontando eaque ipsum omni in sermone tractare, ut nihil esse ei novum, nihil inauditum videretur. 3. De Antonio vero quamquam saepe ex humanissimo homine, patruo nostro, acceperamus, quemadmodum ille vel Athenis vel Rhodi se doctissimorum hominum sermonibus dedisset: tamen ipse adolescentulus, quantum illius ineuntis aetatis meae patiebatur pudor, multa ex eo saepe quaesivi. Non erit profecto tibi, quod scribo, hoc novum, nam iam tum ex me audiebas, mihi illum ex multis variisque sermonibus nullius rei, quae quidem esset in iis artibus, de quibus aliquid existimare possem, rudem aut ignarum esse visum. 4. Sed fuit hoc in utroque eorum, ut Crassus non tam existimari vellet non didicisse, quam illa despicere et nostrorum hominum in omni genere prudentiam Graecis anteferre; Antonius autem probabiliorem hoc populo orationem fore censebat suam,

---

tria verba ejecit; Ernestius, quem secuti sunt Sch., Henr., Mueller, Olsh., coniecit: *quum esset eiusmodi*; sed tum *poteramus* ferri non potest. Quæ exempla ad indicativum defendendum affert Pearcius, ea omnia aliena sunt, præter Manil. 2. 6; sed ibi codd. (etiam Erf.) et pleræque edd. recte exhibent *debeat*. — Gulielmii coni. *quum essemus eius domi* placet Orellio, et sic latine dici posse non nego (*huius domi est mortuus* Cluent. 60. 165; cfr. II. Philipp. 19. 48); quamquam sæpius *in domo eius* dicitur; sed quid hoc sibi h. l. velit, equidem non satis assequor.

§. 4. *ut Crassus — vellet, Antonius autem — censebat*] Anacoluthi genus satis frequens, quo quæ secundaria esse debebat sententia, primaria fit. Cfr. III. Tusc. 26. 63, I. Off. 3. 8, I. Fin. 13. 45 sq., Gernhard excurs. de anacoluth. in Cic. libb. de Off. p. 446.

hoc populo] Sic omnes codd. et vulgo edd. In Havn. B V. D. suprascripsit: *l. pp. hoc*, significans, *hoc* ad comparativum pertinere. Pearcius coni. *huic populo*, provocans ad geminum locum II. 36. 153. Sed *hoc populo* ferri potest, ut abl. absolut. pro: quum in hoc populo versemur (cfr. I. 51. 219), s. quum hunc, talem populum habeamus, quemad-

si omnino didicisse nunquam putaretur; atque ita se uterque graviorem fore, si alter contemnere, alter ne nosse quidem Graecos videretur. 5. Quorum consilium quale fuerit, nihil sane ad hoc tempus. Illud autem est huius institutae scriptionis ac temporis, neminem eloquentia, non modo sine dicendi doctrina, sed ne sine omni quidem sapientia, florere unquam et praestare potuisse.

II. Etenim ceterae fere artes se ipsae per se tuentur singulae; bene dicere autem, quod est scienter et perite et ornate dicere, non habet definitam aliquam regionem, cuius terminis saepta teneatur. Omnia, quaecunque in hominum disceptationem cadere possunt, bene sunt ei dicenda, qui hoc se posse profitetur, aut eloquentiae nomen relinquendum est. 6. Quare equidem et in nostra civitate et in ipsa Graecia, quae semper haec summa duxit, multos et † ingeniis et magna laude dicendi sine summa rerum omnium scientia fuisse fateor; talem vero exsistere eloquentiam, qualis fuit in Crasso et Antonio, non cognitis rebus omnibus, quae ad tantam prudentiam

---

modum interpretatur Ern. al. — Orellius comparat Attic. XI. 11 *hac iuventuta*. Cfr. Ellendt ad Brut. 69. 242 p. 177.

Cap. II. §. 5. *saepta teneatur*] Sic omnes codd. et vulgo edd. Referendum ad *bene dicere* κατὰ τὸ νοούμενον, quasi scripsisset: *bene dicendi ars*. Lambinus coni. *saeptum ten.*, quod recepit Peare.

§. 6. *et ingeniis*] Vitium in hac vulgata lectione esse patet; neque enim ablativus descriptionis, qui dicitur, sine adiectivo defendi ullo modo potest, neque bene dicitur *laude dicendi esse*, quum laus non sit facultas. Schuetzius aliique ex eo, quod sequitur, *magna laude*, ad *ingeniis* intelligi posse *magnis* censent; sed recte hoc durissimum esse sensit Muellerus, qui aut *ingenii*, aut (quod probo) *floruisse* corrigere malit.

qualis fuit] Sic Erl. γ et recentt. post Sch. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *qualis fuerit*. — Infra *quanta in illis fuit* omnes codd. et edd., præter Ern., qui e coni. edid. *fuerit*.

pertinerent, tantamque dicendi copiam, quanta in illis fuit, non potuisse confirmo. 7. Quo etiam feci libentius, ut eum sermonem, quem illi quondam inter se de his rebus habuissent, mandarem literis; vel ut illa opinio, quae semper fuisset, tolleretur, alterum non doctissimum, alterum plane indoctum fuisse; vel ut ea, quae existimarem a summis oratoribus de eloquentia divinitus esse dicta, custodirem literis, si ullo modo assequi complectique potuissem; vel mehercule etiam ut laudem eorum iam prope senescentem, quantum ego possem, ab oblivione hominum atque a silentio vindicarem. 8. Nam si ex scriptis cognosci ipsi suis potuissent, minus hoc fortasse mihi esse putassem laborandum; sed quum alter non multum, quod quidem exstaret, et id ipsum adolescens, alter nihil admodum scripti reliquisset: deberi hoc a me tantis hominum ingeniis putavi, ut, quum etiam nunc vivam illorum memoriam teneremus, hanc immortalem redderem, si possem. 9. Quod hoc

---

§. 8. *quum alter non multum*] Hoc necessario de Crasso intelligendum est, cuius perpauca exstare, nec ea iudiciorum, scribit Cic. Orat. 38. 132; cfr. Brut. 43 sq., ubi Crassi orationes scriptæ commemorantur. — *Alter* (Antonius) *nihil admodum* h. e. omnino nihil; Cic. Brut. 44. 163: *Vellem aliquid Antonio præter illum de ratione dicendi sane exilem libellum* (Orat. I. 21. 94, 47. 206, 48. 208), *plura Crasso libuisset scribere*. Cfr. Orat. 5. 18, Quintil. III. 1. 19. — Handius in Tursellino I. p. 173 sq., qui formulis *nihil admodum* et *admodum nihil* eandem vim tribuit, de h. l. hæc observat: "Id quod ex aliqua ratione negatum volumus, sæpe plene et prorsus negamus, etiam cum quadam asseveratione. Antonius etiamsi unum exilem librum de ratione dicendi scripsisset, tamen omnino nullam reliquit orationem, e qua eloquendi ars cognosci posset. Id disertis verbis narrat Cic. pro Cluent. 50. 140. [cfr. Orat. 38. 132]. — Et poterat Cicero in ista quidem sententia negationem etiam tantopere augere, ut unum illum libellum prætermitteret." — Gernhard ad Læl. 4. 16 *nihil admodum* putat esse fere nihil, *admodum nihil* (Brut. 58. 210): plane nihil. Alii in aliam sententiam disputant; vide Handium l. c.

etiam spe aggredior maiore ad probandum, quia non de Ser. Galbae aut C. Carbonis eloquentia scribo aliquid, in quo liceat mihi fingere, si quid velim, nullius memoria iam refellente; sed edo haec iis cognoscenda, qui eos ipsos, de quibus loquor, saepe audierunt, ut duos summos viros iis, qui neutrum illorum viderint, eorum, quibus ambo illi oratores cogniti sint, vivorum et praesentium memoria teste commendemus.

III. 10. Nec vero te, carissime frater atque optime, rhetoricis nunc quibusdam libris, quos tu agrestes putas, insequor, ut erudiam; quid enim tua potest oratione aut subtilius aut ornatius esse? sed [quoniam] sive iudicio, ut soles dicere, sive, ut ille pater eloquentiae de se Isocrates scripsit ipse, pudore a

---

§. 9. *Ser. Galbæ*] vide ad I. 10. 40, 53. 227. De *C. Carbone* ad I. 10. 40.

iam refellente] *iam me refellente* Havn. uterq., Cant., Norf., Harl. 2, α, β, δ, ε, Guelf. B, C, Erl. 1, edd. antiquiss. pleræque, Pearc.

Cap. III. §. 10. *quoniam sive iudicio*] *quoniam*, quod h. l. ferri nullo modo potest, legitur in omnibus codd., præter Erl. 1, qui sine dubio recte hanc partic. omittit. — *quamquam sive iudicio* Ern. e coni., eumque secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Or., qui tamen h. voc. uncis inclusit. — Statim e Pearcii coni. *ut soleo dicere* ediderunt Ern., Sch., Harl., Mueller; sine causa.

ut pater eloquentiæ — Isocrates] In Panathen. §. 10 p. 261 Bekker.: *Οὕτω γὰρ ἐνδεὴς ἀμφοτέρων ἐγενόμην, φωνῆς ἱκανῆς καὶ τόλμης, ὥς οὐκ οἶδ' εἴ τις ἄλλος τῶν πολιτῶν*: cfr. fragm. Cic. de repl. lib. III. ap. Non. voc. *confidentia* (de repl. III. 30), Plin. epist. VI. 29. — *Isocrates* Atheniensis natus Ol. LXXXVI (436), prope centenarius mortuus est Ol. CX. 3 (338), paucis post proelium Chaeronense diebus; fame se interfecisse dicitur, ne patriam servitute oppressam videret. Adolescens Prodicum, Gorgiam (in Thessalia tum degentem, Orat. 52. 176), Tisiam, alios audivit; postea ipse ludum aperuit atque discipulorum multitudine nobilitateque floruit. Eius auditores nominantur Theopompus, Ephorus, Timotheus, Cononis filius (Orat. III. 34. 139), Isæus, Lycurgus, Hyperides, Demosthenes, Philiscus aliique permulti. Inde h. l. *pater eloquentiæ* dicitur; cfr. supra II c. 22. 94, Brut. 8. 32, Orat. 15. 40.

dicendo et timiditate ingenua quadam refugisti, sive, ut ipse iocari soles, unum putasti satis esse non modo in una familia rhetorem, sed paene in tota civitate: non tamen arbitror tibi hos libros in eo fore genere, quod merito propter eorum, qui de dicendi ratione disputarunt, ieiunitatem bonarum artium possit illudi.
11. Nihil enim mihi quidem videtur in Crassi et Antonii sermone esse praeteritum, quod quisquam summis ingeniis, acerrimis studiis, optima doctrina, maximo usu cognosci ac percipi potuisse arbitraretur; quod tu facillime poteris iudicare, qui prudentiam rationemque dicendi per te ipsum, usum autem per nos percipere voluisti. Sed quo citius hoc, quod suscepimus, non mediocre munus conficere possimus, omissa nostra adhortatione, ad eorum, quos proposuimus, sermonem disputationemque veniamus.

12. Postero igitur die, quam illa erant acta, hora fere secunda, quum etiam tum in lecto Crassus esset, et apud eum Sulpicius sederet, Antonius autem inambularet cum Cotta in porticu, repente eo Q. Catulus senex cum C. Iulio fratre venit. Quod ubi

---

Olim sexaginta eius orationes ferebantur, ex quibus alii 25, alii 28 veras Isocratis iudicabant; hodie exstant 21 orationes. De eius vita et scriptis consule: Dionysii Halicarn. de Isocr. iudicium, Pseudo-Plutarch. vitt. X. oratt. 4, Photium cod. 260 et Anonymum a Mustoxyde et Demetr. Schina primum edit. in Anecd. Græc. Ven. 1817, repet. in Conr. Orellii opusc. Græc. sententiosis Vol. II.

§. 12. *Q. Catulus — cum C. Iulio*] *Q. Lutatius Catulus* ter (anno U. 648 = 106 et sqq.) frustra consulatum petiit. Cic. p. Planc. 5. 12, Muren. 17. 36. Consul anno demum U. 652 (102) cum C. Mario IV. factus, anno sequente procos. cum Mario Cimbros vicit. De eius morte vide ad III. 3. 9. De eius doctrina, elegantia et suavitate sermonis, Cic. Brut. 35. 132, Arch. 3. 5, I. Off. 37. 133; cfr. Orat. II. 7. 28, III. 8. 29, Ellendt prolegg. p. LV sqq. — *C. Iulius Cæsar Strabo*, Q. Catuli frater uterinus, matre Popilia (II. 11. 44), patre L. Cæsare natus, ædilis curulis a. U. 664 (90), Brut. 89. 305.

audivit, commotus Crassus surrexit, omnesque admirati maiorem aliquam esse causam eorum adventus suspicati sunt. 13. Qui quum inter se, ut ipsorum usus ferebat, amicissime consalutassent, Quid vos tandem? Crassus, num quidnam, inquit, novi?

Nihil sane, inquit Catulus; etenim vides esse ludos; sed (vel tu nos ineptos licet, [inquit,] vel molestos putes), quum ad me in Tusculanum, inquit, heri vesperi venisset Caesar de Tusculano suo, dixit mihi, a se Scaevolam hinc euntem esse conventum, ex quo mira quaedam se audisse dicebat; te, quem ego toties omni ratione tentans ad disputandum elicere non potuissem, permulta de eloquentia cum Antonio disseruisse et tamquam in schola prope ad Graecorum consuetudinem disputasse. 14. Ita me frater exoravit, ne ipsum quidem a studio audiendi

---

Ædilitius id agebat, ut omissa prætura consul fieret; quod quum contra legem Villii annalem esset, ei restiterunt P. Sulpicius et P. Antistius. Cic. Brut. 63. 226, Ascon. in Scaur. p. 146 Beier., Harusp. resp. 20. 43. Anno U. 667 (87) C. Marii iussu interfectus est, vide III. 3. 10. Cæsaris eloquentiam et leporem Cicero sæpe in his libris laudat et in Brut. 48. 177, I. Off. 30. 108, 37. 133; cfr. Ellendt prolegg. p. LXXXII. Itaque eum Cicero in hoc libro secundo de facetiis disputantem inducit c. 54 — 71.

§. 13. *vides esse ludos*] Vide ad I. 7. 24. Statim *inquit*, quod paucis interiectis repetitur, uncis inclusit Orellius, quem secuti sumus; delerunt Sch., Mueller, Olsh. — Etiam paullo infra *inquit* ante *heri* Ernestio suspectum delerunt Sch. et Olsh.

§. 14. *Ita me frater exoravit*] Sic omnes codd. (nisi quod Pal. apud Grut. *excitavit*), Lamb. in marg. repett. Lamb. et recentt. post Sch. — Vulgo om. *me*. — *itaque frater exoravit* edd. antiquiss., Steph., Ern. — Sequitur *ne ipsum quidem*, quod exhibent Pal. ap. Grut. (*ipsi*), Harl. 1, U, Guelf. B, C, Pearc. et recentt. post Sch. — *me ipsum non quidem* Havn. uterq., Oxx. reliqui, Erl. 1, Erf.(?) et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *non ipsum quidem* Lamb. in marg. repett. L. — *exoravit me, ipsum quidem a st. aud. non nimis* Ern. e coni. — Denique *verentem ne* Cant., Mead., Harl. 1, Erl. 1; edd. antiquiss., Pearc., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh. — *verentem tum ne*

nimis abhorrentem, sed mehercule verentem, ne molesti vobis interveniremus, ut huc secum venirem. Scaevolam enim ita dicere aiebat, bonam partem sermonis in hunc diem esse dilatum. Hoc tu si cupidius factum existimas, Caesari attribues; si familiarius, utrique nostrum. Nos quidem, nisi forte molesti intervenimus, venisse delectat.

IV. 15. Tum Crassus: Equidem, quaecunque vos causa huc attulisset, laetarer, quum apud me viderem homines mihi carissimos et amicissimos; sed tamen, vere dicam, quaevis mallem fuisset, quam ista, quam dicis. Ego enim (ut, quemadmodum sentio, loquar) nunquam mihi minus quam hesterno die placui; (magis adeo id facilitate, quam alia ulla culpa mea, contigit), qui, dum obsequor adolescentibus, me senem esse sum oblitus fecique id, quod ne adolescens quidem feceram, ut iis de rebus, quae doctrina aliqua continerentur, disputarem. Sed hoc tamen cecidit mihi peropportune, quod transactis iam meis partibus ad Antonium audiendum venistis.

16. Tum Caesar, Equidem, inquit, Crasse, ita sum cupidus in illa longiore te ac perpetua disputatione audiendi, ut, si id mihi minus contingat, vel hoc sim quotidiano tuo sermone contentus. Itaque

---

Havn. uterq. — Vulgo *verentem tamen, ne,* quod retinuit Or., sed *tamen* uncis inclusit.

Scævolam enim] *Etenim Scævolam* Havn. uterq., *β, γ,* Ald., quod præferendum censet Madvig. Eodem ducunt vestigia cod. Erf., in quo *veniret enim Scævola.* Idem cod. statim meliorem ordinem *tu si cupidius* servat. — Vulgo *si tu cupidius.*

Cap. IV. §. 15. *quæcunque vos causa*] Sic Erl. 1, Erf., edd. antiquiss. — Vulgo *quæcunque causa vos.* — Infra initio §. sequentis *in illa longiore te* Erl. 1, Erf., edd. antiquiss., Lamb., quem ordinem cum Madvigio præferendum duxi vulgato *te in illa longiore.* — (*te* om. Havn. uterq.). — *in illa longiore oratione te* Lamb. in marg. repett. L.

experiar equidem illud, ut ne Sulpicius, familiaris meus, aut Cotta plus quam ego apud te valere videantur, et te exorabo profecto, ut mihi quoque et Catulo tuae suavitatis aliquid impertias. Sin tibi id minus libebit, non te urgebo neque committam, ut, dum vereare, tu ne sis ineptus, me esse iudices.

17. Tum ille, Ego mehercule, inquit, Caesar, ex omnibus Latinis verbis huius verbi vim vel maximam semper putavi. Quem enim nos *ineptum* vocamus, is mihi videtur ab hoc nomen habere ductum, quod *non sit aptus*, idque in sermonis nostri consuetudine perlate patet. Nam qui aut, tempus quid postulet, non videt, aut plura loquitur, aut se ostentat, aut eorum, quibuscum est, vel dignitatis vel commodi rationem non habet, aut denique in aliquo genere aut inconcinnus aut multus est, is *ineptus* dicitur. 18. Hoc vitio cumulata est eruditissima illa Graecorum natio. Itaque quod vim huius mali Graeci non vident, ne nomen quidem ei vitio imposuerunt. Ut enim quaeras omnia, quomodo Graeci *ineptum* appellent, non reperies. Omnium autem ineptiarum, quae sunt innumerabiles, haud scio an nulla sit

§. 16. *valere videantur*] Sic plerique codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss. — *valere videatur* Cant., ε et α à pr. manu, Pearc, Ern. Sed vid. Heusing. ad I. Off. 41. 10 p. 345, Schaefer ad Plin. Paneg. 75. 2 et Matth. ad Euripid. Hecub. 84. — Deinde *tu ne sis* plerique codd., ut videtur, et sic edd. antiquiss. et vulgo post Gruter. — *ne tu sis* Cant., Norf., Harl. 2, Havn. uterq., Guelf. B, C, Iunt., Crat., Victor., Man., Lamb., Pearc.

§. 18. *ne nomen quidem*] Graecorum ἀνάρμοστος, magis etiam ἄτοπος *inepto* videtur respondere. Cfr. Wyttenb. in Bibl. crit. Amstel. Vol. II. P. 8. p. 79.

haud scio, an nulla] Sic Erl. 1, Lamb. in marg. repett. Lambb., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh., prob. Matth. in Seebodii Miscell. crit. Vol. I. p. 679 sq. Cfr. quae attulimus ad I. 14. 61; adde Handii Tursellin. I. p. 322 sqq. — Vulgo: *haud scio, an ulla.* In eodem cod. Erl. atque in Erf. legitur: *haud sciam.* — Deinde *quam ut illi solent* in

maior, quam, ut illi solent, quocunque in loco, quoscunque inter homines visum est, de rebus aut difficillimis aut non necessariis argutissime disputare. Hoc nos ab istis adolescentibus facere inviti et recusantes heri coacti sumus.

V. 19. Tum Catulus, Ne Graeci quidem, inquit, Crasse, qui in civitatibus suis clari et magni fuerunt, sicuti tu es nosque omnes in nostra re publica volumus esse, horum Graecorum, qui se inculcant auribus nostris, similes fuerunt, nec tamen in otio sermones huiusmodi disputationesque fugiebant. 20. Ac si tibi videntur, qui temporis, qui loci, qui hominum rationem non habent, inepti, sicut debent videri: num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus haec ipsa, ubi inambulamus, et palaestra et tot locis sessiones gymnasiorum et Graecarum disputationum memoriam quodammodo commovent? aut inopportunum tempus in tanto otio, quod et raro datur et nunc peroptato nobis datum est? aut homines ab hoc genere disputationis alieni, qui omnes ii sumus, ut sine his studiis vitam nullam esse ducamus?

---

omnibus fere codd. exstat (*quam quod illi* Pal. quart.; *ut* om. Havn. B), et sic vulgo post Ald. — *quam illorum, qui solent* edd. antiquiss., Steph., Lamb., Ern., Harl.

Cap. V. §. 20. *ubi inambulamus*] Ita Havn. uterq., *α*, *β*, *γ*, *δ*, *ε*, Guelf. B, C, edd. antiquiss. et vulgo ante Grut.; restituerunt Sch., Harl., Mueller, Or. — *ubi nunc ambulamus* Vet. Steph., Z, Erl. 1, Erf. — *ubi ambulamus* Grut., Ern., Olsh.

gymnasiorum et Græcarum disp.] *Gymnas. Græcorum et disp.* *δ*, Lamb., prob. Pearc. in ed. prima. — *gymnas. et Græcorum disp.* Gonv., Z, *β*, Erl. 1, Erf., Havn. A (*ad* pro *et*). — *gymnas. ad Græcorum disputationem* Vet. Steph. — Deinde *inopportunum* Mead., Norf., *β*, *γ*, *δ*, *ε*, Havn. uterq., Lamb. in marg. repett. Lambb., Pearc., Sch., Olsh., Or. — Vulgo: *importunum*. — *num importunum* Erl. 1, prob. Ern. — *nunc import.* Vet. Steph.

vitam nullam] *Vitam insuavem* haec Catuli verba respi-

21. Omnia ista, inquit Crassus, ego alio modo interpretor, qui primum palaestram et sedes et porticus etiam ipsos, Catule, Graecos exercitationis et delectationis causa, non disputationis, invenisse arbitror. Nam et seculis multis ante gymnasia inventa sunt, quam in iis philosophi garrire coeperunt, et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire quam philosophum malunt; qui simul ut increpuit, in media oratione de maximis rebus et gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causa relinquunt. Ita levissimam delectationem gravissimae, ut ipsi ferunt, utilitati anteponunt. 22. Otium autem quod dicis esse, assentior; verum otii fructus est non contentio animi, sed relaxatio.

VI. Saepe ex socero meo audivi, quum is diceret, socerum suum Laelium semper fere cum Scipione solitum rusticari, eosque incredibiliter repuerascere esse solitos, quum rus ex urbe, tamquam e vinculis, evolavissent. Non audeo dicere de talibus viris, sed tamen ita solet narrare Scaevola, conchas eos et umbilicos ad Caietam et ad Laurentum legere consuesse, et ad omnem animi remissionem ludum-

---

cieus- dicit Crassus 6. 25. Similiter Græci vitam iniucundam *βιον ἀβίωτον* dicunt; cfr. Plato Apolog. Socr. 28 *βίος οὐ βιωτὸς ἀνθρώπῳ*: Crit. 8 *ἆρα βιωτὸν ἡμῖν ἐστι*, coll. c. Cic. Læl. 6. 22: *qui potest esse vita vitalis, ut ait Ennius.* Vide ibi intt., Gernh. ad Cic. Cat. mai. 3. 7 et intt. ad II Off. 4, 15.

Cap. VI. §. 22. *solet narrare Scævola*] Cfr. Valer. Max. VIII. 8. 1: *Constat eos Caietæ et Laurenti vagas litoribus conchulas et calculos* (codd. aliquot *umbilicos*, cod. unus *obeliscos) lectitasse; idque se L. Crassus ex socero suo Q. Scævola* (Augure), *qui gener Lælii fuit, audisse sæpenumero prædicavit.* — *Umbilicus* utrum lapilli an cochleæ genus sit, non liquet. — *Caieta* promontorium, portus et urbs (hodie *Gaëta)* in Latii et Campaniæ finibus; *Laurentum* Latii oppidum maritimum prope Ostiam, hodie *Paterno* appellatum; cfr. Heynе *excurs.* III ad Æn. VII p. 135 ed. tert.

que descendere. 23. Sic enim se res habet: [ut] quemadmodum volucres videmus procreationis atque utilitatis suae causa fingere et construere nidos, easdem autem, quum aliquid effecerint, levandi laboris sui causa passim ac libere solutas opere volitare, sic nostri animi, forensibus negotiis atque urbano opere defessi, gestiunt ac volitare cupiunt, vacui cura ac labore. 24. Itaque illud, quod ego in causa Curiana Scaevolae dixi, non dixi secus ac sentiebam. "Nam si", inquam, "Scaevola, nullum erit testamentum recte factum nisi quod tu scripseris, omnes ad te cives cum tabulis veniemus, omnium testamenta tu scribes unus. Quid igitur?" inquam; "quando ages negotium publicum? quando amicorum? quando tuum? quando denique nihil ages?" Tum illud addidi: "Mihi enim liber esse non videtur, qui non aliquando nihil agit." In qua permaneo, Catule, sententia, meque, quum huc veni, hoc ipsum nihil agere et plane cessare delectat. 25. Nam quod addidisti tertium, vos eos esse, qui vitam insuavem sine his studiis putaretis, id me non modo non hortatur ad disputandum, sed etiam deterret. Nam ut C. Lucilius,

---

§. 23. *ut quemadmodum — gestiunt ac volitare cupiunt*] Sic plerique codd. et vulgo edd. Particulam *ut*, quam iam Lambinus in marg. repett. Lambb. delevit, Ernestium secutus uncinis inclusi. Vulgatam quidem lectionem defendunt Matth. de Anacoluthis in Wolfii Analect. litt. II p. 20, Gernhard et Beier ad III Off. 10. 45 et Olsh. ad h. l., particulam, pluribus verbis interpositis, facilius in apodosi negligi potuisse contendentes. Verum anacoluthon in sententia non perturbata neque aliter inita aliter continuata, sed rite procedente, nullum esse potest. Cfr. III. 52. 200. Neque hoc fugit Pearcium, qui aut eiiciendam particulam, aut scribendum esse *gestiant — cupiant* censuit. Posteriorem rationem amplexus est Wyttenb. in Bibl. crit. I. p. 16 hunc locum tractans, eumque secuti sunt Sch., Mueller et Or., hic imprimis motus auctoritate codd. Regiorum 7704 et 7753, qui coniunctivum modum exhibent. De causa Curiana I. 39. 180.

§. 25. *C. Lucilius*] Vide ad I. 16. 72. — Ea quae scri-

homo doctus et perurbanus, dicere solebat, ea, quae scriberet, neque ab indoctissimis se neque ab doctissimis legi velle, quod alteri nihil intelligerent, alteri plus fortasse quam ipse; quo etiam scripsit:

Persium non curo legere;

hic enim fuit, ut noramus, omnium fere nostrorum hominum doctissimus;

Laelium Decimum volo;

quem cognovimus virum bonum et non illiteratum, sed nihil ad Persium: sic ego, si iam mihi disputandum sit de his nostris studiis, nolim equidem apud rusticos, sed multo minus apud vos. Malo enim non intelligi orationem meam quam reprehendi.

VII. 26. Tum Caesar, Equidem, inquit, Catule, iam mihi videor navasse operam, quod huc venerim. Nam haec ipsa recusatio disputationis disputatio quaedam fuit mihi quidem periucunda. Sed cur impedimus Antonium, cuius audio esse partes, ut de tota eloquentia disserat, quemque iamdudum et Cotta et Sulpicius exspectat?

---

beret om. Memm. membr., Pith., Pal. pr., U, Z, Guelf. A, Erl. 1, Erf. — Cum h. l. cfr. I. Fin. 3. 7: *Nec vero, ut noster Lucilius, recusabo, quominus omnes mea legant. Utinam esset ille Persius! Scipio vero et Rutilius multo etiam magis; quorum ille iudicium reformidans, Tarentinis ait se et Consentinis et Siculis scribere.* — *C. Persius*, homo litteratus, Gracchorum temporibus vixit, Brut. 26. 99. — *Decimus Lælius* quis fuerit, non constat.

quam ipse; quo] Sic Waldarf. et recentt. post Ern. — *quam ipse: de quo* Memm. uterq., Pith., Pal. pr., quattuor Oxx., Cant., Mead., Harl. uterq., Gonv., Erl. 1, Guelf. A, Erf., pleræque edd. antiquiss., Pearc. — *quam ipse de se: quo* Havn. uterq., Med. 2 et vulgo olim inde ab Ald. et Iunt. — *quam ipse de se intelligi vellet: quo* Lambinus, quædam exemplaria vulgata, ut ait, secutus.

Cap. VII. §. 26. *et Cotta et Sulpicius exspectat*] Sic Z, Guelf. A, Erf.; *exspectat* exhibent etiam U, *y*, Erl. 1, Pearc. — Vulgo: *iamdudum Cotta et S. exspectant.* Etiam non geminata copula sæpe usurpatur singularis numerus, quum plura subiecta non coniunguntur prædicato, sed prædicatum ad singula subiecta referendum est. Vid. I. 62. 263, II. 14. 58, III. 18. 67, Brut.

27. Ego vero, inquit Crassus, neque Antonium verbum facere patiar et ipse obmutescam, nisi prius a vobis impetraro . . .

Quidnam? inquit Catulus.

Ut hic sitis hodie.

Tum, quum ille dubitaret, quod ad fratrem promiserat, Ego, inquit Iulius, pro utroque respondeo; sic faciemus; atque ista quidem conditione, vel ut verbum nullum faceres, me teneres.

28. Hic Catulus arrisit et simul, Praecisa, inquit, mihi quidem dubitatio est, quoniam neque domi imperaram, et hic, apud quem eram futurus, sine mea sententia tam facile promisit.

Tum omnes oculos in Antonium coniecerunt; et ille, Audite vero, audite, inquit. Hominem enim audietis de schola atque a magistro et Graecis literis eruditum. Et eo quidem loquar confidentius, quod Catulus auditor accessit, cui non solum nos Latini sermonis, sed etiam Graeci ipsi solent suae linguae subtilitatem elegantiamque concedere. 29. Sed tamen, quoniam hoc totum, quidquid est, sive artificium sive studium dicendi, nisi accessit os, nullum potest esse: docebo vos, discipuli, id quod ipse non didici, quid de omni genere dicendi sentiam. 30. Hic posteaquam arriserunt, Res mihi videtur esse, inquit,

---

9. 36, 17. 68. Cfr. Ramshorn Gr. p. 156 sq., Matth. ad or. p. Muren. 7. 15, Beier ad Læl. 11. 39.

§. 27. *atque ista quidem conditione — teneres*] Hæc verba sagacioribus explicanda relinquo; equidem, quid sibi velint, me non intelligere ingenue fateor. Schuetzii quidem explicatione nihil ineptius fingi potest.

§. 28. *hominem de schola*] Interpp. comparant Cic. Orat. 15. 47: *Non enim declamatorem aliquem de ludo aut rabulam de foro — quærimus.*

§. 29. *id quod ipse non didici*] Sic plerique codd. et vulgo inde ab Aldo et Iunt., item Mueller et Orell. — *id* om. Havn. uterq., edd. antiquiss., Lamb., Ern., Sch., Harl., Olsh.

facultate praeclara, arte mediocris. Ars enim earum rerum est, quae sciuntur; oratoris autem omnis actio opinionibus, non scientia continetur. Nam et apud eos dicimus, qui nesciunt, et ea dicimus, quae nescimus ipsi. Itaque et illi alias aliud iisdem de rebus et sentiunt et iudicant, et nos contrarias saepe causas dicimus, non modo ut Crassus contra me dicat aliquando, aut ego contra Crassum, quum alterutri necesse sit falsum dicere; sed etiam ut uterque nostrum eadem de re alias aliud defendat, quum plus uno verum esse non possit. Ut igitur in eiusmodi re, quae mendacio nixa sit, quae ad scientiam non saepe perveniat, quae opiniones hominum et saepe errores aucupetur, ita dicam, si causam putatis esse, cur audiatis.

VIII. 31. Nos vero, et valde quidem, Catulus inquit, putamus, atque eo magis, quod nulla mihi ostentatione videris esse usurus. Exorsus es enim non gloriose, magis, ut tu putas, a veritate quam a nescio qua dignitate.

32. Ut igitur de ipso genere sum confessus, inquit Antonius, artem esse non maximam, sic illud affirmo, praecepta posse quaedam dari peracuta ad pertractandos animos hominum et ad excipiendas eorum voluntates. Huius rei scientiam si quis volet magnam quandam artem esse dicere, non repugnabo. Etenim quum plerique temere ac nulla ratione causas in foro dicant, nonnulli autem propter exercitationem aut propter consuetudinem aliquam callidius id faciant: non est dubium, quin, si quis animadverterit, quid sit, quare alii melius quam alii dicant, id possit notare. Ergo id qui toto in genere fecerit, is si non plane artem, at quasi artem quandam invenerit. 33. Atque utinam, ut mihi illa videre vi-

deor in foro atque in causis, ita nunc, quemadmodum ea reperirentur, possem vobis exponere! Sed de me videro; nunc hoc propono, quod mihi persuasi, quamvis ars non sit, tamen nihil esse perfecto oratore praeclarius. Nam ut usum dicendi omittam, qui in omni pacata et libera civitate dominatur, tanta oblectatio est in ipsa facultate dicendi, ut nihil hominum aut auribus aut mentibus iucundius percipi possit. 34. Qui enim cantus moderata orationis pronuntiatione dulcior inveniri potest? quod carmen artificiosa verborum conclusione aptius? qui actor in imitanda quam orator in suscipienda veritate iucundior? Quid autem subtilius quam acutae crebraeque sententiae? quid admirabilius quam res splendore illustrata verborum? quid plenius quam omni rerum genere cumulata oratio? Neque enim ulla non propria oratoris est res, quae quidem ornate dici graviterque debeat.

IX. 35. Huius est in dando consilio de maximis rebus cum dignitate explicata sententia; eiusdem et languentis populi incitatio et effrenati moderatio; eadem facultate et fraus hominum ad perniciem et

---

Cap. VIII. §. 33. *reperirentur, possem*] *possum* Pal. pr., Pith., Memm. membr., U, Z, Erl. 1. — *possim* Ald., Iunt., Crat., Victor., Man. — *reperiantur* edd. antiquiss. His Muellerus F. C. Wolffii et Schuetzii coniecturam *reperiantur, possim* confirmatam ratus, præsentia imperfectorum loco reposuit: male ille quidem; hoc enim Antonii personæ et modestiæ vel maxime convenit, ut neget vel desperet, fieri posse, ut ea, quæ in foro animadverterit, apte verbis explicet. Cfr. præter alios Beier ad III Off. 4. 16 p. 209, Ramshorn Gr. p. 411 not.

§. 34. *moderata orationis pronuntiatione*] Sic Guelf. A, Man. et recentt. post Sch. — *moderata pronuntiatione* (om. *orationis*) s, edd. antiquiss., marg. Crat. — *moderata oratione* Pal. pr., Pith., Memm. membr., U, Z, Erl. 1, Erf. — *moderatæ orationis pronuntiatione* Havn. uterq., Oxx. nonnulli, al. et vulgo inde ab Ald. — *moderatæ orationis* (om. *pronunt.*) Pal. tert. a pr. manu.

integritas ad salutem vocatur. Quis cohortari ad virtutem ardentius, quis a vitiis acrius revocare, quis vituperare improbos asperius, quis laudare bonos ornatius, quis cupiditatem vehementius frangere accusando potest? quis moerorem levare mitius consolando? 36. Historia vero, testis temporum, lux veritatis, † vita memoriae, magistra vitae, nuntia vetustatis, qua voce alia, nisi oratoris, immortalitati commendatur? Nam si qua est ars alia, quae verborum aut faciendorum aut deligendorum scientiam profiteatur; aut si quisquam dicitur, nisi orator, formare orationem eamque variare et distinguere quasi quibusdam verborum sententiarumque insignibus; aut si via ulla, nisi ab hac una arte, traditur aut argumentorum aut sententiarum aut denique descriptionis atque ordinis: fateamur aut hoc, quod haec ars profiteatur, alienum esse aut cum alia aliqua arte esse commune. 37. Sed si in hac una est ea ratio atque doctrina: non, si qui aliarum artium bene locuti sunt, eo minus id est huius unius proprium; sed ut orator de iis rebus, quae ceterarum artium sunt, si modo eas cognovit, ut heri Crassus dicebat, optime potest

---

Cap. IX. §. 36. *vita memoriae*] *Vitam memoriae* intt. dicunt esse *vivam memoriam;* memoriam autem alii intelligunt ipsam reminiscendi facultatem, alii ea, quae memoriae mandentur; sed quomodo historia dici possit *vita memoriae*, aut quomodo sic latine dici possit, nemo docet. Accedit aliena compositio: *vita memoriae*, *magistra vitae*, ubi voc. *vita* priore loco translate, posteriore proprie sumendum esset. Summo igitur iure Schuetzius vulgatam lectionem corruptam esse censuit, modo ne coniecturam suam *via memoriae* vulgata lectione nihilo commodiorem in Ciceronis verba recepisset. Omnino et hoc loco et aliis permultis horum librorum facilius est codicum consentientium vitia detegere, quam sanare.

cum alia aliqua] Sic Erl. 1, cod. Goerenzii (II. Acad. 10. 30), Sch., Mueller, Or. — *cum aliqua alia* vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. — *alia* om. Sch. in ed. maiore.

§. 37. *si modo eas cognovit*] Sic Havn. uterq., Oxx.

dicere, sic ceterarum artium homines ornatius illa sua dicunt, si quid ab hac arte didicerunt. 38. Neque enim, si de rusticis rebus agricola quispiam, aut etiam, id quod multi, medicus de morbis aut de pingendo pictor aliquis diserte dixerit aut scripserit, idcirco illius artis putanda sit eloquentia; in qua, quia vis magna est in hominum ingeniis, eo multi etiam sine doctrina aliquid omnium generum atque artium consequuntur; sed, quid cuiusque sit proprium, etsi ex eo iudicari potest, quum videris, quid quaeque doceant, tamen hoc certius nihil esse potest, quam quod omnes artes aliae sine eloquentia suum munus praestare possunt, orator sine ea nomen suum obtinere non potest; ut ceteri, si diserti sint, aliquid ab hoc habeant, hic, nisi domesticis se instruxerit copiis, aliunde dicendi copiam petere non possit.

X. 39. Tum Catulus, Etsi, inquit, Antoni, minime impediendus est interpellatione iste cursus orationis tuae, patiere tamen mihique ignosces. *Non enim possum, quin exclamem*, ut ait ille in Trinummo; ita mihi vim oratoris tum exprimere subtiliter visus es, tum laudare copiosissime; quod quidem eloquentem vel optime facere oportet, ut

---

omnes, Guelf. A, B, C, al., prob. Heusing.; receperunt Sch., Harl., Mueller, Olsh. Cfr. I. 15. 69. — *si modo eas cognorit* vulgo edd., et restituit Or. — *si modo eas cognoverit* edd. antiquiss., Lamb.

§. 38. *in qua* etc.] "Distingue: *in qua, quia vis magna est in hominum ingeniis*, h. e. quia ingenia hominum multum valent, ut etiam sine doctrina per se aliquid adsequantur, *eo multi etiam sine doctrina aliquid* in ea *consequuntur. Multi* iunge cum *omnium generum atque artium*" Matth. in progr. a. 1807. — Sic supra: *si qui aliarum artium* et *ceterarum artium homines.*

hoc certius — quam quod] Cfr. I. 37. 169, II. 74. 302, I. Fin. 6. 19, I. N. D. 15. 38, quos locos attulit Matth. ad h. l. in Seebodii Misc. crit. I. p. 680.

Cap. X. §. 39. *in Trinummo*] Plautus Trinum. III. 2. 79.

eloquentiam laudet; debet enim ad eam laudandam ipsam illam adhibere, quam laudat. Sed perge porro; tibi enim assentior, vestrum esse hoc totum diserte dicere, idque si quis in alia arte faciat, eum assumpto aliunde uti bono, non proprio nec suo.

40. Et Crassus, Nox te, inquit, nobis, Antoni, expolivit hominemque reddidit. Nam hesterno sermone unius cuiusdam operis, ut ait Caecilius, remigem aliquem aut baiulum nobis oratorem descripseras, inopem quendam humanitatis atque inurbanum.

Tum Antonius, Heri enim, inquit, hoc mihi proposueram, ut, si te refellissem, hos abs te discipulos abducerem; nunc Catulo audiente et Caesare videor debere non tam pugnare tecum, quam, quid ipse sentiam, dicere.

41. Sequitur igitur, quoniam nobis est hic, de quo loquimur, in foro atque in oculis civium constituendus, ut videamus, quid ei negotii demus cui-

---

§. 40. *ut ait Cæcilius*] *Cæcilius Statius*, comoediarum poeta, natione Insuber Gallus (quidam Mediolanensem ferunt), Ennii primum contubernalis fuisse dicitur. Obiit anno post Ennium mortuum. Hieronym. in Euseb. Chron. Ol. CL. Initio servus fuit, nomine Statius, quod nomen postea in cognomen versum est (Gell. IV. 20.). Eius fabulæ pleræque e Græcis Menandri translatæ erant; cfr. Gell. II. 23. — Cicero Brut. 74. 258 *male* eum *locutum* et Attic. VII. 3. 7. *malum auctorem latinitatis* dicit. A multis tamen ob gravitatem argumentaque bene inventa laudabatur atque adeo ceteris poetis comicis præferebatur; cfr. Horat. Epp. II. 1. 59, Varro ap. Non. IV. 377 p. 696 Gothofr., Quintil. X. 1. 99, Gell. XV. 24.

unius cuiusdam operis — baiulum] Cfr. I. 62. 263: *Operarium nobis quendam, Antoni, oratorem facis*, et 61. 260: *In hoc uno opere, ut ita dicam, noctes et dies urgeatur*. Sic etiam Cic. Brut. 73. 257 operarios et baiulos opponit artificibus. Cfr. I. 18. 83, Gernhard ad Cic. Parad. III. 2. 23, et de propria baiuli significatione Gell. V. 3.

videor debere] H. e. videor mihi debere. Vide Beierum ad I. Off. 1. 1 p. 4 et II. 2. 5 p. 14. Locis Ciceronianis ab eo citatis adde Brut. 5. 18, Divin. in Cæc. 14. 45, IV. Philipp. init., ad Fam. IV. 13.

que eum muneri velimus esse praepositum. Nam Crassus heri, quum vos, Catule et Caesar, non adessetis, posuit breviter in artis distributione idem, quod Graeci plerique posuerunt, neque sane, quid ipse sentiret, sed quid ab illis diceretur, ostendit: duo prima genera quaestionum esse, in quibus eloquentia versaretur, unum infinitum, alterum certum. 42. Infinitum mihi videbatur id dicere, in quo aliquid generatim quaereretur, hoc modo: Expetendane esset eloquentia? expetendine honores? certum autem, in quo quid in personis et in constituta re et definita quaereretur; cuiusmodi sunt, quae in foro atque in civium causis disceptationibusque versantur. 43. Ea mihi videntur aut in lite oranda aut in consilio dando esse posita. Nam illud tertium, quod et a Crasso tactum est, et, ut audio, ille ipse Aristoteles, qui haec maxime illustravit, adiunxit, etiamsi opus est, tamen minus est necessarium.

Quidnam? inquit Catulus, an laudationes? id enim video poni genus tertium.

---

§. 41. *Nam Crassus heri*] Vide I. 31.

§. 43. *in lite oranda*] Sic e Gulielmii coni. recentt. post Schuetz. — *in lite ornanda* Pall. præter primum omnes, Pith., Memm. membr. (tres Lambiniani), Erl. 1, Z, Guelf. A. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab antiquiss. *in lite ordinanda.*

ille ipse Aristoteles] Vide Aristot. Rhetor. I. 9; cfr. Quintil. III. 4. init.

opus est] *Opus esse* dicitur, quod tempora, quod utilitas, quod vitæ commoditas postulat, ut Græc. *ἔργον ἐστὶ*, *δεῖ* (Matth. ad Eurip. Hippol. 441); contra *necessarium esse*, *necesse esse*, quod evitari non potest. Sic Cic. ad Fam. I. 9. 12: *Appius dictitabat — legem curiatam consuli opus esse, necesse non esse;* Cato ap. Senecam ep. 94 §. 28: *Emas non quod opus est, sed quod necesse est.* Cfr. eund. ep. 9 §. 12, Cic. Cluent. 50. 140, Orat. I. 15. 69, II. 73. 296, 80. 326. Vid. Wachsmuth von dem Gerundio etc. in Athenæo ab ipso et Günthero ed. I. 1. p. 51, Ramshorn Gramm. p. 264.

XI. 44. Ita, inquit Antonius, et in eo quidem genere scio et me et omnes, qui affuerunt, delectatos esse vehementer, quum abs te est Popilia, mater vestra, laudata; cui primum mulieri hunc honorem in nostra civitate tributum puto. Sed non omnia, quaecunque loquimur, mihi videntur ad artem et ad praecepta esse revocanda. 45. Ex iis enim fontibus, unde omnia ornamenta dicendi sumuntur, licebit etiam laudationem ornare, neque illa elementa desiderare; quae ut nemo tradat, quis est, qui nesciat, quae sint in homine laudanda? Positis enim iis rebus, quas Crassus in illius orationis suae, quam contra collegam censor habuit, principio dixit: *Quae natura aut fortuna darentur hominibus, in iis rebus se vinci posse animo aequo pati; quae ipsi sibi homines parare possent, in iis rebus se vinci pati non posse*; qui laudabit quempiam, intelliget exponenda sibi esse fortunae bona. 46. Ea sunt generis, pecu-

---

Cap. XI. §. 44. *Popilia, mater vestra*] Vide ad 3. 12. h. libr. Honoratos viros pro rostris laudare, inde ab antiquissimis temporibus moris erat Romanorum; vid. Cic. Brut. 16. 61 sq. ibiq. Wetzel et Ellendt. Matronis quidem, teste Livio V. 50, iam post bellum Gallicum a senatu honos tributus est, ut earum, sicut virorum, post mortem solemnis laudatio esset; sed nullius ante Popiliam matronæ in concione laudatæ memoria exstitisse videtur.

§. 45. *omnia ornamenta dicendi*] Sic Mueller et Orellius. — *omnia ornamenta d. præcepta* Havn. B. — *et omnia ornamenta d. præcepta* Erl. 1. — *ad omnia ornamenta dicendi præcepta* Vet. Steph., Z, β. δ, Guelf. A, Erf., Sch., Harl. — *omnia ornate dicendi præcepta* Havn. A, al., et vulgo inde ab antiquiss. edd. Cfr. Orellii adnotat. — *Sumentur* Havn. uterq., Guelf. B, C, Ald.

quam contra collegam censor habuit] Plin. H. N. XVII. 1: *Nobilissimarum gentium ambo Crassus atque Domitius* (Cn. Domitius Ahenobarbus) *censuram post consulatum simul gesserunt, anno conditæ urbis* DCLXII (92), *frequentem iurgiis propter dissimilitudinem morum*; cfr. Ellendt prolegg. p. LXIX. Orationis Crassi censoris apud populum contra collegam habitæ mentio fit II. 56. 227, 230, Brut. 44. 164; cfr. Ellendt ibid. p. LXXIII.

niae, propinquorum, amicorum, opum, valetudinis, formae, virium, ingenii ceterarumque rerum, quae sunt aut corporis aut extraneae; si habuerit, bene his usum; si non habuerit, sapienter caruisse; si amiserit, moderate tulisse. Deinde, quid sapienter is, quem laudet, quid liberaliter, quid fortiter, quid iuste, quid magnifice, quid pie, quid grate, quid humaniter, quid denique cum aliqua virtute aut fecerit aut tulerit. Haec et quae sunt eius generis facile videbit, qui volet laudare quempiam, et qui vituperare, contraria.

47. Cur igitur dubitas, inquit Catulus, facere hoc tertium genus, quoniam inest in ratione rerum? Non enim, si est facilius, eo de numero quoque est excerpendum.

Quia nolo, inquit, omnia, quae cadunt aliquando in oratorem, quamvis exigua sint, ea sic tractare, quasi nihil possit dici sine praeceptis suis. 48. Nam et testimonium saepe dicendum est, ac nonnunquam etiam accuratius, ut mihi necesse fuit in Sex. Titium, seditiosum civem et turbulentum; explicavi in eo testi-

---

§. 46. *et quae sunt eius generis*] Sic recte Havn. uterq., Guelf. B, C, Lamb., Sch. in ed. mai., Harl. et Olsh.; est enim circumlocutio pro: *et cetera eius generis.* — Vulgo: *et quae sint eius generis.*

§. 48. *Nam et testimonium*] Vide ad I. 49. 214. — Sch. et Olsh. ex Heusingeri coni. ediderunt: *nam etiam testimonium.*

in Sex. Titium] Hic tribunus plebis a. U. 655 (99), M. Antonio et A. Postumio Albino coss., legem agrariam tulit. In Cic. or. p. Rabir. Perd. 9. 24 condemnatus esse dicitur, quod domi suae L. Saturnini imaginem habuerit. Cfr. Valer. Max. VIII. 1. damn. 3. De eius actione haec tradit Cicero Brut. 62. 225: *Sex. Titius — homo loquax sane et satis acutus, sed tam solutus et mollis in gestu, ut saltatio quaedam nasceretur, cui saltationi Titius nomen esset;* cfr. Quintil. XI. 3. 128. Commemoratur etiam h. libr. c. 66. 265 et fortasse ad eundem referendum est id, quod narratur II. 62. 253 et III. 23. 88.

monio dicendo omnia consilia consulatus mei, quibus illi tribuno plebis pro re publica restitissem, quaeque ab eo contra rem publicam facta arbitrarer, exposui. Diu retentus sum, multa audivi, multa respondi. Num igitur placet, quum de eloquentia praecipias, aliquid etiam de testimoniis dicendis quasi in arte tradere?

Nihil sane, inquit Catulus, necesse est.

XII. 49. Quid? si, quod saepe summis viris accidit, mandata sint exponenda, aut in senatu ab imperatore, aut ad imperatorem aut ad regem aut ad populum aliquem a senatu: num, quia genere orationis in huiusmodi causis accuratiore est utendum, idcirco pars etiam haec causarum numeranda videtur aut propriis praeceptis instruenda?

Minime vero, inquit Catulus. Non enim deerit homini diserto in eiusmodi rebus facultas ex ceteris rebus et causis comparata.

50. Ergo item, inquit, illa, quae saepe diserte agenda sunt, et quae ego paullo ante, quum eloquentiam laudarem, dixi oratoris esse, neque habent suum locum ullum in divisione partium neque certum praeceptorum genus, et agenda sunt non minus diserte, quam quae in lite dicuntur, obiurgatio, cohortatio, consolatio; quorum nihil est, quod non summa dicendi ornamenta desideret; sed ex artificio res istae praecepta non quaerunt.

Plane, inquit Catulus, assentior.

51. Age vero, inquit Antonius, qualis oratoris et quanti hominis in dicendo putas esse historiam scribere?

Cap. XII. §. 50. *paullo ante*] Vide c. 9. 35.

Si, ut Graeci scripserunt, summi, inquit Catulus; si, ut nostri, nihil opus est oratore; satis est non esse mendacem.

Atqui, ne nostros contemnas, inquit Antonius, Graeci quoque ipsi sic initio scriptitarunt, ut noster Cato, ut Pictor, ut Piso. 52. Erat enim historia nihil aliud nisi annalium confectio, cuius rei memoriaeque publicae retinendae causa ab initio rerum

---

§. 51. *Græci quoque ipsi*] Sic Havn. A, Guelf. C, al., Steph., Lamb., Mueller, Or. — *quoque* om. Havn. B, Oxx. omnes, Guelf. B et vulgo ante Gruter. inde ab antiquiss. edd. — *ipsi* om. Grut. sqq., Ern., Sch., Harl., Olsh.

ut — Cato, ut Pictor, ut Piso] Cum toto hoc loco cfr. Cic. I. Legg. 2. 6. De *Catone Censorio* vide ad I. 37. 171; de eius Originibus ad I. 53. 227. — *Q. Fabius Pictor*, antiquissimus rerum Romanarum scriptor (Liv. I. 44, Dionys. Halic. VII. 71), belli Punici secundi temporibus æqualis dicitur a Livio XXII. 7, qui sæpissime hunc auctorem sequitur (v. c. I. 44, 55, II. 40 et l. c.). Etiam a Polybio, Dionysio, Gellio, aliis, sæpe commemoratur. Post Cannense proelium Delphos ad oraculum missus est sciscitatum, quibus precibus suppliciisque Romani Deos placare possent, et quinam finis tantis cladibus foret. Liv. XXII. 57. Eius annales historiam Romanam inde ab urbe condita usque ad belli Punici secundi finem complexi esse videntur. Cfr. Fr. Lachmann de fontibus T. Livii I. p. 26 sqq., II. p. 14 sq. *Pictorum* cognomen inde traxisse dicuntur Fabii, quod huius familiæ princeps a. U. 450 (304) ædem Salutis pinxerit. Plin. H. N. XXXV. 7. — *L. Calpurnius Piso Frugi.* Cic. Brut. 27. 106: *Tribunus plebis legem primus de pecuniis repetundis, Censorino et Manilio coss.* (a. U. 605 = 149 a. Chr.), *tulit; ipse etiam Piso et causas egit et multarum legum aut auctor aut dissuasor fuit; isque et orationes reliquit — et annales sane exiliter scriptos.* Consul fuit a. U. 621 (133) cum P. Mucio Scævola. Cognomen *Frugi* ob virtutem atque integritatem accepit. Cic. p. Font. 13. 29. Eius annales, quibus usi sunt Livius et Dionysius, ab urbe condita usque ad ipsius ætatem deducti erant; cfr. Lachmann l. c. I. p. 32 sqq.

§. 52. *annalium confectio*] Serv. ad Virg. Æn. I. 373 Lion.: *Ita annales conficiebantur: tabulam dealbatam quotannis Pontifex Max. habuit, in qua, præscriptis consulum nominibus et aliorum magistratuum, digna memoratu notare consueverat, domi militiæque terra marique gesta per singulos dies. Cuius diligentiæ annuos commentarios in octoginta libros veteres retulerunt, eosque a Pontificibus Maximis a*

Romanarum usque ad P. Mucium, pontificem maximum, res omnes singulorum annorum mandabat literis pontifex maximus referebatque in album et proponebat tabulam domi, potestas ut esset populo cognoscendi; ii, qui etiam nunc annales maximi nominantur. 53. Hanc similitudinem scribendi multi secuti sunt, qui sine ullis ornamentis monumenta solum temporum, hominum, locorum gestarumque rerum reliquerunt. Itaque qualis apud Graecos Pherecydes, Hellanicus, Acusilas fuit aliique permulti,

---

quibus fiebant, *Annales Maximos appellarunt*; cfr. Macrob. Saturn. III. 2 extr., Fest. voc. *Maximi annales.* — Neque solum res gestæ singulorum annorum, sed etiam solis et lunæ defectus, annonæ caritas aliaque huiusmodi annalibus maximis consignata erant; vide Catonem ap. Gell. II. 28, Cic. de repl. I. 16 ibiq. intt. Ceterum antiquissimos Pontificum annales magna ex parte Gallici belli incendio periise, atque ex horum reliquiis aliisque monumentis suppletos esse annales maximos, quibus posteriores historici uterentur, probavit Niebuhrius Röm. Gesch. I. p. 257 sqq. ed. alt. — *P. Mucius* Scævola, Q. Mucii Scævolæ P. Max. pater, prætor fuit a. U. 618 (136), Cic. Attic. XII. 5. 4; cos. a. U. 621 (133) cum L. Pisone Frugi.

referebatque in album] Sic Lamb. e coni., quam probarunt Pearc. et Ern., receperunt Sch., Harl., Mueller et Orellius. Pearc. comparat Liv. I. 32: *Omnia ea ex commentariis regis pontificem in album relata proponere in publico iubet.* — Vulgo codd. et edd. *efferebat*, quod retinuit Olsh.

§. 53. *Pherecydes*, *Hellanicus*, *Acusilas*] *Pherecydes* Atheniensis, vel, ut alii tradunt, Lerius, natus paullo ante Ol. LXXV (circ. 480 a. Chr.), octoginta annos vixisse fertur (Lucian. de Macrob. T. III. p. 224. 93 Reitz. ibiq. intt., Suidas s. h. v.). Pherecydes et qui deinceps h. l. commemorantur, fuerunt e numero λογογράφων s. antiquissimorum Græciæ historicorum, qui prisca plerumque carmina epica secuti, mythicorum temporum historiam soluta oratione persequebantur. Cfr. comment. meam de Carm. Cypriis p. 81 sq. De Pherecydis fragmentis egerunt F. G. Sturz (Geræ 1789, ed. alt. Lips. 1824) et A. Matthiae in comment. a. 1814 Altenburgi edita, postea F. A. Wolfii Analectis litt. Vol. I. P. II. p. 321—331 inserta. — *Hellanicus* Lesbius, Mitylenis Ol. LXXI. 1 (496) natus, duodecim annis ante Herodotum (Gell. XV. 23); obiit Ol. XCII. 2 (411) octogesimo quinto ætatis anno (Lucian. l. c.). Eius fragmenta collegit Sturz, Lips. 1787; ed. alt. ibid. 1826. — *Acusilaus* s. *Acusilas* Argivus

talis noster Cato et Pictor et Piso, qui neque tenent, quibus rebus ornetur oratio (modo enim huc ista sunt importata), et, dum intelligatur, quid dicant, unam dicendi laudem putant esse brevitatem. 54. Paullulum se erexit et addidit historiae maiorem sonum vocis vir optimus, Crassi familiaris, Antipater. Ceteri non exornatores rerum, sed tantummodo narratores fuerunt.

XIII. Est, inquit Catulus, ut dicis. Sed iste ipse Caelius neque distinxit historiam varietate locorum, neque verborum collocatione et tractu orationis leni et aequabili perpolivit illud opus; sed ut

---

Hesiodum maxime secutus genealogias scripsit. Suidas eum antiquissimum historiæ scriptorem dicit. Fragmenta, quæ pauca admodum supersunt, Sturzii Pherecydi adiuncta leguntur.

quibus rebus ornetur oratio] Sic Erl. 1, edd. antiquiss. (de ed. s. l. et a. nihil adnotatum inveni), Lamb. — Vulgo: *quibus rebus ornatur oratio.*

§. 54. *Antipater*] Cic. Brut. 26. 102: *L. Caelius Antipater scriptor, quemadmodum videtis, fuit, ut temporibus illis, luculentus, iuris valde peritus, multorum etiam, ut L. Crassi, magister.* Vixit Gracchorum temporibus (Cic. I. Divin. 26. 56, Valer. Max. I. 7. 6; cfr. Cic. I. Legg. 2. 6; Vell. Paterc. II. 9). Belli Punici historiam eum scripsisse constat ex Cic. Orat. 69. 230, et pleraque, quæ ad nos pervenerunt, fragmenta ad bellum Pun. secundum pertinent; nonnullis tamen (v. c. ap. Cic. I. Div. 26. 55 et 56) et anteriora bello Punico et posteriora attinguntur. Caeliana in epitomen redegit Brutus. Cic. Att. XIII. 8. De Caelio scripserunt Bav. Ant. Nauta et G. Groen van Prinsterer, quorum commentationes insertæ sunt annalium Acad. Lugd. Batav. volumini VI. anni 1821; cfr. Lachmann l. c. II. p. 19 sqq.

Cap. XIII. *varietate locorum*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — "Coniecturam Iacobsii *varietate colorum* recepit Schuetz [et Mueller] pro *var. locorum*. At quum color sit orationis genus (vid. Ern. lex. technol.), *varietate colorum* esset vario orationis vel dicendi genere. De dicendi autem genere in proximis demum *neque verborum collocatione* etc. sermo est, ut hic de materia, quam vocant, historici operis loqui videatur, ut infra §. 63, 64. *Locos* intelligo argumenta, quæ nos obiecta dicimus; quæ quam varia sint in historia, monstrat Dionys. Halic. ep. ad Pomp. p. 783 sq. ed. Reisk., ubi Theopompi τὸ πολύμορφον τῆς γραφῆς laudat; cfr.

homo neque doctus neque maxime aptus ad dicendum, sicut potuit, dolavit; vicit tamen, ut dicis, superiores.

55. Minime mirum, inquit Antonius, si ista res adhuc nostra lingua illustrata non est. Nemo enim studet eloquentiae nostrorum hominum, nisi ut in causis atque in foro eluceat; apud Graecos autem eloquentissimi homines, remoti a causis forensibus, quum ad ceteras res illustres tum ad scribendam historiam maxime se applicaverunt. Namque et Herodotum illum, qui princeps genus hoc ornavit, in causis nihil omnino versatum esse accepimus; atqui

---

infr. §. 63." Matthiae in Seebodii Misc. Crit. I. p. 680 sq. — Cum h. l. cfr. Cic. I. Legg. 2. 6: *Antipater paullo inflavit vehementius, habuitque vires agrestes ille quidem atque horridas, sine nitore ac palæstra; sed tamen admonere reliquos potuit, ut accuratius scriberent.*

§. 55. *Namque et Herodotum* etc.] Herodotus Halicarnasseus natus Ol. LXXIV. 1 (484). Adolescens, patria a Lygdamide tyranno oppressa, Samum migravit; deinde magnis itineribus susceptis, quæ viderat atque audierat, litteris tradidit. Ol. LXXXIII. 4 (445) se coloniis adiunxit, qui Athenis Thurium mittebantur, ibique otium in historiis recensendis poliendisque consumpsit. De Herodoti vita impr. consulendi sunt: Dahlmann Herodotus aus seinem Buche sein Leben, in Forschungen aus dem Gebiete der Geschichte Vol. II. P. 1. Altonæ 1823, et C. G. L. Heyse de vita et itineribus Herodoti, Berolini. 1827. 8. — *Thucydides* Atheniensis, natus Ol. LXXVII. 2. (471); artis oratoriæ præceptore usus est Antiphonte Rhamnusio, philosophiæ Anaxagora. Octavo belli Peloponnesiaci anno (Ol. LXXXIX. 1 = 424) classi Atheniensium præfectus quum ad Amphipolin obsidione liberandam profectus esset, sed sero, iam capta a Brasida urbe, advenisset: a civibus hanc calamitatem ægre ferentibus in exsilium pulsus est. Exsul in Thraciam migravit atque Scaptesulæ historiam scribere instituit, id quod Cicero h. l. significat. Ibi tamen tantummodo ea, quæ ad res gestas scribendas pertinerent, collegisse, sed Athenis demum post reditum Ol. XCIV. 1 = 404 a. Chr. (Thucyd. V. 26) opus suum perfecisse et polivisse videtur. Scripsit de XXI primis belli Peloponnesiaci annis libris octo, qui exstant. Quando et ubi mortuus sit, inter auctores non constat. De *eius vita* cfr. Goellerum in præfat. edit. Thucyd.

tanta est eloquentia, ut me quidem, quantum ego Graece scripta intelligere possum, magno opere delectet; 56. et post illum Thucydides omnes dicendi artificio, mea sententia, facile vicit; qui ita creber est rerum frequentia, ut verborum prope numerum sententiarum numero consequatur, ita porro verbis aptus et pressus, ut nescias, utrum res oratione an verba sententiis illustrentur. Atqui ne hunc quidem, quamquam est in re publica versatus, ex numero accepimus eorum, qui causas dictitarunt; et hos libros tum scripsisse dicitur, quum a re publica remotus atque, id quod optimo cuique Athenis accidere solitum est, in exsilium pulsus esset. 57. Hunc consecutus est Syracusius Philistus, qui, quum Dionysii tyranni familiarissimus esset, otium suum consumpsit in historia scribenda maximeque Thucydidem est, sicut mihi videtur, imitatus. Postea vero quasi ex

§. 57. *Syracusius Philistus*] Natus circ. Ol. LXXXVII (432), Dionysium maiorem ad occupandam tyrannidem incitavit opibusque adiuvit (Diodor. Sic. XIII. 91). Postea tamen, quum Leptinæ, Dionysii fratris, filiam clam in matrimonium duxisset, Syracusis a tyranno eiectus Adriam migravit. A Dionysio minore revocatus Dioni restitit atque tyrannidis non magis quam tyranni studiosus cum Syracusanis, qui Dione duce adversus Dionysium arma moverant, classe conflixit, sed proelio victus Ol. CVI. 1 (356) voluntaria morte periit (Diodor. XVI. 11, 16). Eius Σικελικὰ in duas partes divisa erant, quarum altera septem libris res Siculas usque ad captum Agrigentum (Ol. XCIII. 3 = 406) continebat, altera libris quattuor Dionysii maioris res complectebatur (Diodor. XIII. 103; cfr. Cic. ad Quint. Fr. II. 13, Dionys. Halic. ep. ad Cn. Pomp. c. 5). Præterea duobus libris Dionysii minoris res per quinque annos persequebatur (Diodor. XV. 89). De Philisti scribendi genere sic indicat Cic. ep. ad Quint. Fr. II. 13: *Siculus ille capitalis, creber, acutus, brevis* (cfr. fragm. Hortens. p. 479 Or.), *pæne pusillus Thucydides*, et I Divin. 20. 39 doctum hominem et diligentem eum dicit. De eius vita et fragmentis disseruit Goeller in libro de situ et origine Syracusarum, Lips. 1818, p. 103-176.

clarissima rhetoris officina duo praestantes ingenio, Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi se ad historiam contulerunt; causas omnino nunquam attigerunt.

---

quasi ex clarissima rhetoris officina] Sic plerique codd. (nisi quod *in* pro *ex* Havn. B, et *oratoris* Havn. uterq. pro *rhetoris*) et vulgo edd. — *ex clarissima quasi rhetoris officina* Harl. 1 (prob. Pearc.), Erl. 1, et sic edidit Harl. — *ex clarissima quasi rhetorum officina* Muellerus, *ex clarissima rhetoris quasi officina* Ellendt ad Brut. p. 36, uterque e coni. — Omnia hæc spuria iudicavit Ruhnkenius Hist. crit. orat. Gr. præmissa ed. Rutilii Lupi p. 87; delevit Schuetzius.

Theopompus et Ephorus] *Theopompus* Chius circa an. 380 a. Chr. natus videtur. Cum patre, Laconismi damnato, e civitate eiectus, postea anno ætatis quadragesimo quinto ab Alexandro Magno revocatus est. Mortuo Alexandro exsul iterum factus in Ægyptum venit (Phot. cod. 176). Quando vel ubi mortuus sit, non liquet. Isocratis disciplina aut Athenis aut Chii (nam Isocrates aliquamdiu apud Chios artem oratoriam docuisse fertur, Pseudo-Plut. X Oratt. vitt. 4, Photius p. 486 Bekk.) usus ita excelluit, ut inter optimos huius rhetoris discipulos numeraretur (Dionys. Halicarn. ep. ad Cn. Pomp. c. 6, Phot. p. 121 Bekker.). In certamine, quod Artemisia laudibus Mausoli, Cariæ regis, dicundis proposuit, cum Theodecte, Naucrate et Isocrate minore congressus palmam retulit (Gell. X. 18). Multa scripsit, ex quibus h. l. commemoranda sunt: *Hellenica* libris duodecim, quibus res ab Ol. XCII. 2 (411), quo anno finierat Thucydidis historia, usque ad Ol. XCVI. 3 (394) gestas complectebatur (Diodor. XIV. 84), et *Philippica* libris quinquaginta octo (Diodor. XVI. 3); Φιλιππικῶν libri 41, 42 et 43 res Siculas continebant (ibid. c. 71). De Theopompi vita et scriptis disseruerunt: Fr. Koch de Theop. Chio, Stettin. 1792. 8, repetit. in Ruperti et Schlichthorstii Magazin I. p. 262 sqq., et Prolegg. ad Th. Ch. ibid. 1803. 4, repet. in Seebodii Archiv 1824 P. III. p. 397-419; A. I. E. Pflugk de Th. Ch. vita et scriptis, Berol. 1827; et, qui eius fragmenta collegit, R. H. Eyssonius Wichers, Lugd. Batav. 1829. 8. — *Ephorus* Cymæus, Cymis, Æolidis oppido, Ol. XCIII (408) natus, Isocratis discipulus, scripsit historiam universalem (τὰ καθόλου Polyb. V. 33, τὰς κοινὰς πράξεις Diodor. Sic. IV. 1, V. 1) libris XXX ab Heraclidarum reditu usque ad Perinthi obsidionem Ol. CIX. 4 = 341, singulisque libris prooemia præfixit (Diodor. ll. cc. et impr. XVI. 76, Suidas voc. Ἔφιππος). Alia eius scripta philosophica et rhetorica commemorat Suidas l. c. Ephorum magnis laudibus effert Polyb. excerpt. Vatic. in Maii scriptt. vett. nova collect. Vol. II. p. 402. Eius fragmenta collegit M. Marx, Caroliruhæ 1815. 8.

XIV. 58. Denique etiam a philosophia profectus princeps Xenophon, Socraticus ille, post ab Aristotele Callisthenes, comes Alexandri, scripsit historiam; et hic quidem rhetorico paene more; ille autem su-

---

Cap. XIV. §. 58. *Xenophon, Socraticus ille*] Xenophon, Grylli F., Atheniensis, vulgo Ol. LXXXII. 3 (450) natus atque Ol. CV. 1 (360) mortuus esse existimatur; sed Kruegerus in Quaestionibus criticis de Xenophontis vita, Halis Sax. 1822, p. 11 sqq. eum non ante Ol. LXXXIV. (444) lucem adspexisse, neque ante Ol. CVI. 2 (355) decessisse probavit. Postquam Athenis Socratis disciplina usus est, eum Lacedaemoniis in Asiam ad Cyrum minorem adiuvandum profectus est, et post pugnam ad Cunaxa, trucidatis Tissaphernis fraude Lacedaemoniorum ducibus, ipse militibus praefectus decem milia Graecorum praeclaro illo reditu, quem in Anabasi descripsit, conservavit. Postea ab Ol. XCVI. 1 usque ad ann. tertium eiusd. Ol. (396—394) Agesilaum, quo familiarissime utebatur, quemque praeceptis ab eo imbutum fuisse dicit Cic. Orat. III. 34. 139, in Asia comitatus est. Absens ab Atheniensibus, quod adversus Artaxerxem ipsis amicum dimicaverat, exsilio damnatus, primum Scilluntа (Pausan. V. 6. 4) deinde Corinthum se contulit, ibique mortuus est. De eius scribendi genere cfr. Quintil. X. 1. 82. Historicos libros reliquit hos, qui hodie exstant: *Ἑλληνικῶν* libros septem, qui res inde ab Ol. XCII. 2 (411) usque ad pugnam Mantinensem (Ol. CIV. 2 = 363) gestas complectuntur; *Κύρου Ἀναβάσεως* libros septem de Cyri minoris adversus Artaxerxem II. fratrem bello et de Graecorum reditu; *Κύρου Παιδείαν*, qua non veram Cyri maioris historiam narravit, sed optimi principis imaginem adumbravit; denique Agesilai laudationem, quamquam eum librum, qui hodie hoc nomine fertur, Xenophonti abiudicant nonnulli VV. DD. De Xenophontis vita consule praeter Kruegeri librum supra commemoratum Popponem in praefat. ad expedit. Cyri ab ipso editam.

ab Aristotele Callisthenes] Supple: *profectus*. Saepissime sic praepositio *ab* praeponitur scholis vel principibus scholarum, quorum praeceptis aliquis eruditus est; cfr. II. 38. 160, p. Muren. 30. 63, IV Fin. 3. 7, II Tusc. 3. 7 ibiq. Kuehner, Beier ad III Off. 33. 116 p. 405. Similiter Graeci dicunt: *οἱ ἀπὸ Πλάτωνος, οἱ ἀπὸ τῆς Ἀκαδημίας*; cfr. Schaefer Meletem. crit. p. 27, Passow Lex. Gr. s. v. *ἀπὸ* n. 7. Variavit orationem Cicero III Legg. 6, 14: *Heraclides Ponticus profectus a Platone. Theophrastus vero, institutus ab Aristotele, habitavit — in eo genere rerum; ab eodemque Aristotele doctus Dicaearchus huic rationi studioque non defuit. Post a Theophrasto Phalereus ille Demetrius — doctrinam ex umbraculis eruditorum — in aciem produxit. — Callisthenes*,

perior leniore quodam sono est usus, et qui illum impetum oratoris non habeat; vehemens fortasse minus, sed aliquanto tamen est, ut mihi quidem videtur, dulcior. Minimus natu horum omnium Timaeus, quantum autem iudicare possum, longe eruditissimus et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimus et ipsa compositione verborum non impolitus, magnam eloquentiam ad scribendum attulit, sed nullum usum forensem.

59. Haec quum ille dixisset, Quid est, inquit, Catule? Caesar; ubi sunt, qui Antonium Graece ne-

---

Olynthi, Macedoniæ urbe, natus, Aristotelis consobrinus et discipulus, Alexandri magni in expeditionibus comes fuit, sed postea ab eodem crudeliter interfectus est; cuius necis causa suppliciique genus aliud ab aliis traditur (Suidas s. h. v.; cfr. Arrian. de exped. Alex. IV. 10-14, Plutarch. Alex. c. 53 sqq., et intt. ad Curt. VIII. 5. 13, 8. 21). Scripsit Ἑλληνικῶν libros decem inde ab Antalcidea pace (Ol. XCVIII. 2 = 387) usque ad templi Delphici direptionem a Phocensibus Ol. CVI. 2 (355) duce Philomelo factam deductos (Diodor. XIV. 117, XVI. 14). Libellum de bello Troiano commemorat Cic. ep. ad Fam. V. 12. Etiam Περσικά scripsisse in iisque de Alexandro magno egisse videtur, vide Hemsterhus. ad Polluc. IX. 93 p. 1075.

aliquanto tamen est] *Est* a pluribus libris abesse dicit Muellerus, in aliquot codd. omissum testatur Orellius. Equidem, quinam hi codd. sint, nescio; in omnibus, quotquot collatos vidi, exstat hoc verbum.

Timæus] Andromachi F., Tauromenii, Siciliæ urbe, circ. Ol. CVI (356) natus, adolescens Philiscum Milesium audivit. Ab Agathocle, Syracusarum tyranno, Sicilia eiectus Athenas migravit ibique historiam scripsit (Polyb. XII. 28. 6, Plutarch. de exsilio c. 14; cfr. Polyb. excerpt. Vat. XII. 13 et 18 p. 389 et p. 393 Maii). Decessit anno ætatis nonagesimo sexto, Lucian. Macrob. c. 22 T. III. p. 224. 95 Reitz. Eius Ἱστορίαι res Græcorum, Siculorum et Italicorum usque ad Ol. CXXIX (264) complectebantur (Polyb. I. 5. 1; cfr. Polyb. excerpt. Vat. XII. 3 p. 381 Maii); extremis quinque libris Agathoclis historia continebatur (Diodor. excerpt. p. 561 Wesseling.; cfr. Polyb. XII. 15. 2) Pyrrhi bella propria complexus est historia (Cic. Fam. V. 12, Dionys. Halic. A. R. I. 6, cfr. Polyb. III. 32, excerpt. Vat. XII. 2 p. 381 Maii). De Timæi scribendi genere cfr. Cic. Brut. 95. 325. De eius vita et fragmentis egit Goeller in libro de situ et origine Syracus. p. 177-306.

gant scire? quot historicos nominavit? quam scienter, quam proprie de unoquoque dixit?

Id mehercule, inquit Catulus, admirans illud iam mirari desino, quod multo magis ante mirabar, hunc, quum haec nesciret, in dicendo posse tantum.

Atqui, Catule, inquit Antonius, non ego utilitatem aliquam ad dicendum aucupans horum libros et nonnullos alios, sed delectationis causa, quum est otium, legere soleo. 60. Quid ergo est? fatebor: aliquid tamen; ut, quum in sole ambulem, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri natura tamen, ut colorer, sic, quum istos libros ad Misenum (nam Romae vix licet) studiosius legerim, sentio orationem meam illorum tactu quasi colorari. Sed ne latius hoc vobis patere videatur, haec dumtaxat in Graecis intelligo, quae ipsi, qui scripserunt, voluerunt a vulgo intelligi; 61. in philosophos vestros si quando incidi, deceptus indicibus librorum, quod sunt fere inscripti de rebus notis et illustribus, de virtute, de iustitia, de honestate, de voluptate, verbum prorsus nullum intelligo; ita sunt angustis et concisis disputationibus illigati. Poëtas omnino, quasi alia quadam

---

§. 60. *Quid ergo est? fatebor*] Antonius se ipse hac formula corrigit atque significare vult, non solum delectationem, sed etiam utilitatis aliquid se ex historicorum libris legendis percipere. De hac interrogandi formula cfr. Matth. ad Cic. p. Rosc. Amer. 13. 36 et Beierum ad Tullian. §. 5 p. 11. — Lambinus et Pearcius in ed. III sqq. correxerunt: *Quid ergo? Est, fateor, aliquid tamen.*

ad Misenum] *Misenum* promontorium, portus et oppidum Campaniæ, ubi Antonii villa erat. — Sequitur *illorum tactu quasi colorari*, quod ex Erl. 1 (in quo est: *illorum tactu orationem meam quasi col.*) recepit Ern. et post eum recentt. Ernesti confert Cic. II N. D. 15. 40: *is eius* (solis) *tactus est, non ut tepefaciat solum, sed etiam sæpe comburat.* Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *illorum cantu* etc.

§. 61. *quasi alia quadam*] Ita Havn. uterq., et sic exhibere videntur plerique codd., atque hanc lectionem, quam

lingua locutos, non conor attingere; cum his me, ut dixi, oblecto, qui res gestas, aut qui orationes scripserunt suas, aut qui ita loquuntur, ut videantur voluisse esse nobis, qui non sumus eruditissimi, familiares.

XV. 62. Sed illuc redeo. Videtisne, quantum sit munus oratoris historia? haud scio an flumine orationis et varietate maximum; neque tamen eam reperio usquam separatim instructam rhetorum praeceptis; sita sunt enim ante oculos. Nam quis nescit primam esse historiae legem, ne quid falsi dicere audeat? deinde ne quid veri non audeat? ne qua suspicio gratiae sit in scribendo? ne qua simultatis? 63. Haec scilicet fundamenta nota sunt omnibus. Ipsa autem exaedificatio posita est in rebus et verbis. Rerum ratio ordinem temporum desiderat, regionum descriptionem; vult etiam, quoniam in rebus magnis memoriaque dignis consilia primum, deinde acta, postea eventus exspectantur, et de con-

---

in duobus codd. (duobus ST.) repertam magnopere probavit Lambinus, Gruterus primus recepit, quem secuti sunt recentt. — Vulgo olim inde ab antiquiss. edd. *quasi aliena quadam.* — In extremo cap. *voluisse esse nobis — familiares* codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo post Ald. usque ad Ern.; restituit Or. — *esse* om. Waldarf. — *voluisse nobis — esse familiares* Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

Cap. XV. §. 62. *Videtisne, quantum*] Encliticon *ne* verbo principali adiunctum sæpe affirmativam vim habet atque valet i. q. *nonne*; vide impr. Heusing. et Beier. ad III. Off. 17 init., Matth. ad Cic. p. Roscio Am. 12. 33, Gernh. ad Cat. mai. 10. 31, Zumpt. Gr. §. 352. Sine causa igitur Ern., quem etiam alibi (v. c. ad II Verr. 46. 112 cfr. eund. in clavi Cic. voc. *ne*) hoc encliticon in affirmativa interrogatione positum male habuit, infra §. 64 ex edd. antiquiss. (quibuscum consentiunt Havn. uterq. et Man.) edidit *videtisne ulla esse præcepta* pro vulg. *videtisne nulla esse præcepta.*

quantum sit munus oratoris historia] Hunc meliorem ordinem exhibent Havn. uterq., Guelf. B et C. — Vulgo: *quantum munus sit oratoris hist.*

siliis significari, quid scriptor probet, et in rebus gestis declarari non solum, quid actum aut dictum sit, sed etiam quomodo; et quum de eventu dicatur, ut causae explicentur omnes vel casus vel sapientiae vel temeritatis, hominumque ipsorum non solum res gestae, sed etiam, qui fama ac nomine excellant, de cuiusque vita atque natura. 64. Verborum autem ratio et genus orationis fusum atque tractum et cum lenitate quadam aequabili profluens sine hac iudiciali asperitate et sine sententiarum forensium aculeis persequendum est. Harum tot tantarumque rerum videtisne nulla esse praecepta, quae in artibus rhetorum reperiantur? In eodem silentio multa alia oratorum officia iacuerunt, cohortationes, consolationes, praecepta, admonita, quae tractanda sunt omnia disertissime, sed locum suum in illis artibus, quae traditae sunt, habent nullum. 65. Atque in hoc genere illa quoque est infinita silva, quod oratori plerique, ut etiam Crassus ostendit, duo genera ad dicendum dederunt: unum de certa definitaque causa, quales sunt, quae in litibus, quae in deliberationibus versantur; addat, si quis volet, etiam laudationes; alterum, quod appellant omnes fere scriptores, explicat nemo, infinitam generis sine tempore et sine persona quaestionem. Hoc quid et quantum

---

§. 63. *causæ — vel casus etc.*] H. e. causæ, quæ positæ sunt in casu, quas affert casus. Vide impr. Beier. ad II Off. 5. 16 p. 35 et Madvig. Ep. ad Orell. p. 79.

de cuiusque vita] Sic omnes codd. et vulgo edd. E præcedentibus intelligendum est *explicetur*, *dicatur* vel simile verbum. — Præpositionem *de* delendam consuerunt Pearc. in ed. sec. et Purgold Obss. crit. in Sophocl. etc. p. 336; deleruat Sch., Harl., Mueller. — *excellat* Erl. 1, edd. antiquiss., Lamb., Pearc.

§. 64. *consolationes, præcepta, admonita*] Vide infra ad 74. 302. — Paullo ante *æquabiliter profluens* (pro vulg. *æquabili profl.*) Z, excerpt. δ, marg. Crat., Sch. in ed. mai.

sit, quum dicunt, intelligere mihi non videntur. 66. Si enim est oratoris, quaecunque res infinite posita sit, de ea posse dicere, dicendum erit ei, quanta sit solis magnitudo, quae forma terrae; de mathematicis, de musicis rebus, non poterit, quin dicat, hoc onere suscepto, recusare. Denique ei, qui profitetur esse suum, non solum de iis controversiis, quae temporibus et personis notatae sunt, hoc est, de omnibus forensibus, sed etiam de generum infinitis quaestonibus dicere, nullum potest esse genus orationis, quod sit exceptum.

XVI. 67. Sed si illam quoque partem quaestionum oratori volumus adiungere vagam et liberam et late patentem, ut de rebus bonis aut malis, expetendis aut fugiendis, honestis aut turpibus, utilibus aut inutilibus, de virtute, de iustitia, de continentia, de prudentia, de magnitudine animi, de liberalitate, de pietate, de amicitia, de fide, de officio, de ceteris virtutibus contrariisque vitiis dicendum oratori putemus; itemque de re publica, de imperio, de re militari, de disciplina civitatis, de hominum moribus: assumamus eam quoque partem, sed ita, ut sit circumscripta modicis regionibus. 68. Equidem omnia, quae pertinent ad usum civium, morem hominum, quae versantur in consuetudine vitae, in ratione rei publicae, in hac societate civili, in sensu hominum communi, in natura, in moribus, comprehendenda esse oratori puto; si minus, ut separatim de his rebus philosophorum more respondeat, at certe, ut in causa prudenter possit intexere; hisce autem ipsis de

§. 66. *personis notatae*] Sic Man. et Lamb. e coni. (vide Lambini adnot. ad h. l.); probavit Pearc., qui similes locos attulit Partit. orat. 18. 61 et 30. 106; receperunt recentt. post Ern. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. *personis notae*.

rebus ut ita loquatur, ut ii, qui iura, qui leges, qui civitates constituerunt, locuti sunt, simpliciter et splendide, sine ulla serie disputationum et sine ieiuna concertatione verborum. 69. Hoc loco ne qua sit admiratio, si tot tantarumque rerum nulla a me praecepta ponentur, sic statuo: ut in ceteris artibus, quum tradita sint cuiusque artis difficillima, reliqua, quia aut faciliora aut similia sint, tradi non necesse esse — ut in pictura, qui hominis speciem pingere perdidicerit, posse eum cuiusvis vel formae vel aetatis, etiamsi non didicerit, pingere, neque esse periculum, qui leonem aut taurum pingat egregie, ne idem in multis aliis quadrupedibus facere non possit; (neque enim est omnino ars ulla, in qua omnia, quae illa arte effici possunt, a doctore tradantur; sed qui primarum et certarum rerum genera ipsa didicerunt, reliqua per se non incommode persequuntur;) —: 70. similiter arbitror, in hac sive ratione sive

---

Cap. XVI. §. 69. *quum tradita sint*] Sic Erl. 1, edd. antiquiss., Ern., Sch., Harl., Mueller, Or. — Plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo ante Ern. *quum tradita sunt*, quod retinuit Olsh. — Paullo infra *similia sint* codd. et vulgo post Ald. — *similia sunt* edd. antiquiss. (in quibus post hæc verba repetitur *cuiusque artis*), Sch., Mueller, Olsh., Or.

tradi non necesse esse] Sic omnes, ut videtur, codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. ante Lamb.; restituerunt Pearc. et recentt. post Ern. — *tradi non necesse est* Lamb., Grut., Sch. in ed. mai. — Deinde *posse eum cuiusvis* — *neque esse periculum* vulgo codd. et edd. — *potest cuiusvis* — *neque est peric.* Lamb. a veteribus codd., ut ait, adiutus; probavit Heusing., receperunt Sch. in ed. mai. (*potest eum cuiusvis*) et Olsh. Si vulgata lectio sana est, infinitivi pendent a verbo *statuo.*

neque enim est omnino] Sic Mead., Guelf. B, C, Steph., Lamb., Pearc., Or. — *neque est enim omnino* Havn. A. — Vulgo om. *enim.*

reliqua per se non incommode persequuntur] Sic Man., Steph., Lamb., Sch., Olsh., Or., hic tamen uncis includit *per se*, quæ verba de coniectura huc retracta e lectione codd. quorundam v. c. Guelf. B, C putat. Fateor me Orellii ver-

exercitatione dicendi, qui illam vim adeptus sit, ut eorum mentes, qui aut de re publica aut de ipsius rebus aut de iis, contra quos aut pro quibus dicat, cum aliqua statuendi potestate audiant, ad suum arbitrium movere possit, hunc de toto illo genere reliquarum orationum non plus quaesiturum esse, quid dicat, quam Polycletum illum, quum Herculem fingebat, quemadmodum pellem aut hydram fingeret, etiamsi haec nunquam separatim facere didicisset.

XVII. 71. Tum Catulus: Praeclare mihi videris, Antoni, posuisse ante oculos, quid discere oporteret eum, qui orator esset futurus, quid, etiamsi non didicisset, ex eo, quod didicisset, assumeret. Dedu-

---

ba non satis intelligere; sed vocc. *per se* mihi necessaria videntur ad iustam oppositionem eorum, quæ præcesserunt *qui — didicerunt*, efficiendam. — *reliqua per se persequuntur*. Havn. A, Guelf. B, C (*persecuntur*). — *reliqua non incommode persequuntur* repett. Lamb., Grut., Ern., Harl., Mueller. — *reliqua persequuntur* Havn. B, Z, α, ε, Guelf. A (in quo: *reliqua per ..... tur* relicto septem fere litterarum spatio), edd. antiquiss. al.

§. 70. *quam Polycletum*] *Polycletus* Sicyonius vel Argivus, celeberrimus statuarius et architectus, Ageladæ discipulus, teste Plinio (H. N. XXXIV. 19) Ol. LXXXVII = 432 a. Chr. floruit. Inter eius opera, quæ permulta ab antiquis scriptoribus commemorantur, imprimis eminebat Iunonis signum ebore et auro elaboratum in Heræo (Iunonis templo) inter Mycenas et Argos sito (Pausan. II. 17. 4), et Doryphorus, de quo Plinius l. c.: *Idem et Doryphorum viriliter puerum fecit et quem canona artifices vocant, lineamenta artis ex eo petentes velut a lege quadam, solusque hominum artem ipsa fecisse artis opere iudicatur*; cfr. Cic. Brut. 86. 296. Antiquorum artificum severitatem emollire studebat, ideoque non tam maiestatem et magnificentiam, ut Phidiæ statuæ, quam artem, decorem et venustatem referebant eius opera; cfr. Strabo VIII. 6 p. 372, Quintil. XII. 10. 7 sq. Eius Hercules cum hydra Lernæa pugnans hoc solo loco commemoratur. De hoc artifice vide Winkelmanns Werke VI. 1 p. 47 sqq., 2 p. 75 sqq., Boettigers Andeutungen p. 111 sqq., H. Meyers Gesch. d. bildenden Künste bei den Griechen I p. 66 sqq., II p. 61 sqq., Sillig. Catalog. artificum p. 361 sqq., C. Odofr. Muellerum de Phidiæ vita p. 49 sqq.

Cap. XVII. §. 71. *quid, etiamsi non*] *quid etiamsi* omnes Gruteri codd., edd. antiquiss., Ald., Victor., Lamb., Grut.,

xisti enim totum hominem in duo solum genera causarum, cetera innumerabilia exercitationi et similitudini reliquisti. Sed vide, ne in istis duobus generibus hydra tibi sit et pellis, Hercules [autem] et alia opera maiora ne in illis rebus, quas praetermittis, relinquantur. Non enim mihi minus operis videtur de universis generibus rerum quam de singulorum causis, ac multo etiam maius de natura deorum quam de hominum litibus dicere.

72. Non est ita, inquit Antonius. Dicam enim tibi, Catule, non tam doctus quam, id quod est maius, expertus. Omnium ceterarum rerum oratio, mihi crede, ludus est homini non hebeti neque inexercitato neque communium literarum et politioris humanitatis experti; in causarum contentionibus magnum est quoddam opus atque haud sciam an de humanis operibus longe maximum; in quibus vis oratoris plerumque ab imperitis exitu et victoria iudicatur; ubi adest armatus adversarius, qui sit et feriendus et repellendus; ubi saepe is, qui rei dominus futurus est, alienus atque iratus, aut etiam amicus

---

Olsh., Or. — *quid etiam, si* Pearc., Ern., Harl. — Deinde *assumeret* præbent omnes codd.; Ern. correxit *assumere*, eumque secutus est Harl. — Pro *deduxisti* Matth. in Seebodii Misc. Crit. I p. 681 leg. censet *diduxisti*, quod iam in marg. repett. Lambb. reperitur.

Sed vide, ne] Sic Havn. A, Guelf. B, C, Ven., Lott., Steph., Lamb., Sch., Harl., Mueller, Or. — *sed video ne* Guelf. A. — *sed videto ne* plerique codd. (etiam Havn. B), ed. s. l. et a., Med. utraq., et vulgo inde ab Aldo, quod male reduxit Olsh. Præsens enim imperativi semper in hac formula, qua modeste aliquid corrigitur, usurpatur. De differentia inter præs. et fut. imperativi vid. N. B. Krarup de natura et usu imperativi ap. Latinos, Havn. 1825, et Zumpt Gr. §. 583.

Hercules autem] *autem* om. Havn. uterq., duo Steph. codd., *a*, *β*, *δ*, Guelf. C, edd. antiquiss., Lamb. — *Herculis aut alia* Guelf. A, B.

§. 72. *qui rei dominus futurus est*] I. q. *qui cum aliqua*

adversario et inimicus tibi, est; quum aut docendus is est aut dedocendus aut reprimendus aut incitandus aut omni ratione ad tempus, ad causam, oratione moderandus (in quo saepe benevolentia ad odium, odium autem ad benevolentiam deducendum est), aut tamquam machinatione aliqua tum ad severitatem tum ad remissionem animi tum ad tristitiam tum ad laetitiam contorquendus. Omnium sententiarum gravitate, omnibus verborum ponderibus est utendum; 73. accedat oportet actio varia, vehemens, plena animi, plena spiritus, plena doloris, plena veritatis. In his operibus si quis illam artem comprehenderit, ut, tamquam Phidias, Minervae signum efficere possit:

---

statuendi potestate audit c. 16. 70. Interpp. comparant Xenoph. Hellen. VII. 3. 6: *Τοὺς κυρίους οὕστινας δεῖ ἀποθνήσκειν καὶ οὕστινας μή.*

quum aut docendus is est — aut tamquam etc.] Sic parva mutatione facta difficilem hunc locum emendavit Madvigius. — Vulgo: *quum aut docendus is est — : qui tamquam — est contorquendus;* sed pro *qui*, quod non habet, quo referatur, Vet. Steph. et Guelf. A exhibent *qui ut*, unde Madvigius fecit *aut*. Recentiores editores plerique vulgatam lectionem retinent, nisi quod Ern. verba *in quo — deducendum est* parenthesi includit; Muellerus plene interpungit ante *quum aut docendus* et verba *in quo — contorquendus* parenthesi includit, apodosin autem a verbis *omnium sententiarum* incipere putat; eademque est sententia Orellii, qui ante hæc verba suspensæ aliquantisper orationis signum (—) ponit. Alii aliter; vide Orellii adnot. ad h. l.

§. 73. *tamquam Phidias, Minervæ signum*] *Phidias* Atheniensis, Charmidæ filius, celeberrimus suæ ætatis statuarius (etiam pingendi arti operam dedisse dicitur Plin. H. N. XXXV. 34), natus Ol. fere LXXIII (488), Periclis amicus atque in urbe Atheniensium ornanda adiutor fuit. Postea, quum Periclis auctoritas ab adversariis labefactata esset, a Menone quodam accusatus est, quod auri ad Minervæ simulacrum fingendum destinati partem avertisset. Sed quum, soluta statuæ compagine, ostendisset, tantum in Deæ vestimento inesse auri, quantum accepisset, hoc crimine absolutus, paullo post iterum accusatus est, quod suam et Periclis imaginem in Minervæ clypeo inclusisset (cfr. I Tusc. 15. 34); damnatus in vincula publica coniectus est ibique diem obiit supremum Ol. LXXXVII. 1 = 432 a. Chr. (Plutarch.

non sane, quemadmodum, ut in clypeo idem ille artifex, minora illa opera facere discat, laborabit.

XVIII. 74. Tum Catulus: Quo ista maiora ac mirabiliora fecisti, eo me maior exspectatio tenet, quibusnam rationibus quibusve praeceptis ea tanta vis comparetur; non quo mea quidem iam intersit (neque enim aetas id mea desiderat, et aliud quoddam genus dicendi nos secuti sumus, qui nunquam sen-

---

Pericl. 31). Inter eius opera maxime celebrabantur Iovis Olympii simulacrum et Minervæ in Parthenone statua, quam testibus Hieronymo in Chron. et Syncello Ol. LXXXV. 2 (439) fecit. Hoc signum cubitorum viginti sex, ebore et auro factum, recto statu erat, cum tunica talari; in pectore Medusæ caput; manu hastam tenebat; ad pedes scutum iacebat et prope hastam serpens (Plin. H. N. XXXVI. 4. 4, Pausan I. 24. 7.). Singula sic describit Plinius l. c.: *In scuto Amazonum proelium cælavit intumescente ambitu parmæ; eiusdem concava parte Deorum et Gigantum dimicationem; in soleis vero Lapitharum et Centaurorum; adeo momenta omnia capacia artis illi fuere. In basi autem quod cælatum est, Pandoras genesin appellavit; ibi Dii sunt XX numero nascentes, Victoria præcipue mirabili. Periti mirantur et serpentem ac sub ipsa cuspide æream sphingem.* Cfr. Heyne Antiq. Aufsätze I p. 189 sqq., Winkelm. Werke VI. 1 p. 35 sqq., Böttiger Andeut. p. 86-90, Quatremère de Quincy Iupiter Olympien p. 221-243, Meyer Gesch. d. bild. Künste I p. 59 sqq., II. p. 51 sqq., Sillig catalog. artific. p. 332 sqq., C. Odofredi Muelleri de Phidiæ vita et operibus commentationes tres, Gotting. 1827. 4.

§. 73. *quemadmodum, ut in clypeo idem*] Sic legendum esse coniecit Ern., prob. Wyttenb. Bibl. Crit. Vol. I. 1 p. 19, II. 1 præf. p. VIII. et III. 4 p. 3, et sic ediderunt Sch., Harl., Mueller, Olsh., quos secutus sum. — Pearc. leg. censuit: *quemadmodum in clypeo, ut idem ille artifex.* — Vulgatam lectionem *quemadmodum in clypeo idem*, quam omnes codd. exhibent (in Havn. A recent. manu suprascriptum est *tamquam*), defendit Orellius, cuius hæc sunt verba: "Mira, sed latina est hæc βραχυλογία, quæ torsit etiam Spaldingium Quintil. T. I Præf. pag. LXXXII. quamque sic explicare licet: is non sane, quemadmodum minora illa opera facere discat, laborabit; quemadmodum neque in clypeo Minervæ idem ille artifex, quemadmodum minora illa opera faceret, laboravit." — Durissimam hanc et miram βραχυλογίαν Latinam esse, ut verbo affirmat Orellius, ita verbo negamus; neque facile quisquam similis constructionis exemplum afferre potuerit.

tentias de manibus iudicum vi quadam orationis extorsimus ac potius placatis eorum animis tantum, quantum ipsi patiebantur, accepimus); sed tamen ista tua, nullum ad usum meum, tantum cognoscendi studio adductus requiro. 75. Nec mihi opus est Graeco aliquo doctore, qui mihi pervulgata praecepta decantet, quum ipse nunquam forum, nunquam ullum iudicium adspexerit. Ut peripateticus ille dicitur Phormio; quum Hannibal Carthagine expulsus Ephesum ad Antiochum venisset exsul proque eo, quod eius nomen erat magna apud omnes gloria, invitatus esset ab hospitibus suis, ut eum, quem dixi, si vellet, audiret, quumque se non nolle dixisset: locutus esse dicitur homo copiosus aliquot horas de imperatoris officio et de omni re militari. Tum, quum ceteri, qui illum audierant, vehementer essent delectati, quaerebant ab Hannibale, quidnam ipse de illo philosopho iudicaret. Hic Poenus non optime Graece, sed tamen libere respondisse fertur, multos se deliros senes saepe vidisse, sed, qui magis quam Phor-

---

Cap. XVIII. §. 75. *Ut peripateticus ille dicitur Phormio*] Cfr. Stobaei Florileg. Tit. 54 (52) Vol. II p. 349 Gaisf. Lips.: *Ἀννίβαλ, ἀκούσας Στωϊκοῦ τινος ἐπιχειροῦντος, ὅτι ὁ σοφὸς μόνος στρατηγικός ἐστιν, ἐγέλασε, νομίζων ἀδύνατον εἶναι, ἐκτὸς τῆς δι' ἔργων ἐμπειρίας τὴν ἐν τούτοις ἐπιστήμην σχεῖν.* Hannibal a Romanorum legatis apud Carthaginiensium senatum accusatus, quod cum Antiocho rege consilia belli faciendi iniret, a. U. 559 (195) relicta patria Ephesi Antiochum convenit (Liv. XXXIII. 47, 49.).

quumque se non nolle] Sic omnes codd., edd. antiquiss., Lamb. et vulgo post Grut. — *quumque is se non n.* Ald., Iunt., Crat., Man., Mueller, Or.

Hic Poenus] Sic omnes codd. — *hic* om. Ern., Sch., Harl. — *his Poenus* coni. Muellerus. — Hannibal cum Romanis ab a. U. 536 (218) usque ad a. 553 (201) de *imperio*, h. e. Romanine an Carthaginienses imperarent, dimicaverat; cfr. Cic. I Off. 12. 38, Liv. XXII. 58, ubi Hannibal post pugnam Cannensem captivos Romanos sic alloquitur: *Non internecinum sibi esse cum Romanis bellum; de dignitate atque imperio certare.*

mio deliraret, vidisse neminem. Neque meherculo iniuria. 76. Quid enim aut arrogantius aut loquacius fieri potuit, quam Hannibali, qui tot annos de imperio cum populo Romano omnium gentium victore certasset, Graecum hominem, qui nunquam hostem, nunquam castra vidisset, nunquam denique minimam partem ullius publici muneris attigisset, praecepta de re militari dare? Hoc mihi facere omnes isti, qui de arte dicendi praecipiunt, videntur; quod enim ipsi experti non sunt, id docent ceteros. Sed hoc minus fortasse errant, quod non te, ut Hannibalem, sed pueros aut adolescentulos docere conantur.

XIX. 77. Erras, Catule, inquit Antonius; nam egomet in multos iam Phormiones incidi. Quis est enim istorum Graecorum, qui quemquam nostrum quidquam intelligere arbitretur? Ac mihi quidem non ita molesti sunt; facile omnes perpetior et perfero. Nam aut aliquid afferunt, quod mihi non displiceat, aut efficiunt, ut me non didicisse minus poeniteat. Dimitto autem eos non tam contumeliose, quam philosophum illum Hannibal, et eo fortasse plus habeo etiam negotii; sed tamen est eorum doctrina, quantum ego iudicare possum, perridicula. 78. Dividunt enim totam rem in duas partes, in causae controversiam et in quaestionis. Causam appellant rem positam in disceptatione reorum et contro-

---

§. 76. *ut Hannibalem*] Sic plerique codd. (etiam Havn. A et Havn. B a sec. manu) et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *ut ille Hannibalem* δ, Z recent. manu, Pearc., Sch., Or.; hic tamen voc. *ille* uncis inclusit. — *aut Hanibalem*, quod e coni. posuit Muellerus, exstat in Havn. B a pr. manu.

Cap. XIX. §. 77. *Quis est enim*] Sic Lamb. et Mueller. — Vulgo: *quis enim est*. — *enim* om. Havn. B.

§. 78. *in disceptatione reorum*] Sic Havn. B, Erl. 1, Sch., Mueller, Or. Cfr. infr. 43. 183: *Reos appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur. Sic enim olim loquebantur*; et c. 79. 321: *Reos appello, quorum re*

versia; quaestionem autem rem positam in infinita dubitatione. De causa praecepta dant; de altera parte dicendi mirum silentium est. 79. Denique quinque faciunt quasi membra eloquentiae, invenire quid dicas, inventa disponere, deinde ornare verbis, post memoriae mandare, tum ad extremum agere ac pronuntiare; rem sane non reconditam. Quis enim hoc non sua sponte viderit, neminem posse dicere, nisi, et quid diceret et quibus verbis et quo ordine diceret, haberet, et ea meminisset? Atque haec ego non reprehendo, sed ante oculos posita esse dico, ut eas item quattuor, quinque sexve partes, vel etiam septem (quoniam aliter ab aliis digeruntur), in quas est ab his omnis oratio distributa. 80. Iubent enim exordiri ita, ut eum, qui audiat, benevolum nobis faciamus et docilem et attentum; deinde rem narrare ita, ut veri similis narratio sit, ut aperta, ut brevis; post autem dividere causam aut proponere; nostra confirmare argumentis ac rationibus; deinde contraria refutare. Tum autem alii conclusionem orationis et quasi perorationem collocant; alii iubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa degredi, deinde concludere ac perorare. 81. Ne haec quidem reprehendo. Sunt enim concinne distributa; sed ta-

est. — *in disceptatione rerum* codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss. — *in disceptatione finita rerum controversarum* Lambin. — *in discept. personarum* coni. Ern., cui suspectum erat *et controversia.* — Heusingero leg. videbatur: *in discept. personarum et temporum controversia.*

§. 79. *Denique quinque*] *Deinde quinque* Havn. uterq., Guelf. A, B, Ald., Iunt., Crat., Victor., quod *εὐφωνίας* causa Schuetzio placet. De quinque *eloquentiæ* partibus vide ad I. 31. 142. — De *orationis* partibus ibid. §. 143, ubi sex partes commemorantur; alii septimam addunt degressionem; qui quattuor faciunt partes, exordium, narrationem, confirmationem, perorationem ponunt (Partt. oratt. 8. 27), quibus quinta addi potest aut divisio aut confutatio. Sine causa hic interpretes hæserunt.

men, id quod necesse fuit hominibus expertibus veritatis, non perite. Quae enim praecepta principiorum et narrationum esse voluerunt, ea in totis orationibus sunt conservanda. 82. Nam ego mihi benevolum iudicem facilius facere possum in cursu orationis, quam quum omnia sunt inaudita; docilem autem, non quum polliceor me demonstraturum, sed tum, quum doceo et explano; attentum vero, crebro tota actione excitandis mentibus iudicum, non prima denuntiatione, efficere possumus. 83. Iam vero narrationem quod iubent veri similem esse et apertam et brevem, recte nos admonent; quod haec narrationis magis putant esse propria quam totius orationis, valde mihi videntur errare. Omninoque in hoc omnis est error, quod existimant, artificium esse hoc quoddam non dissimile ceterorum, cuiusmodi de ipso iure civili hesterno die Crassus componi posse dicebat; ut genera rerum primum exponerentur, in quo vitium est, si genus ullum praetermittatur; deinde singulorum generum partes, in quo et deesse aliquam partem et superare mendosum est; tum verborum omnium definitiones, in quibus neque abesse quidquam decet neque redundare.

XX. 84. Sed hoc si in iure civili, si etiam in parvis aut mediocribus rebus doctiores assequi possunt: non idem sentio tanta hac in re tamque immensa posse fieri. Sin autem qui arbitrantur, deducendi sunt ad eos, qui haec docent; omnia iam explicata et perpolita assequentur; sunt enim innu-

§. 83. *hesterno die Crassus*] Vide I. 42. 190.

Cap. XX. §. 84. *assequentur*] Hoc verbum parum aptum esse h. l. viderunt interpp. Schaeferus coni. *apiscentur*, Schuetz. *nanciscentur*, quorum neutrum placet. — *sequentur* Guelf. A.

merabiles de his rebus libri, neque abditi neque obscuri. Sed videant, quid velint, ad ludendumne an ad pugnandum arma sint sumpturi. Aliud enim pugna et acies, aliud ludus campusque noster desiderat. Attamen ars ipsa ludicra armorum et gladiatori et militi prodest aliquid; sed animus acer et praesens et acutus idem atque versutus invictos viros efficit, non difficilius arte coniuncta.

85. Quare ego tibi oratorem sic iam instituam, si potuero, ut, quid efficere possit, ante perspiciam. Sit enim mihi tinctus literis; audierit aliquid, legerit, ista ipsa praecepta acceperit: tentabo, quid deceat, quid voce, quid viribus, quid spiritu, quid lingua efficere possit. Si intelligam posse ad summos pervenire, non solum hortabor, ut elaboret, sed etiam, si vir quoque mihi bonus videbitur, obsecrabo. Tantum ego in excellente oratore et eodem viro bono pono esse ornamenti universae civitati. Sin videbitur, quum omnia summa fecerit, tamen ad mediocres

---

campusque noster] Intelligitur Campus Martius, qui proprio nomine *campus* dicitur, ubi iuventus Romana se exercebat arte gymnastica, disco, hastis, pila, cursu, armis, equo et transnando Tiberim; v. Beier ad I Off. 29. 104 p. 227; cfr. II Orat. 62. 253, 71. 287. Erat inter urbem et Tiberim atque antea fuerat ager Tarquiniorum, quibus eiectis, Marti consecratus Martius campus appellatus est (Liv. II. 5.).

§. 85. *si potuero*] Sic plerique codd. (etiam Havn. A) et vulgo inde ab Ald. usque ad Ern.; restituerunt Mueller, Olsh., Or. — *si potero* Havn. B, edd. antiquiss., Steph., Lamb., Ern. (qui etiam aliis locis ita correxit), Sch. et Harl.; sed vid. Zumpt Gr. §. 510 sq., Ramshorn p. 402, Beier ad III Off. 23, 89 p. 351, Ellendt ad Brut. 5. 21 p. 23, impr. vero Matth. de usu futuri exacti Latinorum progr. in Seebodii Archiv. 1825 p. 20-26, repetit. in altera edit. oratt. Cic. p. 238 sqq.

tinctus literis] H. e. litteris nonnihil imbutus, litterarum communium non expers, ut dixit 17. 72. Sic Brut. 58. 211 Lælia, Lælii Sapientis filia, *patris elegantia tincta* dicitur; cfr. ibi Ellendt.

omnia summa fecerit] Sic plerique codd. (etiam Havn.

oratores esse venturus: permittam ipsi, quid velit; molestus magno opere non ero. Sin plane abhorrebit et erit absurdus, ut se contineat aut ad aliud studium transferat, admonebo. 86. Nam neque is, qui optime potest, deserendus ullo modo est a cohortatione nostra, neque is, qui aliquid potest, deterrendus; quod alterum divinitatis mihi cuiusdam videtur, alterum, vel non facere, quod non optime possis, vel facere, quod non pessime facias, humanitatis; tertium vero illud, clamare contra quam deceat et quam possit, hominis est, ut tu, Catule, de quodam declamatore dixisti, stultitiae suae quam plurimos testes domestico praeconio colligentis. 87. De hoc igitur, qui erit talis, ut cohortandus adiuvandusque sit, ita loquamur, ut ei tradamus ea dumtaxat, quae nos usus docuit, ut nobis ducibus veniat eo, quo sine duce ipsi pervenimus, quoniam meliora docere non possumus.

XXI. 88. Atque ut a familiari nostro exordiar, hunc ego, Catule, Sulpicium primum in causa parvula adolescentulum audivi, voce et forma et motu corporis et reliquis rebus aptis ad hoc munus, de quo

---

uterq.) et vulgo edd. — Ern., qui in clavi Cic. *omnia summa* explicat *quantum possit*, comparat Cic. Att. XV. 13: *Dolabella ad me scripsit — sese de attributione omnia summa fecisse.* — *Omnia summe fecerit* Harl. uterq., Cant., Z, ε, Guelf. A, Pearc., Lallem.

§. 86. *et quam possit*] Sic omnes fere codd. et vulg. edd. — *et quam possis* Havn. B a sec. manu; ed. Lips. Thanneri, Ern.

Cap. XXI. §. 88. *Sulpicium primum*] *Sulpicium quum primum* Lamb., quem sequitur Sch. — Etiam Pearc. Lambino assentitur in ed. prima, sed in ed. tert. sqq. vulgatam lectionem tuetur. Ernestius, qui verba *primum — audivi* parenthesi includit, si quid tentandum, malit: *Sulpicium ut primum.* Alii aliter hunc locum interpungunt. De Sulpicii indole et dicendi genere cfr. Brut. 55. 203.

aptis] Sic Havn. A, Z, α, β, γ, δ, Ald., Iunt., Crat., Victor., Lamb., Or. — *aptum* Havn. B, ε, al., edd. antiquiss.,

quaerimus, oratione autem celeri et concitata, quod erat ingenii, et verbis effervescentibus et paullo nimium redundantibus, quod erat aetatis. Non sum aspernatus; volo enim se efferat in adolescente fecunditas. Nam sicut facilius in vitibus revocantur ea, quae sese nimium profuderunt, quam, si nihil valet materies, nova sarmenta cultura excitantur, ita volo esse in adolescente, unde aliquid amputem. Non enim potest in eo succus esse diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem assecutum. 89. Vidi statim indolem neque dimisi tempus et eum sum cohortatus, ut forum sibi ludum putaret esse ad dicendum, magistrum autem, quem vellet, eligeret, me quidem si audiret, L. Crassum. Quod iste arripuit et ita sese facturum confirmavit, atque etiam addidit, gratiae scilicet causa, me quoque sibi magistrum futurum. Vix annus intercesserat ab hoc sermone cohortationis meae, quum iste accusavit C. Norbanum, defendente me. Non est credibile, quid interesse mihi sit visum inter eum, qui tum erat, et qui anno ante fuerat. Omnino in illud genus eum Crassi magnificum atque praeclarum natura ipsa ducebat; sed ea non satis proficere potuisset, nisi eodém studio atque imi-

---

Man. (quem e coni. sic edidisse putat Or.), Grut., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

sicut facilius] Sic Guelf. A, Sch., Mueller, Olsh. — *facilius sicut* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd.

§. 89. *ad dicendum*] Ita Havn. uterq., Oxx. quinque, Guelf. A, B, C, Erl. 1, edd. antiquiss., Ern., Harl., Mueller, Olsh. — *ad discendum* vulgo inde ab Aldo usque ad Ern.; restituerunt Sch. et Or.

accusavit C. Norbanum] Norbanus quæstor Antonii fuerat, vid. II. 47. 197, 48. 198; cfr. Ellendt prolegg. LXIII sqq. Sulpicius eum accusavit a. U. 660 (94). De causa Norbani, quæ sæpe in hoc libro commemoratur (c. 25, 28, 40, 45, 47–50), vide ad 47. 197.

tatione intendisset atque ita dicere consuesset, ut tota mente Crassum atque omni animo intueretur.

XXII. 90. Ergo hoc sit primum in praeceptis meis, ut demonstremus, quem imitetur, atque ita, ut, quae maxime excellant in eo, quem imitabitur, ea diligentissime persequatur. Tum accedat exercitatio, qua illum, quem ante delegerit, imitando effingat atque ita exprimat, non ut multos imitatores saepe cognovi, qui aut ea, quae facilia sunt, aut etiam illa, quae insignia ac paene vitiosa, consectantur imitando. 91. Nihil est facilius, quam amictum imitari alicuius aut statum aut motum. Si vero etiam vitiosi aliquid est, id sumere et in eo † vitiosum esse, non magnum est; ut ille, qui nunc etiam amissa voce furit in re publica, Fufius, nervos in dicendo C.

---

intendisset] Sic duo Lamb. codd., Med. 2, marg. Crat., Asceus., Man., Lamb. et vulgo post Ern. — *incidisset* plerique codd., Waldarf., Ald., Iunt., Grut. — *incepisset* cod. Lamb., ed. s. l. et a., Med. 1, Ven. — *incubuisset* Lips. Thanneri, Lotti, et sic coni. Lambinus.

Cap. XXII. § 90. *atque ita ut — persequatur*] Hæc verba interpolata atque e §. 92 huc transscripta putant Sch. et Matth. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 681. — Pro *excellant* Schuetzius e Guelf. A edidit *excellent*, quemadmodum vulgo legitur §. 92; ibi tamen Havn. B *excellant*. — "Orationem autem ita instituit Cicero, ut post *non ut multos imitatores sæpe cognovi* pergere voluisse videatur: *sed ut, quem probavit, in eo — persequatur*. Post priorem partem subiungit ea, quibus probet, quæ dixit; tum ab hac degressione redit §. 92 verbis: *qui autem ita faciet* etc." Matth. l. c.

§. 91. *vitiosi aliquid est*] Sic Man., Lamb., Or., et sic edere voluit Muellerus; sed in ipso textu legitur *vitiosum*. — *insigne aliquid est* Sch. e coni. — *vitiose aliquid est* vulgo codd. et edd. — Statim *in eo vitiosum esse* corrupte omnes codd. et vulgo edd. — *in eo vitio esse* Mueller e coni.; idem in Seebodii Misc. Crit. II. p. 509 coni. *in eo vitio totum esse*.

Fufius] Sic Pall. plerique, Pearc. et recentt. post Sch. — Vulgo *Fusius*; sed vide Quintil. I, 4. 13 coll. c. Liv. III. 4, Macrob. Saturn. III. 2. (Etiam III. 13. 50 pro vulgato *Fusius* Pal. quart., sext., oct., non. et Mead. exhibent *Fufius*, et sic ibi ediderunt Lamb., Pearc. et recentt. post Sch.).

Fimbriae, quos tamen habuit ille, non assequitur, oris pravitatem et verborum latitudinem imitatur. Sed tamen ille nec deligere scivit, cuius potissimum similis esset, et in eo ipso, quem delegerat, imitari etiam vitia voluit. 92. Qui autem ita faciet, ut oportet, primum vigilet necesse est in deligendo, deinde, quem probavit, in eo, quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur. Quid enim causae censetis esse, cur aetates extulerint singulae singula prope genera dicendi? quod non tam facile in nostris oratoribus possumus iudicare, quia scripta, ex quibus iudicium fieri posset, non multa sane reliquerunt, quam in Graecis, ex quorum scriptis, cuiusque aetatis quae dicendi ratio voluntasque fuerit, intelligi potest. 93. Antiquissimi fere sunt, quorum quidem scripta constent, Pericles atque Alcibiades et eadem aetate

---

Furius Lamb. et Ern., ut lusus verborum *Furius furit* efficiatur. — De *Fufio* cfr. ad I. 39. 179.

C. Fimbriæ] *C. Flavius Fimbria* cos. a. U. 650 (104) cum C. Mario II. — Cic. Brut. 34. 129: *C. Fimbria — habitus est sane, ut ita dicam, truculentus, asper, maledicus, genere toto paullo fervidior atque commotior; diligentia tamen et virtute animi atque vita bonus auctor in senatu. Idem tolerabilis patronus nec rudis in iure civili et quum virtute tum etiam ipso orationis genere liber.* Cfr. III. Off. 19. 77. — *Verborum latitudo* i. q. *verborum rusticitas*, Quintil. XI. 3. 10, vasta et rustica verborum pronuntiatio, *πλατειασμός*. Cfr. III. 11. 42, 12. 45 et 46. Sic etiam Brut. 74. 259 *dilatare litteras*, Gr. *πλατειάζειν*.

§. 93. *constent, Pericles atque Alcibiades*] *Constant* Steph. — *exstent* Lamb. — "Scripta *constant*, quæ nonnullorum aut omnium iudicio auctoribus quibusdam vindicantur," Ellendt ad Brut. 14. 57; cfr. Ern. ad h. l. — De *Pericle* cfr. ad I. 50. 216. Etiam in Bruto 7. 27 *Periclis quædam scripta ferri* ait Cicero; sed Quintil. III. 1. 12 hæc Ciceronis verba respiciens, *equidem*, inquit, *non reperio quidquam tanta eloquentiæ fama dignum, ideoque minus miror esse, qui nihil ab eo scriptum putent, hæc autem, quæ feruntur, ab aliis esse composita;* cfr. eund. XII. 2. 22, 10. 49. De hac quæstione vide Fabr. Bibl. Gr. II. p. 746 sq. Harl. atque impr. Ruhnkenium in hist. crit. oratt. Gr. præmissa ed. Rutilii Lupi p. XXXIX, qua dissertatione singula, quæ hoc

Thucydides, subtiles, acuti, breves, sententiis magis quam verbis abundantes. Non potuisset accidere, ut unum esset omnium genus, nisi aliquem sibi proponerent ad imitandum. Consecuti sunt hos Critias, Theramenes, Lysias. Multa Lysiae scripta sunt, nonnulla Critiae, de Theramene audimus. Omnes etiam

---

et sq. capite de oratoribus Græcis dicuntur, illustrantur. — *Alcibiades*, Cliniæ F., cuius clarum in bello Peloponnesiaco nomen celebrataque eloquentia est, nulla hodie scripta exstant; scriptas orationes eum non reliquisse, ex his Demosthenis verbis or. adv. Midiam c. 40 λέγειν ἐδόκει πάντων, ὥς φασιν, εἶναι δεινότατος concludi posse putat Ruhnk. l. c., quum ὥς φασιν additurus non fuisset Demosthenes, si de eius in dicendo facultate e scriptis orationibus existimare potuisset. Sed recte Buttmannus ad l. c. or. Midian. hoc verbis ὥς φασιν significari negat; ad vulgus enim loqui Demosthenem, quod famæ confidat, scripta non curet. — De *Thucydide* vide ad II. 13. 56. Eum h. l. inter oratores refert Cicero propter orationes historiæ intextas; cfr. Ruhnk. l. c.

Critias, Theramenes, Lysias] *Critias*, Socratis discipulus, postea Sophistarum studiosus, triginta tyrannorum princeps idemque crudelissimus, in proelio adversus Thrasybulum cecidit Ol. XCIV. 1 (404). Non solum orationes, quas commemorant Dionysius Halic. (de Lysia iud. c. 2 cfr. de Isæo 20), Phrynichus (ap. Phot. cod. 158), alii, sed etiam tragoedias, elegos aliaque scripsit; doctum et eloquentem eum fuisse dicit Cic. III. Orat. 34. 139; cfr. Brut. 7. 29. Critiæ tyranni fragmenta edidit Nic. Bachius, Lips. 1827. — *Theramenes*, Socratis discipulus (Diodor. XIV. 5), extremis belli Peloponnesiaci annis strenuus Atheniensium dux, idem triginta tyrannorum iustissimus, Ol. XCIV. 1 (404) a Critia, cuius crudelitati resistebat, damnatus atque in carcere veneno necatus est (Xenoph. Hellen. impr. II. 3. 11 sqq., Diodor. Sic. libb. XIII et XIV, cfr. I. Tusc. 40. 96 sq.). De Theramenis, Critiæ et Thrasybuli rebus et ingenio scripsit Edv. Ph. Hinrichs, Hamb. 1820. 4. De eius eloquentia cfr. III. 16. 59, Brut. 7. 29. H. l. Cicero nihil ab eo scriptum exstare affirmat. Itaque Theramenis declamationes aliaque rhetorica, quæ commemorat Suidas h. v., aut supposita aut alii eiusdem nominis scriptori tribuenda videntur; cfr. Ruhnk. l. c. p. XL sq. — De *Lysia* vide ad I. 54. 231.

de Theramene audimus] Sic Havn. uterq., Guelf. A, et sic recte ediderunt Sch., Harl., Mueller, Or. — Vulgo codd. et edd. *de Th. audivimus*, quod retinuit Olsh. — Præsens usurpatur de re fama et sermone scriptisve celebrata, perfectum autem, ut par est, de eo, quod aliquando auditum est. Itaque recte retinetur præsens I. 60. 255 (ubi Guelf. C. et edd. antiquiss. *audivimus)*, Brut. 84. 290 (ubi tamen Orell. alie-

tum retinebant illum Pericli succum, sed erant paullo uberiore filo. 94. Ecce tibi exortus est Isocrates, magister istorum omnium, cuius e ludo, tamquam ex equo Troiano, meri principes exierunt; sed eorum partim in pompa, partim in acie illustres esse voluerunt.

XXIII. Itaque et illi, Theopompi, Ephori, Philisci, Naucratae multique alii, naturis differunt, vo-

---

nissima comparat), I. Off. 6. 19, ubi vide intt. Eodem modo Græci; Plato Gorg. p. 503 C (citat. a Matth. Gr. Gr. II. p. 956): Θεμιστοκλέα οὐκ ἀκούεις ἄνδρα ἀγαθὸν γεγονότα, καὶ Κίμωνα καὶ Μιλτιάδην καὶ Περικλέα τουτονὶ τὸν νεωστὶ τετελευτηκότα, οὗ καὶ σὺ ἀκήκοας.

Pericli] Sic Havn. A, Erl. 1, Pall. fere omnes, duo Gallicani, codd. Rivii ap. Grut., Lamb., Grut. et recentt. Vulgo olim *Periclis*. Etiam infra c. 23. 95 *Demostheni* Pith. (teste Grut. ad I. 19), Z, δ a pr. manu, Cockm. et recentt. inde ab Ern.' — vulgo *Demosthenis*. Cfr. quæ attulimus ad I. 19. 88.

§. 94. *Isocrates, magister istorum omnium*], De Isocrate vide ad II. 3. 10. — Verba *magister. istor. omn.* e margine in textum venisse putant Lamb., Ern., Ruhnk. l. c. p. LXI; delevit Schuetz. Exstant tamen non solum in omnibus codd., sed etiam ap. Non., qui hunc locum affert IV. 295 p. 679 Gothofr.

meri principes] Sic Non. l. c. (voc. *merum*), marg. Pal. quarti, et sic præeunte Victorio VV. LL. XVIII. 5 ediderunt Lamb. et post Gruterum plerique; cfr. etiam Lagomarsinum ad Gratiani epp. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 410. — *innumeri principes* plerique codd., edd. antiquiores, Mueller, Olsh., prob. Ellendt. ad Brut. 8. 32 p. 29.

Cap. XXIII. *Theopompi, Ephori*] De *Theopompo* et *Ephoro* vide ad II. 13. 57. De plurali numero cfr. ad I. 48. 210. Hoc tamen loco singularis numerus *Theopompus, Ephorus, Philiscus, Naucrates* aptior videtur, quem exhibent Ald., Iunt., Crat., Victor., Man. et Lamb. (*Naucrates* etiam Havn. B), quum non de hominum genere, sed de singulis hominibus exempli loco positis sermonem esse vel illud ostendat, quod sequitur *multique alii*.

Philisci] Sic legendum esse, non, quemadmodum in omnibus codd. et edd. exstat, *Philisti*, bene docuit Goeller in libro de situ et orig. Syracus. p. 110 sqq., qui eandem nominum confusionem multis locis a librariis factam esse monuit. Librariorum hoc vitium esse, non Ciceronis, e cap. 13. 57 perspicitur, ubi, postquam Philistum, *Thucydidis imitatorem*, commemoravit, pergit: *Postea vero — Theopompus et Ephorus, ab Isocrate magistro impulsi* etc. Isocratis au-

lunitate autem similes sunt et inter sese et magistri; et ii, qui se ad causas contulerunt, ut Demosthenes,

tem genus a Thucydideo genere maxime diversum fuisse satis constat; cfr. Cic Brut. c. 7 et 8. — *Philiscus* Milesius, Isocratis discipulus (Anonymi vita Isocr.) et Timæi historici magister (Suid. vocc. *Φιλίσκος Μιλ.* et *Τίμαιος*), scripsit artem rhetoricam, *Δημηγορίας* et Lycurgi vitam ab Olympiodoro in comm. ad Platonis Gorgiam laudatam, alia; cfr. Ruhnk. l. c. p. LXXXIII, Goeller l. c. p. 114 sqq. — *Naucrates* Erythræus, *Ἰσοκράτους ἑταῖρος* a Dionys. Halic. Rhetor. VI. 1 dictus, imprimis orationes funebres composuit (Dionys. l. c.); idem de arte rhetorica scripsisse videtur; cfr. III. 44. 173, Orat. 51. 172, Quintil. III. 6. 3. In certamine de Mausoli laudibus ab Artemisia instituto a Theopompo victus est, Gell. X. 18. Cfr. Taylor Lectt. Lysiac. c. 5 p. 232 sqq. Reisk. et Ruhnk. l. c. p. LXXXIV.

Demosthenes etc.] De *Demosthene* et *Hyperide* vide ad I. 13. 58. — *Lycurgus* Atheniensis, Platonis et Isocratis discipulus, multa civitatis munera summa cum integritate sapientiaque obiit (cfr. F. A. Wolf prolegg. ad Demosth. Leptin. p. LX sq. not., Boeckh Staatshaush. I. p. 468), et simul cum Demosthene Macedonum opibus fortiter restitit; civibus suis tam gratus acceptusque, ut expostulanti Alexandro eum tradere recusarent. Obiit ante Demosthenem atque publice elatus est. Imprimis accusationem factitavit atque summa cum acerbitate malos cives persecutus est (Cic. Brut. 34. 130, Diodor. Sic. XVI. 88). Testibus Pseudo — Plutarcho (X oratt. vitt. 7) et Photio (cod. 268), qui de eius vita scripserunt, olim ferebantur 15 Lycurgi orationes, ex quibus sola illa in Leocratem hodie exstat. — *Æschines* Atheniensis, obscuro loco natus Ol. XCVI. 4 (393), naturæ maxime oratoriam præstantiam debuit. A Philippo, cui initio adversatus erat, corruptus omnibus Demosthenis consiliis, quibus ille Philippi opes labefactare studebat, summa vi obstitit, sed in causa Ctesiphontis oratione pro corona a Demosthene victus (cfr. ad III Orat. 56. 213) relictis Athenis Ephesum migravit. Inde post Alexandri mortem Rhodum venit ibique scholam rhetoricam aperuit et Rhodium dictionis genus condidisse fertur (Pseudo — Plutarch. X oratt. vitt. 6 et Photius cod. 61 et 264, Quintil. XII. 10. 18 sq. ibiq. intt.). Denique Samum concessit ibique Ol. CXV. 4 (317) mortuus est. Exstant tres Æschinis orationes, eædem, quæ solæ olim genuinæ habitæ atque ob venustatem a nonnullis *Χάριτες* appellatæ sunt. De eius vita et scriptis vid. Pseudo — Plutarch. et Phot. ll. cc., Passow in Erschii et Gruberi encyclop. II. p. 73 sqq. — *Dinarchus* Corinthius, natus Ol. CIV. 4 = 361 (ut coniicit Dionys. Halicarn. de Dinarch. cap. 4), prima ætate Athenas venit ibique Theophrastum audivit et cum Demetrio Phalereo multum versatus est. Post Demosthenis demum et Hyperidis mortem orator inclaruit atque orationibus magnam

Hyperides, Lycurgus, Aeschines, Dinarchus aliique complures, etsi inter se pares non fuerunt, tamen sunt omnes in eodem veritatis imitandae genere versati. Quorum quamdiu mansit imitatio, tamdiu genus illud dicendi studiumque vixit; 95. posteaquam, exstinctis his, omnis eorum memoria sensim obscurata est et evanuit, alia quaedam dicendi molliora ac remissiora genera viguerunt. Inde Demochares, quem aiunt sororis filium fuisse Demostheni, tum Phalereus ille Demetrius, omnium istorum mea sententia

---

sibi opes comparavit; sed Ol. CXVIII. 1 (308), quum Demetrius, Antigoni fil., Athenas occupasset, in exsilium pulsus, quod Cassandri studiosus fuisset, Chalcida concessit, unde post quindecim annos, aduitente maxime Theophrasto, Athenas reversus ibique mortuus est. Dinarchi orationes olim ferebantur CIX, ex quibus LXIV ab antiquis criticis veræ eius esse iudicatæ sunt (Dionys. Halic. de Dinarcho, Pseudo—Plutarch. X oratt. vitt. 10, Phot. cod. 267). Hodie tres tantum eius orationes exstant.

veritatis imitandæ] Sic plerique codd. et edd. *Veritas* h. l., ut sæpe, significat veras causas, quo eodem sensu Græci usurpant ἀλήθειαν et ἀληθινόν. Cfr. Wyttenb. in Bibl. crit. I. p. 24 aliosque, quos laudat Ellendt ad Brut. 63. 226 p. 163 sq. — *Imitari* interprete Orellio est μιμεῖσθαι, exprimere. Utrumque tamen voc. displicuit multis VV. DD.; itaque Pearc. ex *y* et *δ* a recent. manu, quibuscum consentiunt Ven. et Lips. Thanneri, edidit *virtutis imitandæ*. — Ruhnken. Hist. crit. p. LXI coni. *veritatis tutandæ*, Muellerus *severitatis imitandæ*, Sch. delevit *imitandæ*; alii aliter correxerunt.

§. 95. *Demochares*] Leuconoënsis, Demosthenis sororis filius, domi militiæque de patria bene meruit, ita ut statua ei in Prytaneo poneretur (Pseudo — Plutarch. X oratt. vitt. 8; cfr. Polyb. XII. 13. 5 sq.). Cic. Brut. 83. 286: *Et orationes scripsit aliquot et earum rerum historiam, quæ erant Athenis ipsius ætate gestæ, non tam historico quam oratorio genere perscripsit*. Historiarum fragmenta exstant apud Polyb. XII. 13. 9 sqq. et apud Athenæum VI. p. 252 F, p. 253 B. Commemoratur etiam eius apologia pro Sophocle quodam, qui decreto omnes philosophos Attica exegerat, vid. Athen. XIII. p. 610 F, Aristocles ap. Euseb. P. E. XV. 2 p. 791. Cfr. Ruhnken. ad Rutil. Lup. I. p. 7 sq.

Demetrius Phalereus] Theophrasti discipulus, doctrina, eloquentia et reipublicæ gerendæ scientia clarus, Ol. CXV. 3 (318) a Cassandro Athenis præfectus, civitati magna cum laude præfuit atque vectigalibus augendis (Diog. Laert. V.

politissimus, aliique eorum similes exstiterunt. Quae si volemus usque ad hoc tempus persequi, intelligemus, ut hodie Alabandensem illum Meneclem et eius fratrem Hieroclem, quos ego audivi, tota imitetur Asia, sic semper fuisse aliquem, cuius se similes plerique esse vellent. 96. Hanc igitur similitudinem qui imitatione assequi volet, tum exercitationibus crebris atque magnis tum scribendo maxime persequatur. Quod si hic noster Sulpicius faceret, multo eius oratio esset pressior, in qua nunc interdum, ut in herbis rustici solent dicere, in summa ubertate inest luxuries quaedam, quae stilo depascenda est.

---

75) aliisque bene instituendis Atheniensium rempublicam exsanguem iam et iacentem sustentavit (Cic. de repl. II. 1). Sed tanta fuit Atheniensium levitas, ut, quem 360 statuis honorassent, eundem, postquam Ol. CXVIII. 1 (308) Demetrius, Antigoni fil., urbem expugnavit, capitis damnatum patria pellerent. Demetrius Phalereus Thebas fugit atque inde in Ægyptum ad Ptolemæum, Lagi F., se contulit (Diodor. Sic. XX. 45, Plutarch. Demetr. 9), ubi non solum multa præclara in otio scripsit (Cic. V Fin. 19. 54), sed etiam ad leges instituendas (Ælian. V. H. III. 17) bibliothecamque condendam adhibitus est. Quod vero posteriores nonnulli scriptores bibliothecæ et Musei præfectum fuisse dicunt, id temporum rationi repugnat meritoque a VV. DD. addubitatum est. Ptolemæi Philadelphi odio oppressus, aspide ad corpus admota, vitam finivit (Cic. p. Rabir. Postum. 9. 23). Permulta scripsit, rhetorica, poetica, historica, politica, philosophica (Diog. Laert. V. 80 sq., Suidas s. h. v.), quæ omnia temporis iniuria sustulit; nam librum περὶ ἑρμηνείας Demetrio Phalereo falso tribui constat. De eius eloquentia et doctrina Cic. Brut. 9. 37 sqq., 82. 285, Orat. 27. 92, III Legg. 6. 14, I Off. 1. 3.

Alabandensem — Meneclem] *Menecles* et *Hierocles*, Asiaticorum rhetorum principes, Alabandenses, non Rhodi nati, ut certatim affirmant interpretes; vide Strabon. XIV. 2 p. 661. De eorum eloquentia atque omnino de Asiatico genere cfr. Cic. Brut. 95. 325 sq., Orat. 69. 230 sq. — Statim *imitatur* Havn. B, Z a pr. manu, Lamb., Pearc.

§. 96. *rustici solent dicere*] Heusingero ad III Off. 17 p. 695, cui adsentitur Beier ibid. p. 307 et ad III. 24. 92 p. 356, suspectum fuit voc. *dicere*, sine idonea causa. Ad hunc locum illustrandum Muellerus apte affert Plin. H. N. XVIII. 44. 2: *Inter vitia segetum et luxuria est, quum onerata*

97. Hic Sulpicius, Me quidem, inquit, recte mones, idque mihi gratum est; sed ne te quidem, Antoni, multum scriptitasse arbitror.

Tum ille, Quasi vero, inquit, non ea praecipiam aliis, quae mihi ipsi desint; sed tamen ne tabulas quidem conficere existimor. Verum et in hoc, ex re familiari mea, et in illo, ex eo, quod dico, quantulum id cunque est, quid faciam, iudicari potest. 98. Atque esse tamen multos videmus, qui neminem imitentur et suapte natura, quod velint, sine cuiusquam similitudine recte consequantur; quod et in vobis animadverti recte potest, Caesar et Cotta, quorum alter inusitatum nostris quidem oratoribus leporem quendam et salem, alter acutissimum et subtilissimum dicendi genus est consecutus. Neque vero vester aequalis Curio, patre mea sententia vel elo-

---

fertilitate procumbunt; et c. 45: *Luxuria segetum castigatur dente pecoris in herba duntaxat, et depastæ quidem vel sæpius nullam in spica iniuriam sentiunt.*

§. 97. *ne tabulas quidem etc.*] Cfr. Cic. I Verr. 23. 60: *Audimus, aliquem tabulas numquam confecisse, quæ erat opinio hominum de Antonio falsa; nam fecit diligentissime.* Intelliguntur tabulæ (s. codex) accepti et expensi, quas omnes Romani, qui quidem in suam tutelam venerant (Cic. p. Cælio 7. 17) quique in re familiari diligentes existimari volebant, conficiebant. Solebant Romani cuiusque mensis accepta et expensa primum in *adversaria* (Kladebog) referre, deinde vero diligentius ordineque conservato in tabulas transferre, quæ tabulæ auctoritatem habebant eam, ut etiam in iudicium proferrentur. Cic. Rosc. Com. c. 2; cfr. I Verr. 10. 28, 39. 102, p. Balbo 5. 11, infr. II. 69. 280, 70. 281, Beier ad II Off. 23. 84 p. 159 sq. et excurs. IV ad III Off. p. 432 sq.

§. 98. *inusitatum nostris quidem oratoribus*] Sic edd. antiquiss. — Vulgo codd. et edd. *inusitatum quidem nostris oratt.*

vester æqualis Curio] *C. Scribonius Curio* trib. plebis fuit a. U. 664 (90), Brut. 89. 305; Sullæ legatus bello Mithridatico (Plutarch. Sulla 14); consul a. U. 678 (76) cum Cn. Octavio; procos. de Dardanis triumphavit (cfr. Cic. in Pison. 19. 44). Obiit a. U. 701 (53), Cn. Domitio Calvino, M. Valerio Messala coss. Cic. Fam. II. 2. Eius eloquentiam

quentissimo temporibus illis, quemquam mihi magno opere videtur imitari; qui tamen verborum gravitate et elegantia et copia suam quandam expressit quasi formam figuramque dicendi, quod ego maxime potui iudicare in ea causa, quam ille contra me apud centumviros pro fratribus Cossis dixit, in qua nihil illi defuit, quod non modo copiosus, sed etiam sapiens orator habere deberet.

XXIV. 99. Verum ut aliquando ad causas deducamus illum, quem constituimus, et eas quidem, in quibus plusculum negotii est, iudiciorum atque litium (riserit aliquis fortasse hoc praeceptum; est enim non tam acutum quam necessarium, magisque monitoris non fatui quam eruditi magistri): hoc ei primum praecipiemus, quascunque causas erit acturus, ut eas diligenter penitusque cognoscat. 100. Hoc in ludo non praecipitur; faciles enim causae ad pueros deferuntur. Lex peregrinum vetat in murum ascendere; ascendit; hostes repulit; accusatur. Nihil est negotii huiusmodi causam cognoscere. Recte igitur nihil de causa discenda praecipiunt. Haec est enim in ludo

---

h. l. Antonii ore laudat Cicero; in Bruto autem c. 58 sqq. splendidioribus eum verbis usum et latine satis bene locutum esse, ceterum in omni genere honestarum artium indoctissimum, tardum in cogitando, dissipatum in instruendo, actione ridicula, memoria nulla fuisse dicit; cfr. Orat. 37. 129, Ellendt prolegg. p. XCVIII sqq. De *fratrum Cossorum* causa apud centumviros (vide ad I. 38. 173) acta non constat. — Curionis pater *C. Scribonius Curio* a. U. 633 (121) prætor fuisse dicitur. De eius eloquentia Brut. 32. 122; imprimis nobilis fuit eius oratio pro Ser. Fulvio de incestu; cfr. Ellendt ad Brut. l. c. — Ceterum Curio filius recte h. l. dicitur æqualis Cæsaris et Cottæ; nam Cæsar ædilis fuit eodem anno, quo tribunus plebis Curio (Brut. 89. 305); Cottæ consul anno post Curionem consulem. Muellerum, qui paullo supra pro *Cæsar et Cotta* edidit *Cæsar et Catule*, bene refutavit Ellendt prolegg. p. LVI not.

Cap. XXIV. §. 99. *quem constituimus*] Sic codd. et vulgo edd. "Est i. q. exhibemus, inducimus" Orell. — *quem instituimus* Lamb., Ern., Sch., Harl., Mueller.

causarum fere formula. At vero in foro tabulae, testimonia, pacta, conventa, stipulationes, cognationes, affinitates, decreta, responsa, vita denique eorum, qui in causa versantur, tota cognoscenda est; quarum rerum negligentia plerasque causas et maxime privatas (sunt enim multo saepe obscuriores) videmus amitti. 101. Ita nonnulli, dum operam suam multam existimari volunt, ut toto foro volitare et a causa ad causam ire videantur, causas dicunt incognitas. In quo est illa quidem magna offensio vel negligentiae, susceptis rebus, vel perfidiae, receptis; sed etiam illa maior opinione, quod nemo potest de ea re, quam non novit, non turpissime dicere. Ita dum inertiae vituperationem, quae maior est, contemnunt, assequuntur etiam illam, quam magis ipsi fugiunt, tarditatis. 102. Equidem soleo dare operam, ut de sua quisque re me ipse doceat, et ut ne quis alius adsit, quo liberius loquatur, et agere adversarii causam, ut ille agat suam et, quidquid de sua re cogitarit, in medium proferat. Itaque quum ille discessit, tres personas unus sustineo summa animi aequitate, meam, adversarii, iudicis. Qui locus est talis, ut plus habeat adiumenti quam incommodi, hunc iudico esse dicendum; ubi plus mali quam boni reperio, id to-

---

§. 100. *tabulæ, testimonia etc.*] Cfr. infr. 27. 116, Partit. oratt. 37. 130. — De *stipulationibus* vide ad I. 38. 174.

§. 101. *susceptis — receptis*] "*Suscipitur*, quidquid a nobis proficiscitur et quidquid nostræ rei est; *recipimus* ea, quæ, quum proprie nostra non sint, demandata et tradita suscipimus. Itaque receptorum ratio aliis debetur. Cfr. Divin. in Cæcil. 8. 26: *Ego in hoc* (Verris) *iudicio mihi Siculorum causam receptam, populi Romani susceptam esse arbitror.*" Madvig de Asconio p. 98 not. 8. Suscipit causam orator, quum v. c. in causa publica ad malum civem accusandum aggreditur, recipit privatam causam sibi traditam. Alii aliud horum verborum esse discrimen statuunt; vide Muellerum ad h. l.

tum abdico atque eiicio. 103. Ita assequor, ut alio tempore cogitem, quid dicam, et alio dicam; quae duo plerique ingenio freti simul faciunt. Sed certe iidem illi melius aliquanto dicerent, si aliud sumendum sibi tempus ad cogitandum, aliud ad dicendum putarent. 104. Quum rem penitus causamque cognovi, statim occurrit animo, quae sit causa ambigendi. Nihil est enim, quod inter homines ambigatur, sive ex crimine causa constet, ut facinoris, sive ex controversia, ut hereditatis, sive ex deliberatione, ut belli, sive ex persona, ut laudis, sive ex disputatione, ut de ratione vivendi, in quo non, aut quid factum sit aut fiat futurumve sit, quaeratur, aut quale sit, aut quid vocetur.

XXV. 105. Ac nostrae fere causae, quae quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. Nam et de pecuniis repetundis, quae maximae sunt, neganda fere sunt omnia, et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem ac benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere; de sicariis, de veneficiis, de peculatu infitiari necesse est. Id est igitur genus primum causarum in iudiciis, ex controversia facti. In deliberationibus plerumque ex futuri, raro ex instantis aut facti. 106. Saepe autem res non

---

§. 102. *abdico atque eiicio*] *abdico* Vet. Steph., Ven., Sch., Mueller et Or. — Vulgo codd. et edd. *abiudico*. — *adiudico* Havn. B. — Tum *eiicio* Havn. uterq., Pall. et Gallicani (duo ST.), Oxx. omnes, et sic vulgo inde a Grutero. — Vulgo olim inde ab antiquiss. edd. *reiicio*.

§. 104. *causa ambigendi*] Sic duo Steph. codd., Z, Guelf. B, C, Ven., Lamb. et recentt. post Sch. — *causa ambigui* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) atque edd. inde ab antiquiss.

sive ex persona, ut laudis] Hæc verba, quæ om. Guelf. A, delevit Sch. in ed. mai., uncinis inclusit Harl. In ed. vero minore Sch. etiam sequentia usque ad *vivendi* delenda censet.

Cap. XXV. §. 105. *raro ex instantis*] Sic Z, Guelf. A,

sit necne, sed qualis sit, quaeritur: ut quum L. Opimii causam defendebat apud populum audiente me C. Carbo consul, nihil de C. Gracchi nece negabat, sed id iure pro salute patriae factum esse dicebat; ut eidem Carboni tribuno plebis, alia tum mente rem publicam capessenti, P. Africanus de Ti. Graccho interroganti responderat, iure caesum videri. Iure autem omnia defenduntur, quae sunt eius generis,

---

Sch. — *raro etiam ex inst.* vulgo codd. et edd. — *raro etiam maxime instantis* Havn. B.

§. 106. *L. Opimii causam*] *L. Opimius* prætor a. U. 629 (125) Fregellanos, qui defecerant, in deditionem accepit Fregellasque diruit (Liv. epit. LX, Vell. Paterc. II. 6). Consul a. U. 633 (121) cum Q. Fabio Maximo Allobrogico C. Graccho tribuno pl. restitit, et postquam senatus, auctore M. Æmilio Scauro, decrevit, videret consul, ne quid detrimenti respublica caperet, Gracchum armis persecutus per Septumuleium Anagninum interfecit, et cum eo Fulvium Flaccum consularem, eiusdem furoris socium (Vell. Pat. l. c., Plutarch. C. Gracch. 13 sqq., Appian. B. C. I. 21 sqq.; cfr. Cic. I. Catil. 2. 4, de Orat. II. 67. 269, Liv. epit. LXI, Aurel. Victor de VV. Illustr. 72). Anno sequente maiestatis crimine accusatus apud populum a Q. Decio, trib. pl., quod indemnatos cives in carcerem coniecisset, defendente Carbone absolutus est (Liv. l. c.; cfr. Cic. de Orat. II. 30. 132, 31. 134 sq., 39. 165, 40. 169 sq.). Postea tamen legatus quum a Iugurtha corruptus esset (Sallust. Iug. 16) a. U. 644 (110) C. Mamilii trib. pl. rogatione accusatus et publico iudicio damnatus est (Vell. Paterc. II. 7, Plutarch. C. Gracch. 18; cfr. Cic. p. Sestio 67. 140, p. Planc. 29. 70, Brut. 34. 128).

ut eidem Carboni] Anno U. 625 (129), quum C. Graccho, Fulvio Flacco et C. Papirio Carboni, triumviris agro dividundo, adversaretur Africanus, aliquando in concione interroganti Carboni trib. pl., *quid de Ti. Gracchi cæde sentiret*, respondit, *si is occupandæ reipublicæ animum habuisset, iure cæsum;* et quum omnis concio adclamasset, *hostium*, inquit, *armatorum toties clamore non territus, qui possum vestro moveri, quorum noverca est Italia.* Vell. Paterc. II. 4; cfr. Cic. p. Milone 3. 8, Liv. epit. LIX, qui hoc Scipionem dixisse tradit in gravissima oratione, qua Carbonis rogationem de tribunis pl. reficiendis dissuaderet. Teste Plutarcho (Ti. Gracch. 21) iam ad Numantiam, accepto de Ti. Gracchi nece nuntio, quid de ea sentiret, declaravit Homerico versu (Odyss. α. 47):

Ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι.

Cfr. Diodori excerpt. Vatic. p. 116 Dindorf.

ut aut oportuerit, aut licuerit, aut necésse fuerit, aut imprudentia aut casu facta esse videantur. 107. Iam, quid vocetur, quaeritur, quum, quo verbo quid appellandum sit, contenditur: ut mihi ipsi cum hoc Sulpicio fuit in Norbani causa summa contentio. Pleraque enim de iis, quae ab isto obiiciebantur, quum confiterer, tamen ab illo maiestatem minutam negabam; ex quo verbo lege Appuleia tota illa causa pendebat. 108. Atque in hoc genere causarum nonnulli praecipiunt, ut verbum illud, quod causam facit, lucide breviterque uterque definiat. Quod mihi quidem perquam puerile videri solet. Alia est enim, quum inter doctos homines de iis ipsis rebus, quae versantur in artibus, disputatur, verborum definitio: ut, quum quaeritur, quid sit ars, quid sit lex, quid sit civitas. In quibus hoc praecipit ratio atque doctrina, ut vis eius rei, quam definias, sic exprimatur, ut neque absit quidquam neque supersit. 109. Quod quidem in illa causa neque Sulpicius fecit, neque ego facere conatus sum. Nam quantum uterque nostrum potuit, omni copia dicendi dilatavit, quid esset maiestatem minuere. Etenim definitio primum reprehenso verbo uno aut

---

§. 107. *lege Appuleia*] Lex Appuleia de maiestate a. U. 652 (102) a L. Appuleio Saturnino, trib. pl., lata commemoratur etiam II. 49. 201; cfr. Ellendt prolegg. p. LXV. Pighii (Annal. a. U. 651) hariolationes de causa huius legis repetivit etiam C. Fr. Dieck historische Versuche ueber das Criminalrecht der Römer, Halle 1822, p. 72.

§. 108. *lucide breviterque uterque definiat*] Sic Steph. (om. *que*), marg. Crat., Lamb. (nisi quod hi *dilucide)*, Pearc., Olsh., Or. — *uterque* om. Pall. priores et Gallicani (V. ST.), Grut., Ern., Harl. — *lucide breviterque definiatur* Pal. sec., Lott. *(dilucide)*, Lallem., Sch. in ed. mai. — *facit, breviter uterque definiat* Havn. uterque, α, β, γ, δ, ε, Guelf. C, pleræque edd. antiquiss. — *facit, breviterque definiat* Z, Erl. 1. — *facit breviterque de rebus definiat* Guelf. A, — *facit, absolute, breviter uterque definiat* Guelf. B, unde in ed. min. Schuetzius, quem sequitur Muellerus: *lucide, absolute breviter uterque definiat.*

addito aut dempto saepe extorquetur e manibus; deinde genere ipso doctrinam redolet exercitationemque paene puerilem; tum in sensum et in mentem iudicis intrare non potest. Ante enim praeterlabitur, quam percepta est.

XXVI. 110. Sed in eo genere, in quo, quale sit quid, ambigitur, exsistit etiam ex scripti interpretatione saepe contentio, in quo nulla potest esse, nisi ex ambiguo, controversia. Nam illud ipsum, quum scriptum a sententia discrepat, genus quoddam habet ambigui, quod tum explicatur, quum ea verba, quae desunt, suggesta sunt, quibus additis defenditur, sententiam scripti perspicuam fuisse; et ex contrariis scriptis si quid ambigitur, non novum genus nascitur, sed superioris generis causa duplicatur. Idque aut nunquam diiudicari poterit, aut ita diiudicabitur, ut referendis praeteritis verbis id scriptum, quodcunque defendimus, suppleatur. Ita fit, ut unum genus in iis causis, quae propter scriptum ambiguntur, relinquatur, si est scriptum aliquid ambigue. 111. Ambiguorum autem quum plura genera sunt, quae mihi videntur ii melius nosse, qui dialectici appellantur, hi autem nostri ignorare, qui non minus nosse debeant; tum illud est frequentissimum in omni con-

---

§. 109. *tum in sensum*] Sic Havn. uterq., al., Lamb., Grut., Sch., Mueller, Olsh. — *tum et in sensum* Erl. 1, Guelf. A, edd. antiquiss., Ald., Cockm., Pearc., Ern., Harl., Or., qui tamen *et* uncis inclusit.

Cap. XXVI. §. 111. *quum plura genera*] Sic Havn. uterq., Cant., *α*, *γ*, Guelf. B, C, Iunt., Lamb., Pearc., Lallem., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *quam plura gen.* *β.* — *complura genera* Erl. 1, al., edd. antiquiss., Ald., Crat., Grut., Ern., Harl. — Paullo infra pro *debeant* Ern. coni. *debebant*; sed et hic et aliis locis, ubi eandem correctionem invexit (v. c. p. Rosc. Amer. 1. 4), subiunctivi post pronomen relativum causalis ratio eum latuit, de qua vid. Matth. ad or. p. Rosc. Am. l. c., Beier ad II. Off. 19. 68 p. 132 et ad III. Off. 14. 58 p. 283.

suetudine vel sermonis vel scripti, quum idcirco aliquid ambigitur, quod aut verbum aut verba sint praetermissa. 112. Iterum autem peccant, quum genus hoc causarum, quod in scripti interpretatione versatur, ab illis causis, in quibus, qualis quaeque res sit, disceptatur, seiungunt. Nusquam enim tam quaeritur, quale sit genus ipsum rei, quam in scripto, quod totum a facti controversia separatum est. 113. Ita tria sunt omnino genera, quae in disceptationem et controversiam cadere possunt: *Quid fiat, factum futurumve sit*; aut *quale sit*; aut *quomodo nominetur*. Nam illud quidem, quod quidam Graeci adiungunt, *Rectene factum sit*, totum in eo est, quo, *quale sit*, quaerimus. Sed iam ad institutum revertar meum.

XXVII. 114. Quum igitur, accepto causae genere et cognito, rem tractare coepi, nihil prius constituo, quam, quid sit illud, quo mihi referenda sit omnis illa oratio, quae sit propria quaestionis et iudicii. Deinde illa duo diligentissime considero, quorum alterum commendationem habet nostram aut eorum, quos defendimus, alterum est accommodatum ad eorum animos, apud quos dicimus, ad id, quod volumus, commovendos. 115. Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: ut pro-

§. 113. *Nam illud quidem*] Plerique codd. et vulgo edd. exhibent: *nam et illud quidem*. Sed *et* om. Vet. Steph. *(nam id quidem)*, Havn. uterq., Guelf. B, C, Ald., Iunt., Crat., Sch., Olsh., quos secutus sum; uncis inclusit Or. — *quidem*, quod voc. Havn. uterq., Guelf. B, C et edd. antiquiss. omittunt, uncis inclusit Muellerus.

in eo est, quo quale sit] Sic Mead., Lamb., Sch., Mueller, Or. — *in eo est, quod quale sit* codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd. — *totum in eo est, quale sit. Sed* Vet. Steph., Z, y.

Cap. XXVII. §. 114. *genere et cognito, rem*] *genere, cognitam rem* duo Steph. codd. (cod. Lamb.), Havn. uterque, Z, a, y, marg. δ, Erl. 1, Guelf. A, B, C, Iunt., Crat., prob. Heusing.

bemus vera esse ea, quae defendimus; ut conciliemus nobis eos, qui audiunt; ut animos eorum ad quemcunque causa postulabit motum vocemus.

116. Ad probandum autem duplex est oratori subiecta materies: una rerum earum, quae non excogitantur ab oratore, sed in re positae ratione tractantur, ut tabulae, testimonia, pacta, conventa, quaestiones, leges, senatusconsulta, res iudicatae, decreta, responsa, et reliqua, si quae sunt, quae non ab oratore pariuntur, sed ad oratorem a causa atque a reis deferuntur; altera est, quae tota in disputatione et argumentatione oratoris collocata est. 117. Ita in superiore genere de tractandis argumentis, in hoc autem etiam de inveniendis cogitandum est. Atque isti quidem, qui docent, quum causas in plura genera secuerunt, singulis generibus argumentorum copiam

---

§. 116. *ab oratore pariuntur*] Sic Havn. uterq., al., edd. antiquiss. (*periuntur* ed. s. l. et a.) et vulgo ante Grut.; restituerunt Mueller et Or.; cfr. §. 120. — *pariuntur ab oratore* Ern., Harl., Olsh. — *pariuntur* exhibent etiam α, β, γ, δ, ε, Guelf. C, sed de ordine non liquet. — *ab oratore reperiuntur* Vet. Steph. — *reperiuntur ab oratore* Pal. pr., sec., Memm., Pith., Guelf. A, B, Erl. 1, Z, Grut., Sch.

atque a reis] Sic Havn. A a pr. manu, Havn. B, α, β, γ, δ, al., et sic vulgo inde ab antiquiss. edd. — *atque reis* Guelf. C, Lott. — *atque a rebus* Guelf. B. — *atque a re* Havn. A e correctione, Vet. Steph., Z, ε, Erl. 1, Guelf. A; recepit Ern. ea de causa, quod non rei soli deferant, sed etiam petitores. Sed vide, quæ attulimus ad II. 19. 78.

altera est] Ern., quem Sch. in ed. minore sequitur, delevit *est*, quod præcesserit *una earum rerum*; sed sæpe sic a sententia pendente ad non pendentem transitur. Vide quæ exempla attulerunt Heusing. ad I. Off. 40 p. 332 sq. et Madvig Emendatt. in Cic. libb. de Legg. p. 149 sq. Adde II. Orat. 72. 295, I. Off. 6. 19, III. Fin. 21. 72 coll. c. 22. 73, Liv. XXVIII. 6, XLV. 51.

§. 117. *isti quidem, qui docent*] Sic codd. et vulgo edd. — *ista quidem qui docent* e coni. edidit Ern., quem secuti sunt Sch., Mueller, Olsh. — Paullo infra *unde omnia manent* Havn. A, Erl. 1, Guelf. A, B, C, Lips. Thanneri et recentt. post Ern. — Vulgo codd. (etiam Havn. B.) et edd. inde ab antiquiss. *unde omnia manant*.

suggerunt. Quod etiamsi ad instituendos adolescentulos magis aptum est, ut, simulac posita sit causa, habeant, quo se referant, unde statim expedita possint argumenta depromere: tamen et tardi ingenii est rivulos consectari, fontes rerum non videre, et iam aetatis est ususque nostri a capite, quod velimus, arcessere et, unde omnia manent, videre.

118. Et primum genus illud earum rerum, quae ad oratorem deferuntur, meditatum nobis in perpetuum ad omnem usum similium rerum esse debebit. Nam pro tabulis et contra tabulas, pro testibus et contra testes, pro quaestionibus et contra quaestiones, et item de ceteris rebus eiusdem generis, vel separatim dicere solemus de genere universo, vel definite de singulis temporibus, hominibus, causis; quos quidem locos (vobis hoc, Cotta et Sulpici, dico) multa commentatione atque meditatione paratos atque expeditos habere debetis. 119. Longum est enim nunc me explicare, qua ratione aut confirmare aut infirmare testes, tabulas, quaestiones oporteat. Haec sunt omnia ingenii vel mediocris, exercitationis autem maximae; artem quidem et praecepta dumtaxat hactenus requirunt, ut certis dicendi luminibus ornentur.

§. 118. *Et primum genus illud earum rerum*] H. e. primum illud genus, quod genus est earum rerum, s. quod pertinet ad eas res. Huius epexegetici genitivi plura exempla inveniuntur in his de oratore libb.: sic II. 29. 128 *una* (ratio) *conciliandorum hominum*; II. 49. 200 *genus alterum — lenitatis*; II. 84. 341 *illud tertium laudationum genus* (ubi Lamb. male omisit voc. *laudationum*, vide eius adnot.); III. 14. 52 *partes eae fuerunt duae — latine loquendi planeque dicendi*; III. 24. 91 *Hae duae partes — illustrandae orationis ac totius eloquentiae cumulandae*; III. 38. 155 *tertius ille modus transferendi verbi*; neque dissimilia sunt illa, quae attulimus ad II. 15. 63. Cfr. Heusingeros et Beierum ad III Off. 2. 6, Ellendt. ad Brut. 35. 135, Madvig. Epist. ad Orell. p. 79 sq.

§. 119. *Longum est enim nunc me explicare*] Bremio ad I. Fin. 9 p. 50 suspectum fuit pron. *me*; sed cfr. Terent. Andr. V. 6. 13.

120. Itemque illa, quae sunt alterius generis, quae tota ab oratore pariuntur, excogitationem non habent difficilem, explicationem magis illustrem perpolitamque desiderant. Itaque quum haec duo nobis quaerenda sint in causis, primum quid, deinde quomodo dicamus: alterum, quod totum arte tinctum videtur, tametsi artem requirit, tamen prudentiae est paene mediocris, quid dicendum sit, videre; alterum est, in quo oratoris vis illa divina virtusque cernitur, ea, quae dicenda sunt, ornate, copiose varieque dicere.

XXVIII. 121. Quare illam partem superiorem, quoniam semel ita vobis placuit, non recusabo, quo minus perpoliam atque conficiam (quantum consequar, vos iudicabitis): quibus ex locis ad eas tres res, quae ad fidem faciendam solae valent, ducatur oratio, ut et concilientur animi et doceantur et moveantur [; haec sunt enim tria numero]. Ea vero quemadmodum illustrentur, praesto est, qui omnes docere possit, qui hoc primus in nostros mores induxit, qui maxime auxit, qui solus effecit. 122. Namque ego, Catule, (dicam enim non reverens assentandi suspicionem) neminem esse oratorem paullo illustriorem arbitror, neque Graecum neque Latinum, quem aetas nostra tulerit, quem non et saepe et diligenter audierim. Itaque si quid est in me (quod iam sperare videor,

---

Cap. XXVIII. §. 121. *hæc sunt enim tria numero*]. Hæc verba, quæ glossatori deberi videntur, cum Ern., Harl. et Orellio uncis inclusi; delerunt Sch. et Olsh. Muellerus non solum hæc, sed etiam quæ præcedunt: *ut et — moveantur*, spuria esse censet. — *numero* om. Havn. uterq., Vet. Steph., Z, *α*, *δ*, *ε*, Erl. 1, ed. s. l. et a., Waldarf., Med. 1, Ven.

§. 122. *sperare videor*] "H. e. sperare posse et debere videor, iure meo sperare videor; vide Cic. p. Planc. 3. 8, Act. I. in Verr. 17. 50 (ubi Lamb. edidit: *sperare debere mihi videor*), Læl. 4. 15 (ubi non recte Beier dicit esse i. q.

quoniam quidem vos, his ingeniis homines, tantum operae mihi ad audiendum datis), ex eo est, quod nihil quisquam unquam me audiente egit orator, quod non in memoria mea penitus insederit. Atque ego is, qui sum, quantuscunque sum ad iudicandum, omnibus auditis oratoribus sine ulla dubitatione sic statuo et iudico, neminem omnium tot et tanta, quanta sunt in Crasso, habuisse ornamenta dicendi. 123. Quamobrem, si vos quoque hoc idem existimatis, non erit, ut opinor, iniqua partitio, si, quum ego hunc oratorem, quem nunc fingo, ut institui, crearo, aluero, confirmaro, tradam eum Crasso et vestiendum et ornandum.

124. Tum Crassus, Tu vero, inquit, Antoni, perge, ut instituisti. Neque enim est boni neque liberalis parentis, quem procrearit et eduxerit, eum non et vestire et ornare; praesertim quum te locupletem esse negare non possis. Quod enim ornamentum, quae vis, qui animus, quae dignitas illi oratori defuit, qui in causa peroranda non dubitavit excitare reum consularem et eius diloricare tunicam et iudi-

---

spero: "nisi forte leg. *sperare audeo*"), ad Fam. XIII. 63." Madvig.

§. 124. *excitare reum consularem*] *M'. Aquillius*, cos. a. U. 653 (101) cum C. Mario V, in Sicilia, ubi bellum servile excitatum erat, cum fugitivorum duce Athenione Cilice feliciter pugnavit atque procos., postquam hoc bellum confecit, ovans urbem ingressus est. Diodor. Sic. excerpt. p. 536 sq. Wessel., Cic. II. Orat. 47. 195; cfr. Liv. epit. 69, Flor. III. 19. A. U. 656 (98) repetundarum accusatus a L. Fufio (Brut. 62. 222, II. Off. 14. 50 ibiq. intt.), quum ipse iudices rogare nollet, M. Antonius, qui pro eo perorabat, tunicam a pectore eius abscidit, ut honestas cicatrices ostenderet; quibus conspectis, quamvis multis avaritiae criminibus testimoniisque convinceretur, tamen, quia cum fugitivis fortiter bellum gesserat, absolutus est. Cic. pro Flacco 39. 98, Verr. V. 1. 3, Liv. epit. 70, qui Ciceronem solum huius rei auctorem esse dicit. C. Marium advocatum Aquillio fuisse in hoc iudicio patet ex II. Orat. 47. 196. Initio belli Mithridatici a Mithridate captus crudeli morte periit, vide intt. ad Cic. Scau

cibus cicatrices adversas senis imperatoris ostendere? qui idem, hoc accusante Sulpicio, quum hominem seditiosum furiosumque defenderet, non dubitavit seditiones ipsas ornare ac demonstrare gravissimis verbis, multos saepe impetus populi non iniustos esse, quos praestare nemo posset; multas etiam e re publica seditiones saepe esse factas, ut quum reges essent exacti, ut quum tribunicia potestas esset constituta; illam Norbani seditionem ex luctu civium et ex Caepionis odio, qui exercitum amiserat, neque reprimi potuisse et iure esse conflatam? 125. Potuit hic locus tam anceps, tam inauditus, tam lubricus, tam novus, sine quadam incredibili vi ac facultate dicendi tractari? Quid ego de Cn. Manlii, quid de Q. Regis commiseratione dicam? quid de aliis innumerabilibus? in quibus non hoc maxime enituit, quod tibi omnes dant, acumen quoddam singulare, sed haec

---

rian. p. 142 sqq. Beier. Hunc M'. Aquillium a P. Lentulo, principe senatus, accusatum esse, falso tradunt Ern. et Sch. in Indice hist. (cfr. Ellendt ad Brut. 28. 107), neque melius Scheller in Lex. et Muellerus eundem M. Perpernæ in Asia adversus Aristonicum successorem fuisse contendunt; utrumque enim ad antiquiorem Aquillium cos. a. U. 625 (129), huius fortasse patrem, pertinet.

quum hominem seditiosum — defenderet] De *Norbani* causa et de *Cæpione* vide ad II. 47. 197. — *Quos præstare nemo posset* ut legatur, loci ratio flagitat; vulgo: *quos præstare nemo possit.* — *Quum reges essent exacti* cfr. Liv. lib. I. extr.; *quum tribunicia potestas etc.* Liv. II. 32 sq.

§. 125. *Cn. Manlii*] *Cn. Manlius* (s. Mallius) *Maximus*, cos. a. U. 649 (105) cum P. Rutilio Rufo, Q. Servilii Cæpionis proconsulis temeritate a Cimbris proelio victus castrisque exutus est (Liv. epit. 67; cfr. infr. ad II. 47. 197). Ob hanc cladem accusatus in eoque iudicio ab Antonio defensus esse videtur; nisi forte in eadem Norbani causa ab Antonio Manlii, invidia Cæpionis ab hostibus superati, fortunam deploratam fuisse dicas. A Cicerone p. Planc. 5. 12 Cn. Manlius dicitur fuisse homo *non solum ignobilis, verum sine virtute, sine ingenio, vita etiam contempta ac sordida.* — De *Q. Marcii Regis* causa non liquet, nec præter Q. Marc. Regem cos. 636 (118) cum M. Porcio Catone (Gell. XIII. 19) quisquam huius nominis Antonii temporibus æqualis commemoratur.

ipsa, quae nunc ad me delegare vis, ea semper in te eximia et praestantia fuerunt.

XXIX. 126. Tum Catulus, Ego vero, inquit, in vobis hoc maxime admirari soleo, quod, quum inter vos in dicendo dissimillimi sitis, ita tamen uterque vestrum dicat, ut ei nihil neque a natura denegatum neque a doctrina non delatum esse videatur. Quare, Crasse, neque tu tua suavitate nos privabis, ut, si quid ab Antonio aut praetermissum aut relictum sit, non explices, neque te, Antoni, si quid non dixeris, existimabimus non potuisse potius, quam a Crasso dici maluisse.

127. Hic Crassus, Quin tu, inquit, Antoni, omittis ista, quae proposuisti, quae nemo horum desiderat: quibus ex locis ea, quae dicenda sint in causis, reperiantur; quae quamquam abs te novo quodam modo praeclareque dicuntur, sunt tamen et re faciliora et praeceptis pervagata; illa deprome nobis unde afferas, quae saepissime tractas semperque divinitus.

128. Depromam equidem, inquit Antonius, et quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi a me postulanti recusabo. Meae totius orationis et istius ipsius in dicendo facultatis, quam modo Crassus in coelum verbis extulit, tres sunt rationes, ut ante dixi: una conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum. 129. Harum trium

---

Cap. XXIX. §. 127. *quibus ex locis — reperiantur*] Lambinianis coniecturis in marg. repett. Lamb. *quibus in locis — reperiantur*, vel *quibus ex locis — depromantur* s. *eruantur*, Pearc. bene opponit similem locum c. 36. 152: *Aristoteles — proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via — inveniretur.*

§. 128. *in dicendo facultatis*] *In dicendo*, quæ verba om. γ, et ante *orationis* transponunt Havn. uterq., Vet. Steph. Z, α, β, δ, ε, Guelf. A, B, C, edd. antiquiss., e glossa fluxisse suspicatur Schuetzius in ed. maiore.

partium prima lenitatem orationis, secunda acumen, tertia vim desiderat. Nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, aut inclinatione voluntatis propendeat in nos, aut defensiónis argumentis adducatur, aut animi permotione cogatur. Sed quoniam illa pars, in qua rerum ipsarum explicatio ac defensio posita est, videtur omnem huius generis quasi doctrinam continere, de ea primum loquemur et pauca dicemus. Pauca enim sunt, quae usu iam tractata et animo quasi notata habere videamur.

XXX. 130. Ac tibi sapienter monenti, L. Crasse, libenter assentiemur, ut singularum causarum defensiones, quas solent magistri pueris tradere, relinquamus; aperiamus autem ea capita, unde omnis ad omnem et causam et orationem disputatio ducitur. Neque enim, quoties verbum aliquod est scribendum nobis, toties eius verbi literae sunt cogitatione conquirendae, nec quoties causa dicenda est, toties ad eius causae seposita argumenta revolvi nos oportet; sed habere certos locos, qui, ut literae ad verbum scribendum, sic illi ad causam explicandam statim occurrant. 131. Sed hi loci ei demum oratori prodesse possunt, qui est versatus in rebus, vel usu, quem aetas demique affert, vel auditione et cogitatione, quae studio et diligentia praecurrit aetatem. Nam si tu mihi quamvis eruditum hominem adduxeris, quamvis acrem et acutum in cogitando, quamvis ad pronuntiandum expeditum, si erit idem in consuetudine civitatis, in exemplis,

---

§. 129. *quasi notata habere*] Sic Havn. B, Cant., Norf., Harl. 1, Z, γ, ε, Lamb., Pearc., Sch., Harl.; Mueller, Or. — Vulgo: *quasi habere notata.*

Cap. XXX. §. 130. *quoties verbum aliquod etc.*] Cfr. Quintil. X, 7. 11: *Est usus quidam irrationalis, quem Graeci ἄλογον τριβὴν vocant, qua manus in scribendo decurrit, qua oculi totos simul in lectione versus flexusque eorum et transitus intuentur et ante sequentia vident, quam priora dixerunt.*

in institutis, in moribus ac voluntatibus civium suorum hospes, non multum ei loci proderunt illi, ex quibus argumenta promuntur. Subacto mihi ingenio opus est, ut agro non semel arato, sed novato et iterato, quo meliores fetus possit et grandiores edere. Subactio autem est usus, auditio, lectio, literae.

132. Ac primum naturam causae videat, quae nunquam latet, factumne sit quaeratur, an quale sit, an quod nomen habeat; quo perspecto statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit; deinde quid veniat in iudicium, quod isti sic iubent quaerere: "Interfecit Opimius Gracchum. Quid facit causam? Quod rei publicae causa, quum ex senatusconsulto ad arma vocasset. Hoc tolle, causa non erit. At id ipsum negat contra leges licuisse Decius. Veniet igitur in iudicium, licueritne ex senatusconsulto servandae rei publicae causa." Perspicua sunt haec quidem et in vulgari prudentia sita; sed illa quaerenda,

---

§. 131. *Subacto mihi ingenio*] Metaphora ducta est ab agro, qui aratro et rastro mollitur et domatur; Cic. fragm. Hortens. ap. Non. v. *seges* et *subigere* p. 479 Orell.: *Ut enim segetes agricolæ subigunt aratris multo ante, quam serant*; cfr. de senect. 15. 51, Plin. H. N. XVIII. 49. 2. — Romani agrum bis vel, ubi dura gleba, ter arare solebant (Varro R. R. I. 27 et 29 sqq.). Quem agrum Cic. h. l. *novatum et iteratum* dicit, eum rei rusticæ scriptores vocant *iteratum et tertiatum*; cfr. I. H. Voss ad Virg. Georg. I. 47 sqq.

§. 132. *Interfecit Opimius Gracchum*] De *Opimio* a Decio accusato vide ad II. 25. 106; cum h. l. cfr. Partit. orat. 30. 106. De *Decio* cfr. ad II. 31. 135.

in vulgari prudentia] H. e. in sensu communi, de quorum verborum significatione ap. Ciceronem et posteriores scriptores consulendus est Spalding ad Quintil. I. 2. 20. Cfr. paullo supra: *naturali quadam prudentia*, IV Fin. 27. 76 *communis prudentia*, III Orat. 29. 115 *communis mens*.

sed illa quærenda, quæ — argumenta] De hoc attractionis genere vid. Matth. ad Cic. or. pro leg. Manil. 12. et Beier ad Læl. 16 init. p. 88.

quae ab accusatore et a defensore argumenta ad id, quod in iudicium venit, spectantia debeant afferri.

XXXI. 133. Atque hic illud videndum est, in quo summus est error istorum magistrorum, ad quos liberos nostros mittimus, non quo hoc quidem ad dicendum magno opere pertineat, sed tamen ut videatis, quam sit genus hoc eorum, qui sibi eruditi videntur, hebes atque impolitum. Constituunt enim in partiendis orationum modis duo genera causarum; unum appellant, in quo sine personis atque temporibus de universo genere quaeratur, alterum, quod personis certis et temporibus definiatur, ignari omnes controversias ad universi generis vim et naturam referri. 134. Nam in ea ipsa causa, de qua ante dixi, nihil pertinet ad oratoris locos Opimii persona, nihil Decii. De ipso enim universo genere infinita quaestio est, num poena videatur esse afficiendus, qui civem ex senatusconsulto patriae conservandae causa interemerit, quum id per leges non liceret. Nulla denique est causa, in qua id, quod in iudicium venit, ex reorum personis, non generum ipsorum universa disputatione quaeratur. 135. Quin etiam in iis ipsis, ubi de facto ambigitur, ceperitne contra leges pecu-

---

Cap. XXXI. §. 133. *alterum — ignari*] Lambinus e cod. Memmiano hunc locum sic exhibuit: *alterum, quod propriis nominibus personarum, locorum ac temporum distinctum est, in quo uno illi occupati sunt; superius vero illud, quod totum in ratione generis positum, quasi non necessarium sit, nullis præceptis aperiunt, ignari cet.* Gruterus tamen observat, ea, quæ hic mutet addatque Lamb., non comparere in Pall., neque in Pith. aut Memmianis, quos excusserit Gulielmius. Etiam in Lotteriana ed. hæc leguntur: *alterum, in quo uno illi occupati sunt, quod propriis nominibus personarum, locorum ac temporum distinctum est; superius vero illud* et reliqua quemadmodum in cod. Lamb.

§. 134. *universa disputatione*] *universa dubitatione* duo Steph. codd., Z, δ, Guelf. A, Sch. in ed. mai., Olsh., et probat Goerenz ad I. Legg. 21. 56. Sed cfr. 32. 138 *ad universi generis disputationem referatur.*

nias P. Decius, argumenta et criminum et defensionis revocentur oportet ad genus et ad naturam universam: quod sumptuosus, de luxurie; quod alieni appetens, de avaritia; quod seditiosus, de turbulentis et malis civibus; quod a multis arguitur, de genere testium; contraque, quae pro reo dicentur, omnia necessario a tempore atque homine ad communes rerum et generum summas revolventur. 136. Atque haec forsitan homini non omnia, quae sunt in natura rerum, celeriter animo comprehendenti permulta videantur, quae veniant in iudicium tum, quum de facto quaeratur; sed tamen criminum est multitudo, non defensionum aut locorum, infinita.

XXXII. 137. Quae vero, quum de facto non ambigitur, quaeruntur, qualia sint, ea si ex reis numeres, et innumerabilia sunt et obscura, si ex rebus, valde et modica et illustria. Nam si Mancini causam in uno Mancino ponimus, quotiescunque is, quem pater patratus dediderit, receptus non erit, toties causa nova nascetur. Sin illa controversia causam facit, videaturne ei, quem pater patratus dediderit, si is non sit receptus, postliminium esse: nihil ad artem dicendi nec ad argumenta defensionis Man-

§. 135. *P. Decius*] Hic Decius vulgo putatur idem esse, qui Opimium accusaverit; sed Opimii accusatorem tribunum pleb. *Q. Decium* appellat Liv. epit. 61. *P. Decius* videtur esse is, de quo Cic. Brut. 28, 108: *M. Fulvii Flacci æmulus P. Decius fuit, non infans ille quidem, sed ut vita, sic oratione etiam turbulentus.* Reum eum de pecuniis contra leges captis factum esse, apparet etiam ex Cic. Partit. Oratt. 30. 104. Hunc prætorem a. U. 639 (115) a. M. Æmilio Scauro cos., quod ei transeunti non assurrexisset, male mulcatum esse, auctor est Aurel. Victor de VV. Illustr. c. 72.

Cap. XXXII. §. 137. *Mancini causam*] De hac causa, de *postliminio* et de *patre patrato* vide ad I. 40. 181. — Pro *sin illa controversia* Ern. e conj. edidit: *sin in illa controversia;* sed recte Heusingerus *controversiam* explicavit *quaestionem controversam.*

cini nomen pertinet. 138. Ac si quid affert praeterea hominis aut dignitas aut indignitas, extra quaestionem est, et ea tamen ipsa oratio ad universi generis disputationem referatur necesse est.

Haec ego non eo consilio disputo, ut homines eruditos redarguam; quamquam reprehendendi sunt, qui in genere definiendo istas causas describunt in personis et in temporibus positas esse. 139. Nam etsi incurrunt tempora et personae, tamen intelligendum est, non ex iis, sed ex genere quaestionis pendere causas. Sed hoc nihil ad me; nullum enim nobis certamen cum istis esse debet. Tantum satis est intelligi, ne hoc quidem eos consecutos, quod in tanto otio etiam sine hac forensi exercitatione efficere potuerunt, ut genera rerum discernerent eaque paullo subtilius explicarent. 140. Verum hoc, ut dixi, nihil ad me. Illud ad me ac multo etiam magis ad vos, Cotta noster et Sulpici: quo modo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo causarum; est enim infinita, si in personis ponitur; quot homines, tot causae; sin ad generum universas quaestiones referuntur, ita modicae et paucae sunt, ut eas omnes diligentes et memores et sobrii oratores percursas animo et prope dicam decantatas habere debeant; nisi forte existimatis, a M'. Curio causam didicisse L. Crassum et ea re multa attulisse, quamob-

---

§. 139. *debet. Tantum satis est intelligi*] Ern., Sch. et Harl. sic distinguunt: *debet tantum: satis est intelligi.* Sed cfr. I. Fin. 9. 30 *Tantum satis esse admonere* ibiq. Goerenz.

§. 140. *in personis ponitur*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *in personis ponuntur* Lamb., Sch., Mueller.

ut eas omnes] Sic Havn. uterq., Cant., Z, β, δ, al., Steph., Lamb., Pearc. in ed. tertia sqq., Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh. — *ut omnes eas* edd. antiquiss. et vulgo ante Ern.; restituit Or., ne iungatur pronuntiando *omnes diligentes.*

prope dicam] Sic Vet. Steph., Z, Erl. 1, Guelf. A et recentt. post Ern. — Vulgo om. *dicam.*

rem postumo non nato Curium tamen heredem Coponii esse oporteret. 141. Nihil ad copiam argumentorum neque ad causae vim ac naturam nomen Coponii aut Curii pertinuit. In genere erat universo rei negotiique, non in tempore ac nominibus, omnis quaestio: Quum scriptum ita sit: SI MIHI FILIUS GENITUR ISQUE PRIUS MORITUR et cetera, TUM MIHI ILLE SIT HERES: si natus filius non sit, videaturne is, qui filio mortuo institutus heres sit, heres esse.

XXXIII. Perpetui iuris et universi generis quaestio non hominum nomina, sed rationem dicendi et argumentorum fontes desiderat. 142. In quo etiam isti nos iurisconsulti impediunt a discendoque deterrent. Video enim in Catonis et Bruti libris nominatim fere referri, quid alicui de iure viro aut mulieri responderint; credo, ut putaremus in hominibus, non in re, consultationis aut dubitationis causam aliquam fuisse, ut, quod homines essent innumerabiles, debilitati a iure cognoscendo voluntatem discendi simul

---

§. 141. *quum scriptum ita sit etc.*] Cfr. II. Invent. 42. 122: *Paterfamilias quum liberorum nihil haberet, uxorem autem haberet, in testamento ita scripsit: SI MIHI FILIUS GENITUR UNUS PLURESVE, IS MIHI HERES ESTO. Deinde quæ assolent. Postea, SI FILIUS ANTE MORITUR, QUAM IN TUTELAM SUAM VENERIT, TU* (h. l. *ille*, in ICtorum libris *Seius*, *Titius*, nos N. N. de persona incerta) *MIHI, dicebat, SECUNDUS HERES ESTO. Filius non est natus. Ambigunt agnati cum eo, qui est heres, si filius ante, quam in suam tutelam venerit, mortuus sit.* De causa Curiana vide locos ad I. 39. 180 allatos.

Cap. XXXIII. §. 142. *in Catonis et Bruti libris*] De *Catone* vide ad I. 37. 171 et 53. 227. — *M. Bruto*, nobilissimo ICto (Brut. 47. 175), septem libros de iure civili tributos fuisse, perspicitur ex Digest. I. 2. §. 39, sed tres tantum a Scævola veros Bruti iudicatos fuisse testatur Cic. II. Orat. 55. 224; cfr. p. Cluent. 51. 141.

debilitati a iure cognoscendo] Sic omnes fere codd. et vulgo edd. Pearc. e vestigiis, ut putat, codd. Cant. et 4, in quibus est: *debilitati a me a iure cogn.*, legendum censet

cum spe perdiscendi abiiceremus. Sed haec Crassus aliquando nobis expediet et exponet descripta generatim. Est enim, ne forte nescias, heri nobis ille hoc, Catule, pollicitus, se ius civile, quod nunc diffusum et dissipatum est, in certa genera coacturum et ad artem facilem redacturum.

143. Et quidem, inquit Catulus, haudquaquam id est difficile Crasso, qui et, quod disci potuit de iure, didicit et, quod iis, qui eum docuerunt, defuit, ipse afferet; ut, quae sint in iure, vel apte describere vel ornate illustrare possit.

Ergo ista, inquit Antonius, tum a Crasso discemus, quum se de turba et a subselliis in otium, ut cogitat, soliumque contulerit.

144. Iam id quidem saepe, inquit Catulus, ex eo audivi, quum diceret, sibi certum esse a iudiciis

---

debilitati metu a iure cogn. — Schuetzius coni. *debilitati in iure cogn.* aut *debilitati mole iuris cognoscendi.* Offendit eum illa verbi *debilitare* significatio, qua sit i. q. *deterrere*, cuius alterum exemplum nusquam reperitur.

ad artem facilem redacturum] Sic Havn. A, Guelf. C, Lamb. et recentt. post Sch.; quæ lectio commendatur verbis Crassi I. 42. 190: *Si enim aut mihi facere licuerit — perfectam artem iuris civilis habebitis, magis magnam atque uberem, quam DIFFICILEM atque obscuram.* — Vulgo: *ad artem facile redacturum*, in quibus *facile* Ernestium ita offendit, ut hoc voc. spurium iudicaret.

§. 143. *vel apte describere*] Ita Erl. (quotiescumque in sqq. *Erl.* simpliciter nominatur, *Erlang. prim.* intelligendus est) al., Steph., Lamb., Grut. et recentt. post Ern. — *vel acute describere* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo olim inde ab antiquiss. edd.; restituit Pearc., cuius hæc verba sunt: "Crassus, quoniam est tam iuris peritus, quam orator, omnia iuris præcepta *acute* describet, quod est proprium iuris periti; et ea acute descripta ornatu orationis illustrabit, quod officium est oratoris."

soliumque] Sic Pal. pr., sec., Pith., Z, Erl., et sic recte vulgo post Gruter. In solio patrumfamilias sedentes ICti consulentibus respondere solebant; vid. III. 33. 133, I. Legg. 3. 10; cfr. II. 55. 226. — *solitudinemque* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo olim inde ab antiquiss. edd., cui lectioni repugnat locus a Schuetzio laudatus I. 45. 199.

causisque discedere; sed, ut ipsi soleo dicere, non licebit. Neque enim ipse auxilium suum saepe a viris bonis frustra implorari patietur, neque id aequo animo feret civitas, quae, si voce L. Crassi carebit, ornamento quodam sese spoliatam putabit.

Nam hercle, inquit Antonius, si haec vere a Catulo dicta sunt, tibi mecum in eodem est pistrino, Crasse, vivendum; et istam oscitantem [et dormitantem][1] sapientiam Scaevolarum et ceterorum beatorum otio concedamus.

145. Arrisit hic Crassus leniter et, Pertexe modo, inquit, Antoni, quod exorsus es. Me tamen ista oscitans sapientia, simul atque ad eam confugero, in libertatem vindicabit.

XXXIV. Huius quidem loci, quem modo sum exorsus, hic est finis, inquit Antonius, quoniam intelligitur, non in hominum innumerabilibus personis neque in infinita temporum varietate, sed in generum causis atque naturis omnia sita esse, quae in dubium vocarentur; genera autem esse definita, non solum numero, sed etiam paucitate, ut eam materiem orationis, quae cuiusque esset generis, studiosi qui essent dicendi, omnibus locis descriptam, instructam ornatamque comprehenderent, rebus dico et sententiis. 146. Eae vi sua verba parient, quae semper

---

§. 144. *Nam hercle*] Vide ad I. 22. 101; cfr. I. Verr. 51. 133, II. 29. 72. — *Et dormitantem*, quod omittunt Pal. pr., sec., Memm., Pith., Z, glossema verbi *oscitantem* esse videtur. — *et dormientem* Havn. B, a.

sapientiam Scævolarum] Cfr. I. 10. 39, ubi Scævola dicit: *hæc iura civilia, quæ iam pridem in nostra familia — versantur*. De Iurisprudentia Muciana scripsit Franc. Balduinus, Basil. 1558. 8.

Cap. XXXIV. §. 146. *verba parient*] Sic Vet. Steph. al. et vulgo inde ab Ald. — *verba pariant* edd. antiqu. — *verba rapiant* Havn. uterq., Guelf. B, C. — *verba pient* alter Steph. cod., a et Sch. ex Heusingeri emendatio

satis ornata mihi quidem videri solent, si eiusmodi sunt, ut ea res ipsa peperisse videatur. Ac si verum quaeritis, quod mihi quidem videatur (nihil enim aliud affirmare possum, nisi sententiam et opinionem meam), hoc instrumentum causarum et generum universorum in forum deferre debemus neque, ut quaeque res delata ad nos erit, tum denique scrutari locos, ex quibus argumenta eruamus; quae quidem omnibus, qui ea mediocriter modo considerarint, studio adhibito et usu pertractata esse possunt; sed tamen animus referendus est ad ea capita et ad illos, quos saepe iam appellavi, locos, ex quibus omnia ad omnem orationem inventa ducuntur. 147. Atque hoc totum est sive artis, sive animadversionis, sive consuetudinis, nosse regiones, intra quas venere et pervestiges, quod quaeras. Ubi eum locum omnem cogitatione saepseris, si modo usu rerum percallueris, nihil te effugiet, atque omne, quod erit in re, occurret atque incidet.

XXXV. Et sic, quum ad inveniendum in dicendo tria sint, acumen, deinde ratio, quam licet, si volumus, appellemus artem, tertium diligentia: non possum equidem non ingenio primas concedere; sed tamen ipsum ingenium diligentia etiam ex tarditate incitat; 148. diligentia, inquam, quae quum omnibus in rebus tum in causis defendendis plurimum valet. Haec praecipue colenda est nobis, haec sem-

---

qui comparat III. Fin. 5. 19; sed huius loci aliam esse rationem recte observavit Muellerus.

§. 147. *usu rerum*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C (non *omnes codd.*, ut dicit Or.), Sch., Harl., Mueller, Or., et sic quosdam legendum esse arbitrari iam Lambinus adnotavit. — Plerique codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss. *usum rerum*, quod temere retinuit Olsh. Potest aliquis *linguas, disciplinas, leges* percallere (vide Lexx.), *usum* percallere *non potest*.

per adhibenda, haec nihil est quod non assequatur. Causa ut penitus, quod initio dixi, nota sit, diligentia est; ut adversarium attente audiamus atque ut eius non solum sententias, sed etiam verba omnia excipiamus, vultus denique perspiciamus omnes, qui sensus animi plerumque indicant, diligentia est; 149. [id tamen dissimulanter facere, ne sibi ille aliquid proficere videatur, prudentia est;] deinde ut in iis locis, quos proponam paullo post, pervolvatur animus, ut penitus insinuet in causam, ut sit cura et cogitatione intentus, diligentia est; ut his rebus adhibeat, tamquam lumen aliquod, memoriam, ut vocem, ut vires, diligentia est. 150. Inter ingenium quidem et diligentiam perpaullulum loci reliquum est arti. Ars demonstrat tantum, ubi quaeras, atque ubi sit illud, quod studeas invenire; reliqua sunt in cura, attentione animi, cogitatione, vigilantia, assiduitate, labore; complectar uno verbo, quo saepe iam usi sumus, diligentia; qua una virtute omnes virtutes reliquae continentur. 151. Nam orationis quidem copia videmus ut abundent philosophi, qui, ut opinor (sed tu haec, Catule, melius), nulla

---

Cap. XXXV. §. 149. *id tamen dissimulanter facere — prudentia est*] Hæc verba, quæ ab interpolatore profecta esse idoneis argumentis probavit Sch., delevit Muellerus; nos cum Orellio uncis inclusimus.

ut penitus insinuet] Vulgo: *ut se penitus insinuet;* sed pronomen omittunt Havn. uterq., Vet. Steph., Mead., Harl. 1, omnes Oxx., cod. Traiectin. ap. Drakenb. ad Liv. IX. 2, 8, Guelf. A, B, C, Erl., edd. antiquiss. et Pearc. in ed. sec. Cfr. ad I. 20. 90; uncis inclusit Orell. — *ut penitus insinuetur* cod. Barb. ap. Garaton. ad V Philipp. 3 p. 103 Wernsd.

vires, diligentia est] Sic ex Ernestii coni. ediderunt Sch., Mueller et Or. — Vulgo codd. et edd. *vir., hæc magna sunt;* sed primum hæc verba in nonnullis antiquioribus codd. (Z, Guelf. A, Erl.) desunt, unde librariorum negligentiam interpolatione suppletam suspicari licet; tum priorum membrorum clausula Ernestii coniecturam magnopere commendat; denique (ut observavit Sch.) memoriæ, vocis, virium in dicendo usum recte ad diligentiam referri patet ex I. 34. 156 sq.

dant praecepta dicendi, nec idcirco minus, quaecunque res proposita est, suscipiunt, de qua copiose et abundanter loquantur.

XXXVI. 152. Tum Catulus, Est, inquit, ut dicis, Antoni, ut plerique philosophi nulla tradant praecepta dicendi et habeant paratum tamen, quid de quaque re dicant. Sed Aristoteles, is, quem maxime ego admiror, proposuit quosdam locos, ex quibus omnis argumenti via non modo ad philosophorum disputationem, sed etiam ad hanc, qua in causis utimur, inveniretur; a quo quidem homine iamdudum, Antoni, non aberrat oratio tua, sive tu similitudine illius divini ingenii in eadem incurris vestigia, sive etiam illa ipsa legisti atque didicisti, quod quidem magis verisimile videtur. Plus enim te operae Graecis dedisse rebus video, quam putaramus.

153. Tum ille, Verum, inquit, ex me audies, Catule. Semper ego existimavi iucundiorem et probabiliorem huic populo oratorem fore, qui primum quam minimam artificii alicuius, deinde nullam Graecarum rerum significationem daret. Atque ego idem existimavi pecudis esse, non hominis, quum tantas res Graeci susciperent, profiterentur, agerent, seseque et videndi res obscurissimas et bene vivendi et copiose dicendi rationem hominibus daturos pollice-

---

Cap. XXXVI. §. 152. *Sed Aristoteles*] Aristoteles hæc proposuit in Topicis. Cfr. Ciceronis Topic. init.

argumenti via] Sic Pal. pr., sec., Pith., Memm. membr., edd. antiquiss. (præter Lott.), Steph. et recentt. post Gruterum. — *argumenti* (om. *via*) Z, cuius margini recentior manus adscripsit: *vis et ratio.* — *argumenti ratio* β, δ (suprascr. *argumentatio*), Guelf. A, Lamb. — *argumentandi ratio* duo Lambini codd., margo repett. Lambb. — *argumentandi via* unus Lamb. cod. — *ratio argumento* Havn. B. — *argumentatio* Havn. A (in cuius marg. "al. *argumentandi vis*"), α, γ, ε, Guelf. B, C, Lott., Ald., Iunt., Crat., Man. — *argumenti via ac ratio* leg. esse suspicatur Mueller.

§. 153. *et videndi res obscur.*] Vide ad I. 15. 68.

rentur, non admovere aurem et, si palam audire eos non auderes, ne minueres apud tuos cives auctoritatem tuam, subauscultando tamen excipere voces eorum et procul, quid narrarent, attendere. Itaque feci, Catule, et istorum omnium summatim causas et genera ipsa gustavi.

XXXVII. 154. Valde hercule, inquit Catulus, timide, tamquam ad aliquem libidinis scopulum, sic tuam mentem ad philosophiam appulisti, quam haec civitas aspernata nunquam est. Nam et referta quondam Italia Pythagoreorum fuit, tum, quum erat in hac gente magna illa Graecia; — ex quo etiam quidam Numam Pompilium, regem nostrum, fuisse Pythagoreum ferunt, qui annis permultis ante fuit quam ipse Pythagoras; quo etiam maior vir habendus est, quum illam sapientiam constituendae civitatis duobus prope seculis ante cognovit, quam eam Graeci natam

---

Cap. XXXVII. §. 154. *tamquam ad aliquem libidinis scopulum*] Post *tamquam* intellige *navem*, quod voc. nonnulli interpp. Ciceronis verbis addendum putabant; sed cfr. Matth. ad Cic. Catil. I. 2. 4. — Verbis *ad aliq. libidinis scopulum* alludi videtur vel ad Sirenum scopulos vel ad Circes insulam. Homer. Odyss. *κ.* 133 sqq., *μ.* 39 sqq., 154 sqq.; cfr. Cic. V Fin. 18. 49.

referta — Italia Pythagoreorum fuit]De Pythagora eiusque schola vide ad I. 10. 42; cfr. Tusc. I. 16. 38, IV. 1. 2, V. 4. 10. Imprimis Metapontum, Heraclea, Sybaris, Croton, Magnæ Græciæ urbes, Pythagoricis scholis nobilitatæ erant. Vulgatam illam et antiquam fabulam de Numa Pythagoreo commemorant et refutant tum alii scriptores (v. c. Liv. I. 18, XL. 29, Dionys. Halic. A. R. II. 59), tum Cic. II. de repl. 15: *Falsum est id totum. — Nam quartum iam annum regnante L. Tarquinio Superbo Sybarim et Crotonem et in eas Italiæ partes Pythagoras venisse reperitur. Olympias enim secunda et sexagesima eadem Superbi regni initium et Pythagoræ declarat adventum. Ex quo intelligi, regiis annis dinumeratis, potest, anno fere centesimo et quadragesimo post mortem Numæ primum Italiam Pythagoram attigisse; neque hoc inter eos, qui diligentissime persecuti sunt temporum annales, ulla est unquam in dubitatione versatum.* Cfr. Tusc. Disputt. II. cc.

quum — cognovit] Sic vulgo legitur, neque desunt

esse senserunt; — et certe non tulit ullos haec civitas aut gloria clariores aut auctoritate graviores aut humanitate politiores P. Africano, C. Laelio, L. Furio, qui secum eruditissimos homines ex Graecia palam semper habuerunt. 155. Atque ego ex istis saepe audivi, quum dicerent, pergratum Athenienses et sibi fecisse et multis principibus civitatis, quod, quum ad senatum legatos de suis maximis rebus mitterent, tres

---

exempla indicativi post *quum* magis causale (i. q. *quoniam, quod*) quam temporale positi; vid. Ellendt ad Cic. Brut. 36. 138; cfr. Ramshorn Gr. p. 611 sq. Hoc tamen loco *quum — cognovit* ex *quum — cognorit* vel *quod — cognovit* librariorum culpa facile oriri potuit.

P. Africano, C. Lælio, L. Furio] Velleius Paterc. I. 13: *P. Corn. Scipio Africanus minor tam elegans liberalium studiorum omnisque doctrinæ et auctor et admirator fuit, ut Polybium Panætiumque, præcellentes ingenio viros, domi militiaque secum habuerit*; cfr. Cic. p. Muren. 31. 66, II. Acad. 2. 5, I. Off. 26. 90 ibiq. Beier, I. de repl. 21 ibiq. intt., Ellendt prolegg. p. XXVIII. — *C. Lælius Sapiens* (de quo vide ad I. 48. 211) Diogenem Stoicum et Panætium audierat. Cic. II. Fin. 8. 24. — *L. Furius Philus* (alii *Publii* prænomen ei fuisse dicunt; vide Beierum ad III. Off. 30. 109 p. 391; sed *Lucius* est etiam in libb. de repl. v. c. I. 11, III. 3 et 5), Lælio amicissimus (Cic. Læl. 27. 101), cos. a. U. 618 (136) cum Sex. Atilio Serrano de Numantino foedere quæsivit (Cic. de repl. III. 18, Off. l. c.). Latine loqui perbene putabatur litteratiusque quam ceteri eiusdem ætatis oratores, Brut. 28. 108. Astronomiæ eum studiosum fuisse cognoscitur e Cic. de repl. I. 11; cfr. Maii prosopogr. dialogg. de repl. — Horum triumvirorum ingenium doctrinamque etiam pro Arch. 7. 16 et philosophiæ studium p. Muren. 31. 66, III. de repl. 3 prædicat Cicero.

§. 155. *legatos de suis maximis rebus*] P. Cornelio Scipione Nasica II, M. Claudio Marcello II coss. (Cic. II. Acad. 45. 137) a. U. 599 = 155 a. Chr. Athenienses, quibus ob Oropum direptam Sicyonii, a senatu huius rei iudices dati, quingentorum talentorum multam irrogaverant, legatos Romam ad senatum miserunt, per quos impetrarent, ut hæc multa ipsis remitteretur. Hi legati erant tres philosophi ea ætate nobilissimi, *Carneades* Cyrenæus, academicus, divina quadam celeritate ingenii dicendique copia (III. 18. 68; cfr. II. 38. 161, II. Acad. 18. 60), *Critolaus* peripateticus (V Fin. 5. 14) et *Diogenes* Babylonius, stoicus (II. 38. 157 sqq., III. Fin. 10. 33). Hi dum senatus sententiam exspectant, quotidie magno conventu hominum de variis quæstionibus dispu-

illius aetatis nobilissimos philosophos misissent, Carneadem et Critolaum et Diogenem. Itaque eos, dum Romae essent, et a se et ab aliis frequenter auditos; quos tu quum haberes auctores, Antoni, miror, cur philosophiae, sicut Zethus ille Pacuvianus, prope bellum indixeris.

156. Minime, inquit Antonius; ac sic decrevi philosophari potius, ut Neoptolemus apud Ennium, *paucis; nam omnino haud placet.* Sed tamen haec est mea sententia, quam videbar exposuisse. Ego ista studia non improbo, moderata modo sint; opinionem istorum studiorum et suspicionem artificii apud eos, qui res iudicent, oratori adversariam esse arbitror. Imminuit enim et oratoris auctoritatem et orationis fidem.

---

tabant magnamque sui admirationem apud omnes, qui audiebant, movebant; sed Catone auctore, qui Græcam doctrinam Romanis moribus perniciosam putabat, a senatu urbe excedere iussi sunt. De hac legatione veterum scriptt. locos collegit R. Kuehner in comment. de M. T. Ciceronis in philosophiam eiusque partes meritis, Hamb. 1825, p. 9.

sicut Zethus ille Pacuvianus] Cum h. l. cfr. Cic. I. de repl. 18: *Atque idem* (Sex. Ælius) *Zethum illum Pacuvii nimis inimicum doctrinæ esse dicebat; magis eum delectabat Neoptolemus Ennii, qui se ait philosophari velle, sed paucis; nam omnino haud placere.* In Pacuvii fabula Antiopa Zethus, Iovis ex Antiopa filius, cum Amphione fratre musicæ studioso altercans inducebatur: *quorum controversia quum de musica introducta esset, disputatio in sapientiæ rationem et virtutis utilitatem consummabatur,* Auct. ad Herenn. II. 27. 43; cfr. de Invent. I. 50. 94. Hanc litem respicit Horatius I. Epp. 18. 41 sqq. De *Pacuvio* vide ad I. 58. 246. Hanc autem Pacuvii tragoediam, ut alias poetarum Latinorum fabulas, ad verbum de Græca Euripidis expressam fuisse significat Cic. I. Fin. 2. 4. De Euripidis Antiope vide Valckenari diatriben in Eurip. deperditor. dramat. reliqq. c. 7 sqq.

§. 156. *Neoptolemus apud Ennium*] Neoptolemus, Achillis filius, in Ennii fabula Neoptolemo *degustandum ex philosophia censet, non in eam ingurgitandum,* ut ait Gellius N. A. V. 16, qui V. 15 extr. Ennianum versum ita affert:

Philosophandum est paucis; nam omnino haud placet.

Cfr. Cic. II. Tusc. 1 init., de repl. I. c.

XXXVIII. 157. Sed ut eo revocetur, unde huc declinavit oratio, ex tribus istis clarissimis philosophis, quos Romam venisse dixisti, videsne Diogenem eum fuisse, qui diceret artem se tradere bene disserendi et vera ac falsa diiudicandi, quam verbo Graeco *διαλεκτικὴν* appellaret? In hac arte, si modo est haec ars, nullum est praeceptum, quo modo verum inveniatur, sed tantum est, quo modo iudicetur. 158. Nam et omne, quod eloquimur sic, ut id aut esse dicamus aut non esse, et si simpliciter dictum sit, suscipiunt dialectici, ut iudicent, verumne sit an falsum; et si coniuncte sit elatum, et adiuncta sint alia, iudicent, rectene adiuncta sint, et verane summa sit uniuscuiusque rationis; et ad extremum ipsi se compungunt suis acuminibus et multa quaerendo reperiunt non modo ea, quae iam non possint ipsi dis-

---

Cap. XXXVIII. §. 157. *Diogenem eum fuisse*] Sic Havn. uterq., Mead., Cant., Z, δ a sec. manu, s, Erl., Guelf. A, C, Steph., Lamb., Pearc., Harl., Mueller. Vulgo *eum* om. inde ab antiquiss. edd. Orellius h. v. uncis inclusit.

διαλεκτικὴν appellaret] Cfr. Cic. Brut. 41. 152, ubi dialecticam dicit esse artem, *quæ doceat rem universam tribuere in partes, latentem explicare definiendo, obscuram explanare interpretando, ambigua primum videre, deinde distinguere; postremo habere regulam, qua vera et falsa iudicentur, et quæ quibus positis sint quæque non sint consequentia.*

§. 158. *Nam et omne — sic, ut — et si*] Hanc plurimorum codd. et vulg. edd. lectionem sic defendere conatur Matthiae in Seebodii Misc. Crit. I. p. 681, ut dicat, sibi respondere hæc membra: *et omne quod eloquimur — et ad extremum;* priori tamquam generi partes subiecta esse hæc: *et si simpliciter dictum sit — et si coniuncte sit elatum.* Sed duram esse hanc rationem quivis facile sentit, neque equidem dubito, quin aliquid vitii loco insit, sed nihil mutare audeo. — *et* ante *omne*, quod a Guelf. A abest, delendum censuit Ern., delerunt Sch. et Mueller, qui deinceps e coni. *id si* pro *et si* ediderunt. — *nam est omne* coni. Wyttenbach. in Bibl. crit. I. 1 p. 20. — Pro *sic ut* in Pal. pr., Mem. membr., γ exstat *fit ut*, et sic edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Pearc., qui in adnot. ad h. l. probat coni. P. Fabri ad II. Acad. 4. 10: *nam et omne, quod eloquimur, eloquimur sic ut.* — *sit, ut* Cant., δ.

solvere, sed etiam quibus ante exorsa et potius detexta prope retexantur. 159. Hic nos igitur Stoicus iste nihil adiuvat, quoniam, quemadmodum inveniam, quid dicam, non docet; atque idem etiam impedit, quod et multa reperit, quae negat ullo modo posse dissolvi, et genus sermonis affert non liquidum, non fusum ac profluens, sed exile, aridum, concisum ac minutum. Quod si qui probabit, ita probabit, ut oratori tamen aptum non esse fateatur. Haec enim nostra oratio multitudinis est auribus accommodanda, ad oblectandos animos, ad impellendos, ad ea probanda, quae non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur. 160. Quare istam artem totam dimittamus, quae in excogitandis argumentis muta nimium est, in iudicandis nimium loquax. Critolaum istum, quem simul cum Diogene venisse commemoras, puto plus huic studio nostro prodesse potuisse. Erat enim ab isto Aristotele, a cuius inventis tibi ego videor non longe aberrare. Atque inter hunc Aristotelem (cuius et illum legi librum, in quo exposuit dicendi artes omnium superiorum, et illos,

---

§. 159. *quæ negat*] Sic Mead., Harl. uterq., Cant., Norf., Z, β, δ, ε, Erl., Guelf. A, edd. antiquiss., Pearc., Mueller, Olsh. — *quæ neget* Havn. uterq. al., et sic vulgo edd. — Paullo infra *quod si qui probabit* Havn. A, Guelf. A, B, C, Or. Vulgo *quod si quis probabit.*

§. 160. *et illum legi librum*] Cfr. Cic. II. de Invent. 2. 6: *Ac veteres quidem scriptores artis, usque a principe illo atque inventore Tisia repetitos, unum in locum conduxit Aristoteles et nominatim cuiusque præcepta magna conquisita cura perspicue conscripsit atque enodata diligenter exposuit; ac tantum inventoribus ipsis suavitate et brevitate dicendi præstitit, ut nemo illorum præcepta ex ipsorum libris cognoscat, sed omnes, qui, quod illi præcipiant, velint intelligere, ad hunc quasi ad quendam multo commodiorem explicatorem revertantur.* Significat autem Aristotelis τεχνῶν συναγωγήν, quem unum librum fuisse tradit Anonym. in vita Aristot. a Menagio ad Diog. Laert. V. 35 edita, duos commemorat Diog. Laert. V. 24. — *Et illos in quibus* etc. Intelligit libros rhetoricos.

in quibus ipse sua quaedam de eadem arte dixit) et hos germanos huius artis magistros: hoc mihi visum est interesse, quod ille eadem acie mentis, qua rerum omnium vim naturamque viderat, haec quoque adspexit, quae ad dicendi artem, quam ille despiciebat, pertinebant. Illi autem, qui hoc solum colendum ducebant, habitarunt in hac una ratione tractanda, non eadem prudentia, qua ille, sed usu in hoc uno genere studioque maiore. 161. Carneadi vero vis incredibilis illa dicendi et varietas perquam esset optanda nobis; qui nullam unquam in illis suis disputationibus rem defendit, quam non probarit, nullam oppugnavit, quam non everterit. Sed hoc maius est quiddam, quam ab iis, qui haec tradunt et docent, postulandum sit.

XXXIX. 162. Ego autem, si quem nunc plane rudem institui ad dicendum velim, his potius tradam assiduis uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus, qui omnes tenuissimas particulas atque omnia minima mansa, ut nutrices infantibus pueris, in os inserant. Sin sit is, qui et doctrina mihi liberaliter institutus et aliquo iam imbutus usu et satis acri ingenio esse videatur, illuc eum rapiam, ubi non seclusa aliqua aquula teneatur, sed unde universum flumen erumpat; qui illi sedes et tamquam domicilia omnium argumentorum commonstret et ea breviter illustret verbisque definiat. 163. Quid est enim, in quo haereat, qui viderit, omne, quod suma-

§. 161. *Carneadi*] Sic Havn. A, quattuor Oxx., Guelf. A, ed. s. l. et a., Ven., Sch. in ed. mai. — Vulgo *Carneadis*; vide supra ad I. 19. 88, II. 22. 93. Etiam infra III. 21. 80 *Carneadi* exhibent Havn. uterq., Oxx. fere omnes a Cockm. collati, ψ, Erl., et sic ibi pro vulg. *Carneadis* ediderunt Sch., Mueller, Orell.

Cap. XXXIX. §. 163. *Quid est enim*] Sic Mueller. *Vulgo quid enim est.* Cfr. Krebs Latein. Schulgramm. §. 511.

tur in oratione aut ad probandum aut ad refellendum, aut ex sua sumi vi atque natura, aut assumi foris? Ex sua vi, quum aut res quae sit tota quaeratur, aut pars eius, aut vocabulum quod habeat, aut quidpiam, rem illam quod attingat; extrinsecus autem, quum ea, quae sunt foris neque inhaerent in rei natura, colliguntur. 164. Si res tota quaeritur, definitione universa vis explicanda est sic: *Si maiestas est amplitudo ac dignitas civitatis, is eam minuit, qui exercitum hostibus populi Romani tradidit, non qui eum, qui id fecisset, populi Romani potestati tradidit.* 165. Sin pars, partitione, hoc modo: *Aut senatui parendum de salute rei publicae fuit, aut aliud consilium instituendum, aut sua sponte faciendum. Aliud consilium, superbum; suum, arrogans. Utendum igitur fuit consilio senatus.* Si ex vocabulo, ut Carbo: *Si consul est, qui consulit patriae, quid aliud fecit Opimius?* 166. Sin ab eo, quod rem attingat, plures sunt argumentorum sedes ac loci. Nam et coniuncta quaeremus et genera et partes generibus subiectas et similitudines et dissimilitudines et contraria et consequentia et consentanea et quasi praecurrentia et repugnantia, et causas rerum vestigabimus et ea, quae ex causis orta sunt; et maiora, paria, minora quaeremus.

XL. 167. Ex coniunctis sic argumenta ducuntur: *Si pietati summa tribuenda laus est, debetis*

Paullo ante in verbis *qui illi sedes* pronom. relat. referendum est ad *illuc* et *unde;* oratio enim variatur pro: ad illum dicendi auctorem eum ducam, a quo — qui.

§. 164. *Si maiestas est*] Exemplum ex Antonii oratione pro Norbano desumptum videtur; cfr. ad II. 47. 197 et Partit. orat. 30. 104 sqq.

§. 165. *Si ex vocabulo*] Sic Guelf. A, Sch., Harl., Mueller, Or. — Vulgo: *sin ex voc.* Exemplum ex Carbonis consulis oratione pro Opimio petitum est. Vide ad II. 25. 106.

moveri, quum Q. Metellum tam pie lugere videatis. Ex genere autem: *Si magistratus in populi Romani potestate esse debent, quid Norbanum accusas; cuius tribunatus voluntati paruit civitatis?* 168. Ex parte autem ea, quae est subiecta generi: *Si omnes, qui rei publicae consulunt, cari nobis esse debent, certe in primis imperatores, quorum consiliis, virtute, periculis retinemus et nostram salutem et imperii dignitatem.* Ex similitudine autem: *Si ferae partus suos diligunt, qua nos in liberos nostros indulgentia esse debemus?* 169. At ex dissimilitudine: *Si barbarorum est in diem vivere, nostra consilia sempiternum tempus spectare debent.* Atque utroque in genere et similitudinis et dissimilitudinis exempla sunt ex aliorum factis aut

---

Cap. XL. §. 167. *Q. Metellum*] Numidici filium, qui a pietate in patrem *Pii* cognomen tulit. Anno enim U. 654 (100) C. Mario VI, L. Valerio Flacco coss., quum L. Appuleius Saturninus, trib. plebis, Mario auctore legem agrariam per vim tulisset atque senatum in eam iurare coegisset, Q. Caecil. Metello Numidico, qui solus in legem iurare noluerat, diem dixit; qui quum a bonis civibus defenderetur, ne causa certaminum esset, in exsilium voluntarium Rhodum (vel, ut alii tradunt, Smyrnam) profectus est. Profecto C. Marius, vetus eius inimicus, aqua et igni interdixit. Liv. epit. 69. Sed eodem anno, occiso Saturnino eiusque sociis, quum senatum omnesque bonos tanti viri desiderium caperet, Q. Metellus, Numidici filius, flens et sordidatus pro patris reditu populo supplicavit nec dubitavit ad P. Furii trib. pl. pedes accidere. Neque tamen, contra nitentibus C. Mario et tribuno pl., aliud consecutus est quam meritum Pii cognomen; sed anno U. 655 (99) Q. Calidii lege (Cic. p. Planc. 28. 69) Metellus Numidicus ab exsilio ingenti totius civitatis favore reductus est. Vide Diodor. Sic. excerpt. p. 609 Wessel., Plutarch. in Mario 29 et 31, Appian. B. C. I. 29 sqq.; cfr. Cic. p. Sestio 16. 37, Liv. l. c., Vell. Paterc. II. 15, Valer. Max. III. 8. 4, Flor. III. 16, Aurel. Victor de VV. Illustr. 62. — *Q. Caecilius Metellus Pius* bello sociali legatus Q. Pompaedium, sociorum ducem, vicit (Appian. B. C. I. 53); post consulatum a. U. 674 (80) cum Sulla gestum in Hispania adversus Sertorium bellavit atque a. U. 683 (71) ex Hispania triumphavit; v. Liv. epit. 91 sqq., Aurel. Victor l. c. 63, Plutarch. Sertor. 12 sqq., Appian. B. C. I. 108 sqq.

dictis aut eventis, et fictae narrationes saepe ponendae. Iam ex contrario: *Si Gracchus nefarie, praeclare Opimius.* 170. Ex consequentibus: *Si et ferro interfectus ille, et tu inimicus eius cum gladio cruento comprehensus es in illo ipso loco, et nemo praeter te ibi visus est, et causa nemini, et tu semper audax: quid est, quod de facinore dubitare possimus?* Ex consentaneis et praecurrentibus et repugnantibus, ut olim Crassus adolescens: *Non si Opimium defendisti, Carbo, idcirco te isti bonum civem putabunt. Simulasse te et aliud quid quaesisse perspicuum est, quod Ti. Gracchi mortem saepe in concionibus deplorasti, quod P. Africani necis socius fuisti, quod eam legem in tribunatu tulisti, quod semper a bonis dissedisti.* 171. Ex

---

§. 170. *ut olim Crassus adolescens*] Cfr. ad I. 10. 40, 26. 121. — De *Carbone*, Opimii defensore, vide ad II. 25. 106.

et aliud quid] *et aliquid* Vet. Steph., Guelf. A, prob. Heusing.; recepit Sch. Sed vid. Ellendt ad Brut. 82. 285. — *quid* om. Guelf. B.

Tib. Gracchi mortem deplorasti] Cfr. ad II. 25. 106. — *quod P. Africani necis socius fuisti.* Africanus quum a. U. 625 (129) M. Fulvio Flacco, C. Graccho et C. Carboni triumviris agro dividundo adversaretur fortisque ac validus domum se recepisset (cfr. Cic. Læl. 3. 12), mane mortuus in cubiculo inventus est, ita ut quædam elisarum faucium in cervice reperirentur notæ. Alii eum veneno a Sempronia uxore, Gracchorum sorore, sublatum dicebant, alii Carbonem, alii Fulvium Flaccum necis auctorem ferebant. De morte tamen eius nulla quæstio habita est. Cic. p. Mil. 7. 16, Liv. epit. 59, Vell. Paterc. II. 4. Etiam ad Fam. IX. 21 Carbonem P. Africano vim attulisse existimatum esse tradit Cicero; cfr. ad Quint. Fratr. II. 3. 4. De morte Scipionis Africani minoris eiusque auctoribus scripsit Vitus Theophilus Scheu, cuius commentatio excursus loco Beierianæ editioni Lælii adiuncta est.

quod eam legem] Anno U. 623 (131) C. Carbo tribunus pl. legem tulit de tribunis plebis reficiendis, s. ut eundem tribunum plebi, quoties vellet, creare liceret. Hanc legem Africanus gravissima oratione dissuasit, C. Gracchus contra suasit rogationem; sed Scipio tenuit. Cic. Læl. 25. 96, Liv. epit. 59.

dissedisti] Sic Mem., Pith., Z, Erl., Guelf. A, Gronov.

causis autem rerum sic: *Avaritiam si tollere vultis, mater eius est tollenda luxuries.* Ex iis autem, quae sunt orta de causis: *Si aerarii copiis et ad belli adiumenta et ad ornamenta pacis utimur, vectigalibus serviamus.* 172. Maiora autem et minora et paria comparabimus sic: ex maiore: *Si bona existimatio divitiis praestat, et pecunia tanto opere expetitur, quanto gloria magis est expetenda?* Ex minore sic:

Hic parvae consuetudinis
Causa huius mortem tam fert familiariter;
Quid si ipse amasset? quid mihi hic faciet patri?

Ex pari sic: *Est eiusdem et eripere et contra rem publicam largiri pecunias.* 173. Foris autem assumuntur ea, quae non sua vi, sed extranea sublevantur, ut haec: *Hoc verum est; dixit enim Q. Lutatius. Hoc falsum est; habita enim quaestio*

---

et recentt. post Sch. — *discessisti* cod. Pighii. — *dissensisti* vulgo codd. (etiam Havn. A; in Havn. B corrupte *assumpsisti*) et edd.

§. 172. *ex maiore*] Recte Lambinus: "Si quis attente considerabit, reperiet, hoc argumentum esse a minore, non a maiore."

Hic parvae consuetudinis etc.] Hi versus sunt e Terentii Andria I. 1. 83. — *tam fert* Havn. uterq., Guelf. A, B, C, Lamb., le Clerc, Or.; et sic codd. et edd. Terentii. — Vulgo: *fert tam.*

Ex pari sic]. *Sic* om. Havn. uterq., Guelf. B, C, Vet. Steph., Erl., Sch. in ed. mai., Olsh. Etiam supra ante Terentii versus part. *sic* omittunt Guelf. A, Sch. in ed. mai. et Olsh.

et eripere et contra rem publicam largiri pec.] Ita Vet. Steph., Mead., Norf., γ (hi tres pro *rempublicam* exhibent *rem)*, δ e correct. (*elargiri* et sic Pearc.), Guelf. A, Pearc. et recentt. post Sch. — *et eripere et contra rempubl. et largiri pec.* Z, Erl. (in quibus est *rem)*, Harl. 1. — Vulgo: *et eripere contra rempubl. et largiri pecunias;* sed neque pecunia unquam eripitur e republica, neque largitio ipsa per se vitiosa est, sed tum, quum contra rempublicam fit.

§. 173. *Q. Lutatius*] *Catulus*, vir gravis et fide dignissimus. Fortasse significatur is, qui huic sermoni interest.

est. Hoc sequi necesse est; recito enim tabulas. De quo genere toto paullo ante dixi.

XLI. 174. Haec ut brevissime dici potuerunt, ita a me dicta sunt. Ut enim si aurum cui, quod esset multifariam defossum, commonstrare vellem, satis esse deberet, si signa et notas ostenderem locorum, quibus cognitis ille sibi ipse foderet et id, quod vellet, parvulo labore, nullo errore inveniret: sic has ego argumentorum notas quaerenti demonstravi, ubi sint; reliqua cura et cogitatione eruuntur. 175. Quod autem argumentorum genus cuique causarum generi maxime conveniat, non est artis exquisitae praescribere, sed est mediocris ingenii iudicare. Neque enim nunc id agimus, ut artem aliquam dicendi explicemus, sed ut doctissimis hominibus usus nostri quasi quaedam monita tradamus. His igitur locis in mente et cogitatione defixis et in omni re ad dicendum posita excitatis, nihil erit, quod oratorem effugere possit, non modo in forensibus disceptationibus, sed

---

Cap. XLI. §. 174. *sic has ego argumentorum notas quaerenti demonstravi, ubi sint; reliqua*] Hanc lectionem, quam (om. *ego*) suasit Gruterus, et totius loci sententia flagitat (neque enim aliter comparatio sibi constat), et codicum auctoritas confirmat. Plerique codd. et vulgo edd.: *sic has ego argumentorum novi notas, quae illa mihi quaerenti demonstrant, ubi sint; reliqua.* Sed *novi* (quod ex voc. *notas* ortum videtur) om. Vet. Steph. — *argumentorum erui notas* Pal. pr., oct., *s*, ed. s. l. et a., Ven., marg. Crat. — *argumentorum quasi novi notas* e correct. in *Z* exstare dicit Pearc.; Cockm. vero invenit: *arg. quas novi notas.* — Tum *quae illa mihi* om. Pal. pr., sec., Pith., *Z*., Erl.; *illa mihi* om. Vet. Steph. — Denique *demonstravi* exhibet Pal. pr. item Z a correctore. — Similitudinem postulare, ut Antonius hic non de sua tantum cognitione dicat, sed de se alios docente, quum praecesserit: *si signa et notas ostenderem locorum*, recte observat Pearc., qui codicis Z, ut putat, auctoritatem secutus corrigit: *sic has ego argumentorum quasi notavi notas, quae quaerenti demonstrant, ubi sint; rel.*; Schuetzius et Muellerus ediderunt: *sic has ego arg. notavi notas, quae illa quaerenti demonstrant, ubi sint; rel.*

omnino in ullo genere dicendi. 176. Si vero assequetur, ut talis videatur, qualem se videri velit, et animos eorum ita afficiat, apud quos aget, ut eos, quocunque velit, vel trahere vel rapere possit: nihil profecto praeterea ad dicendum requiret.

Iam illud videmus nequaquam satis esse, reperire, quid dicas, nisi id inventum tractare possis. 177. Tractatio autem varia esse debet, ne aut cognoscat artem, qui audiat, aut defatigetur similitudinis satietate. Proponi oportet, quid afferas, et id quare ita sit ostendere, et ex iisdem illis locis interdum concludere, relinquere alias alioque transire; saepe non proponere ac ratione ipsa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare; si cui quid simile dicas, prius ut simile confirmes; deinde, quod agitur, adiungas; puncta argumentorum plerumque ut occulas, ne quis ea numerare possit, ut re distinguantur, verbis confusa esse videantur.

XLII. 178. Haec ut et properans et apud doctos et semidoctus ipse percurro, ut aliquando ad illa maiora veniamus. Nihil est enim in dicendo, Catule, maius, quam ut faveat oratori is, qui audiet, utque ipse sic moveatur, ut impetu quodam animi et perturbatione magis quam iudicio aut consilio regatur. Plura enim multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut

---

§. 176. *ita afficiat*]. Sic Mead., Harl. uterq., Oxx. omnes, Erl., edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man. et recentt. post Ern. — *afficiet* Havn. A (Havn. B *affici ut*), Lamb., Grut., prob. Olsh.

§. 177. *ex iisdem illis locis*]. Sic omnes codd. et vulgo edd. — *ex* omissum est in ed. Ern., typogr., ut videtur, errore, quem propagarunt Sch., Harl., Mueller.

verbis confusa] H. e. coniuncta, consociata. Sic II. Off. 3. 10: *Hæc tria, genere confusa, cogitatione distinguunt*; cfr. *ibi Beierum* p. 22, I. Off. 27. 95, I. Tusc. 11. 23, V Fin. 23. 67.

laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate, aut praescripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus. 179. Quare, nisi quid vobis aliud placet, ad illa pergamus.

Paullum, inquit Catulus, etiam nunc deesse videtur iis rebus, Antoni, quas exposuisti, quod sit tibi ante explicandum, quam illuc proficiscare, quo te dicis intendere.

Quidnam? inquit.

Qui ordo tibi placeat, inquit Catulus, et quae dispositio argumentorum, in qua tu mihi semper deus videri soles.

180. Vide, quam sim in isto genere, inquit, Catule, deus. Non mehercule mihi, nisi admonito, venisset in mentem; ut possis existimare, me in ea, in quibus nonnunquam aliquid efficere videor, usu solere in dicendo vel casu potius incurrere. Ac res quidem ista, quam ego, quia non noram, sic tamquam ignotum hominem praeteribam, tantum potest in dicendo, ut ad vincendum nulla plus possit. Sed tamen mihi videris ante tempus a me rationem ordinis et disponendarum rerum requisisse. 181. Nam si ego omnem vim oratoris in argumentis et in re ipsa per se comprobanda posuissem, tempus esset iam de ordine argumentorum et de collocatione aliquid dicere; sed quum tria sint a me proposita, de uno dictum: quum de duobus reliquis dixero, tum erit denique de disponenda tota oratione quaerendum.

XLIII. 182. Valet igitur multum ad vincendum, probari mores, instituta et facta et vitam eorum, qui agent causas, et eorum, pro quibus, et item im-

Cap. XLII. §. 178. *aut errore*] *aut terrore* γ, δ, Sch., Harl., sine causa. Cfr. Cic. Orat. 33. 118, Partit. orat. 11. 38.

probari adversariorum; animosque eorum, apud quos agetur, conciliari quam maxime ad benevolentiam tum erga oratorem tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus gestis, existimatione vitae, quae facilius ornari possunt, si modo sunt, quam fingi, si nulla sunt. Sed haec adiuvant in oratore, lenitas vocis, vultus pudoris significatio, verborum comitas, si quid persequare acrius, ut invitus et coactus facere videare. Facilitatis, liberalitatis, mansuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi signa proferri perutile est; eaque omnia, quae proborum, demissorum, non acrium, non pertinacium, non litigiosorum, non acerborum sunt, valde benevolentiam conciliant abalienantque ab iis, in quibus haec non sunt. Itaque eadem sunt in adversarios ex contrario conferenda. 183. Sed genus hoc totum orationis in iis causis excellet, in quibus minus potest inflammari animus iudicis acri et vehementi quadam incitatione. Non enim semper fortis oratio quaeritur, sed saepe placida, summissa, lenis, quae maxime commendat reos. Reos autem appello non eos modo, qui arguuntur, sed omnes, quorum de re disceptatur; sic enim olim loquebantur. 184. Horum igitur exprimere mores oratione, iustos, integros, religiosos, timidos, per-

---

Cap. XLIII. §. 182. *apud quos agetur*] Sic Vet. Steph., Guelf. A, Harl. 1, Pearc. in ed. tert. sqq., Sch., Or., idque h. l. aptius videtur, quum præcesserit *agent* et sequatur *dicet*. — Vulgo codd. et edd. *apud quos agitur*.

tum erga oratorem] Sic Havn. A, Guelf. A, edd. antiquiss. (de ed. s. l. et a. nihil adnotatum est), Sch., Mueller. — Vulgo: *quum erga oratorem*.

vultus pudoris significatio] Sic interpungunt Pearc., Sch., Or., qui conferunt II. 82. 333: *ingenii ostentationis suspicio* et interpretantur: *significatio pudoris in vultu*. Alii distinguunt: *vultus, pudoris significatio*. — Ern. delendum censet voc. *vultus*.

ferentes iniuriarum, mirum quiddam valet; et hoc vel in principiis vel in re narranda vel in perorauda tantam habet vim, si est suaviter et cum sensu tractatum, ut saepe plus quam causa valeat. Tantum autem efficitur sensu quodam ac ratione dicendi, ut quasi mores oratoris effingat oratio. Genere enim quodam sententiarum et genere verborum, adhibita etiam actione leni facilitatemque significanti, efficitur, ut probi, ut bene morati, ut boni viri esse videantur.

XLIV. 185. Huic autem est illa dispar adiuncta ratio orationis, quae alio quodam genere mentes iudicum permovet impellitque, ut aut oderint, aut diligant, aut invideant, aut salvum velint, aut metuant, aut sperent, aut cupiant, aut abhorreant, aut laetentur, aut moereant, aut misereantur, aut punire velint, aut ad eos motus deducantur, si qui finitimi sunt et propinqui his ac talibus animi perturbationibus. 186. Atque illud optandum est oratori, ut aliquam permotionem animorum sua sponte ipsi afferant ad causam iudices, ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius est enim currentem, ut aiunt, incitare, quam commovere languentem. Sin id aut non erit, aut erit obscurius, sicut medico diligenti,

---

Cap. XLIV. §. 185. *ad eos motus deducantur*] Ita Havn. uterq. (*deducentur* Havn. B), cod. in marg. repett. Lambb., Gruteriani et Oxx. omnes, Mead., Harl. uterq., Erl. (*diducantur* pr. manu), Steph., Lamb., Pearc., et probare videtur Beier ad Cic. Læl. 5. 20 p. 31. — *ad eos motus adducantur* Cant., edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man. et recentt. post Ern. — *ad eos m. abducantur* Gruterus, quod unde sumpserit nescio. — Cfr. c. 45. 189: *ut ad fletum misericordiamque deducatur*, ubi Lamb. *adducatur*; Sch., Mueller, Olsh. e cod. Traiectino ab Arntzenio ad Panegyricos commemorato *ducatur*. Plura exempla verbi *deducere* afferunt Pearc. ad h. l. et Sch. in Indice h. v. — Sæpe hæc verba in codd. confunduntur, cfr. Beier ad l. c. Læl. Sic infra 45. 189 extr. pro *adducere* Vet. Steph. exhibet *deducere*. — Pro *ad eos motus* Sch. e coni. edidit *ad aliquos motus*, sine causa, vid. Ellendt ad Brut. 69. 242.

priusquam conetur aegro adhibere medicinam, non solum morbus eius, cui mederi volet, sed etiam consuetudo valentis et natura corporis cognoscenda est: sic equidem, quum aggredior ancipitem causam et gravem ad animos iudicum pertractandos, omni mente in ea cogitatione curaque versor, ut odorer, quam sagacissime possim, quid sentiant, quid existiment, quid exspectent, quid velint, quo deduci oratione facillime posse videantur. 187. Si se dant et, ut ante dixi, sua sponte quo impellimus inclinant atque propendent: accipio, quod datur, et ad id, unde aliquis flatus ostenditur, vela do. Sin est integer quietusque iudex, plus est operis; sunt enim omnia dicendo excitanda, nihil adiuvante natura. Sed tantam vim habet illa, quae recte a bono poëta dicta est *flexanima atque omnium regina rerum,* oratio, ut non modo inclinantem excipere aut stantem inclinare, sed etiam adversantem et repugnantem, ut imperator bonus ac fortis, capere possit.

---

§. 187. *a bono poeta*] A Pacuvio in Hermione; vide Non. v. *flexanima* (cap. II. 349 p. 548 Gothofr.), qui poetæ Latini versum ita citat: *O flexanima atque omnium regina rerum oratio*; cfr. Quintil. I. 12. 18. Pacuvius autem respexisse videtur Euripideum illum versum: Πειθὼ δὲ, τὴν τύραννον ἀνθρώποις μόνην, Hecub. 799, ubi cfr. Porson (vs. 804) et Matth.

inclinantem excipere] Ita Pal. pr., sec., Mem., Pith., Z, Guelf. A, Erl., et sic edidit Or., qui verb. *excipere* explicat: "ad se trahere et inclinatum brachio veluti complecti"; sed hoc verbum parum aptum h. l. videtur; adversus loci sententiam est *erigere*, quod exhibent Havn. uterq., Oxx. plerique, Guelf. B, C, al., edd. inde ab antiquiss. usque ad Ern. et rursus Olsh., qui locum male sic explicat: "Orator potest et eum, quem defendit, reum periclitantem servare, et adversarium ferocem frangere, quem accusat, et denique capere repugnantem, plenamque victoriam reportare." De iudice, non de reo et adversario, sermonem esse, ea, quæ præcedunt, satis ostendunt. — *inclin. eripere* corrupte Vet. Steph. — *incl. impellere* e Crevierii coni. Lallem., Ern., Sch., Harl., Mueller.

XLV. 188. Haec sunt illa, quae me ludens Crassus modo flagitabat, quum a me divinitus tractari solere diceret et in causa M' Aquillii Caiique Norbani nonnullisque aliis quasi praeclare acta laudaret; quae mehercule ego, Crasse, quum a te tractantur in causis, horrere soleo. Tanta vis animi, tantus impetus, tantus dolor oculis, vultu, gestu, digito denique isto tuo significari solet, tantum est flumen gravissimorum optimorumque verborum, tam integrae sententiae, tam verae, tam novae, tam sine pigmentis fucoque puerili, ut mihi non solum tu incendere iudicem, sed ipse ardere videaris.

189. Neque fieri potest, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut invideat, ut pertimescat aliquid, ut ad fletum misericordiamque deducatur, nisi omnes ii motus, quos orator adhibere volet iudici, in ipso oratore impressi esse atque inusti videbuntur. Quod si fictus aliquis dolor suscipiendus esset, et si in eiusmodi genere orationis nihil esset nisi falsum atque imitatione simulatum, maior ars aliqua forsitan esset requirenda. Nunc ego, quid tibi, Crasse, quid ceteris accidat, nescio; de me autem, causa nulla est, cur apud homines prudentissimos atque amicissimos mentiar. Non mehercule unquam apud iudices aut dolorem, aut misericordiam, aut invidiam, aut odium

---

Cap. XLV. §. 188. *quum a me*] Sic Havn. uterq., Cant., Norf., Mead., Harl. uterq., *α*, *β*, *δ*, *ε*, Erl., edd. antiquiss., Lamb., Pearc., Ern., Sch., Harl., Olsh. — *quum ea a me* Mueller e coni. et Or. — *quae a me* vulgo ante Ern. inde ab Ald.

digito denique isto tuo] Cfr. Quintil. XI. 3. 94: *At quum tres contracti pollice premuntur, tum digitus ille, quo usum optime Crassum Cicero dicit, explicari solet. Is in exprobrando et indicando, unde et ei nomen est, valet, et allevata ac spectante humerum manu paullum inclinatus affirmat, versusque in terram et quasi pronus urget; aliquando pro numero est etc.*

§. 189. *apud iudices*] Hæc vocc. om. *β*, *δ* (in cuius

excitare dicendo volui, quin ipse in commovendis iudicibus iis ipsis sensibus, ad quos illos adducere vellem, permoverer. 190. Neque enim facile est perficere, ut irascatur ei, cui tu velis, iudex, si tu ipse id lente ferre videare; neque ut oderit eum, quem tu velis, nisi te ipsum flagrantem odio ante viderit; neque ad misericordiam adducetur, nisi ei tu signa doloris tui verbis, sententiis, voce, vultu, collacrimatione denique ostenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardescendum est, quae, nisi admoto igni, ignem concipere possit; sic nulla mens est tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quae possit incendi, nisi inflammatus ipse ad eam et ardens accesseris.

XLVI. 191. Ac ne forte hoc magnum ac mirabile esse videatur, hominem toties irasci, toties dolere, toties omni animi motu concitari, praesertim in rebus alienis; magna vis est earum sententiarum atque eorum locorum, quos agas tractesque dicendo, nihil ut opus sit simulatione et fallaciis. Ipsa enim natura orationis eius, quae suscipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipsum magis etiam quam quemquam eorum, qui audiunt, permovet. 192. Et ne hoc in causis, in iudiciis, in amicorum periculis, in concursu hominum, in civitate, in foro accidere miremur, quum agitur non solum ingenii nostri existimatio (nam id esset levius; quamquam, quum professus sis, te id posse facere, quod pauci, ne id qui-

---

tamen marg. addita sunt recent. manu), ε, Guelf. B, edd. antiquiss., Sch.

§. 190. *ei, cui tu*] Sic plerique codd. et edd. — *ei* om. β, ε, al., edd. antiquiss., Man., Grut., Ern.

accesseris] Sic nonnulli codd., edd. antiquiss., Man., Lamb. et vulgo post Grut. — *accesserit* Havn. uterq., Harl. 1, Z, α, γ, δ, Guelf. B, C, Iunt., Crat., Victor., Steph., Sch.

dem negligendum est); sed alia sunt maiora multo, fides, officium, diligentia; quibus rebus adducti, etiam quum alienissimos defendimus, tamen eos alienos, si ipsi viri boni volumus haberi, existimare non possumus; 193. sed, ut dixi, ne hoc in nobis mirum esse videatur, quid potest esse tam fictum quam versus, quam scena, quam fabulae? Tamen in hoc genere saepe ipse vidi, quum ex persona mihi ardere oculi hominis histrionis viderentur † spondalia illa dicentis:

Cap. XLVI. §. 192. *sed alia sunt maiora*] Sine causa Pearc. *sunt* omittend. putavit. "Interdum ex interiectis verbis nectitur, quod cum sententia primaria coniungendum erat, ut h. l. *quum agitur — sed alia sunt* pro: *quum agitur non solum ingenii nostri existimatio, sed etiam fides, officium, diligentia.*" Matth. de Anacoluthis ap. Cic. in Wolfii Litt. Anal. II. p. 6 sq.

§. 193. *hominis histrionis*] *histrionis* del. censuerunt Boettiger in prolus. de personis scenicis p. 14 et Osannus in Wolfii Litt. Anal. II. p. 551. Sed bene Muellerus in Seebodii Misc. Crit. II. p. 509 comparavit Cic. ad Fam. XII. 22 init. *cum homine gladiatore*,

spondalia illa] Sic Havn. uterq., Pall. septem posteriores, al., Med. 2 et vulgo post Ald. — *spondali illa* v. *spondalli illa* Pal. pr., sec., Mem., Pith., Z, δ, Guelf. A. — *spondialia illa* codd. Lamb., Med. 1, Ven., Lott., Lamb., Sch. — *spondaulia illa* coni. Salmasius ad Solin. I. p. 88. prob. Osanno ueber des Sophocles Aiax (Berl. 1820) p. 87 sqq. Interpretum commenta de corrupto hoc vocabulo repetere piget (vid. Ern. in Ind. et Mueller ad h. l.); versus non esse e cantico, sed e diverbio, satis ostendit tum verb. *dicere* ter h. l. positum, tum ipsorum versuum ratio. Vide Hermannum in comment. de cantico in Romanorum fabulis scenicis Opusc. I. p. 304, qui e corrupta lectione *spondali* v. *spondalli illa* ingeniose colligit leg. esse *e sponda illa.* "Non inepte certe credas, Telamonem, *cuius corpus*, ut ipse in illa fabula de se prædicat ap. Nonium p. 159, *annisque et œtate putrebat*, quum accepto de filii morte nuntio in lectulo consedisset, e sponda increpare Teucrum, Æsopumque, quod senile corpus ad iram furoremque gestu satis exprimendum vix esse idoneum sentiret, tanto magis sensus istos oculis significasse." Hermanni coniecturam recepit Muellerus. Ceterum his et sequentibus versibus e Pacuvii Teucro desumptis (cfr. Beier ad Scaurian. p. 146 sq.) Telamon, rex Salaminis, increpat Teucrum filium sine Aiace redeuntem. Telamon enim filiis Aiaci, Eriboea (Pindar. Isthm. V. 42

Segregare abs te ausus, aut sine illo Salamina ingredi?
Neque paternum adspectum es veritus?'

Nunquam illum *adspectum* dicebat, quin mihi Telamon iratus furere luctu filii videretur. Ut idem inflexa ad miserabilem sonum voce:

Quem aetate exacta indigem
Liberum lacerasti, orbasti, exstinxti; neque fratris necis,
Neque gnati eius parvi, qui tibi in tutelam est traditus —

flens ac lugens dicere videbatur. Quae si ille histrio, quotidie quum ageret, tamen recte agere sine dolore non poterat: quid? Pacuvium putatis in scribendo leni animo ac remisso fuisse? Fieri nullo modo potuit. 194. Saepe enim audivi, poëtam bonum neminem (id quod a Democrito et Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione ani-

---

ibiq. Dissen, Sophocl. Aiac. 566 Herm.), et Teucro, Hesione captiva Troiana nato, adversus Troiam proficiscentibus hanc conditionem proposuerat, ne alter sine altero in patriam rediret. Sed quum Aiax, armorum iudicio ab Ulysse victus, sua se manu ad Troiam interfecisset, Teucer solus redux a patre non receptus Cyprum petiit ibique novam Salamina condidit. Vid. Sophoclis Aiac. 987 sqq. Herm., Euripid. Helen. 87 sqq., Heyne excurs. XXIII ad Virg. Æneid. I.

Quem ætate] *Quem* referendum est ad *paternum adspectum*, quasi dixisset *patris adspectum*; cfr. Matth. ad Or. p. Muren. 13. 29. Similia exempla e Græcis scriptoribus attulit Porson ad Eurip. Hecub. 22. — *neque gnati eius parvi* Eurysacis, e Tecmessa, Teuthrantis Phrygii regis filia, suscepti. Post *est traditus* in ipsa fabula sequebantur ea, ex quibus pendebant genitivi *necis* et *gnati*. — De *Pacuvio* vide ad I. 58. 246.

recte agere] "Ernesti *recte* uncis inclusit, Schuetzius [et Muellerus] delevit. Non video idoneam causam. Si locum Pacuvii affectus plenissimum *sine dolore* i. e. sine doloris significatione, lente et remisse egisset histrio, haud dubie vituperatus esset; itaque sine dolore agere illa quidem poterat, sed non *recte*." Matth. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 682.

§. 194. *a Democrito et Platone*] De *Democrito* vide ad I. 10. 42. Cum h. l. cfr. Cic. I. Divin. 37. 80: *Negat sine furore Democritus quemquam poetam magnum esse posse; quod idem dicit Plato. Quem, si placet, appellet furorem, dummodo is furor ita laudetur, ut in Phædro Platonis laudatus est.* Cfr. Horat. ep. ad Pison. 295 sqq. Platonis locos aliquot de

morum exsistere posse et sine quodam afflatu quasi furoris.

XLVII. Quare nolite existimare me ipsum, qui non heroum veteres casus fictosque luctus vellem imitari atque adumbrare dicendo, neque actor essem alienae personae, sed auctor meae, quum mihi M' Aquillius in civitate retinendus esset, quae in illa causa peroranda fecerim, sine magno dolore fecisse. 195. Quem enim ego consulem fuisse, imperatorem ornatum a senatu ovantem in Capitolium ascendisse meminissem: hunc quum afflictum, debilitatum, moerentem, in summum discrimen adductum viderem, non prius sum conatus misericordiam aliis commovere, quam misericordia sum ipse captus. Sensi equidem, tum magno opere moveri iudices, quum excitavi moestum ac sordidatum senem et quum ista feci, quae tu, Crasse, laudas, non arte, de qua quid loquar nescio, sed motu magno animi ac dolore, ut discinderem tunicam, ut cicatrices ostenderem. 196. Quum C. Marius moerorem orationis meae praesens ac sedens multum lacrimis suis adiuvaret, quumque ego, illum crebro appellans, collegam ei suum commendarem atque ipsum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit haec sine meis lacrimis, non sine dolore magno miseratio omniumque deorum et hominum et civium et sociorum imploratio. Quibus omnibus verbis, quae a me tum sunt habita, si dolor abfuisset meus, non modo non miserabilis, sed etiam irridenda fuisset oratio mea. Quamobrem hoc

---

hoc furore poetico s. enthusiasmo, quem Cic. I. Tusc. 26. 64 *caelestem mentis instinctum* dicit, collegit Davis. ad Cic. Divin. l. c.; cfr. Ezech. Spanhem. ad Iuliani orat. I. p. 18.

Cap. XLVII. *M.' Aquillius*] Vide ad II. 28. 124.

vos doceo, Sulpici, bonus ego videlicet atque eruditus magister, ut in dicendo irasci, ut dolere, ut flere possitis. 197. Quamquam te quidem quid hoc doceam, qui in accusando sodali et quaestore meo tantum incendium non oratione solum, sed multo etiam magis vi et dolore et ardore animi concitaras, ut ego ad id restinguendum vix conarer accedere? Habueras enim tu omnia in causa superiora: vim, fu-

---

§. 197. *in accusando sodali et quaestore meo*] Norbanus utrum prætoris Antonii an consulis quæstor fuerit, non liquet; vid. de hac re Ellendt prolegg. p. LXIII sqq. De Cæpionis damnatione et Norbani causa disserendi hic maxime idoneus locus videtur, quum hoc et sequentibus tribus capp. omnia fere, quæ ad Norbanum accusatum et defensum pertinent, contineantur. *Q. Servilius Cæpio*, cos. a. U. 648 (106) cum C. Atilio Serrano, Tolosam, Gallorum urbem, quæ ad Cimbros defecerat, cepit atque, magna ibi auri vi potitus, eius partem domum suam abstulit (Dio Cass. excerpt. Peiresc. 97, Iustin. XXXII. 3; cfr. Strab. IV. p. 188, Gell. III. 9, Orosius V. 15). Anno sequenti quum bellum adversus Cimbros gerendum Cn. Manlio Maximo cos. et Cæpioni procos. mandatum esset, imperatorum discordia atque imprimis Cæpionis in Manlium odio et invidia Romani a Cimbris proelio victi binisque castris exuti sunt (Dio l. c. 98 sqq., Oros. V. 16). Cæpionis, cuius temeritate hæc clades accepta erat, damnati bona publicata sunt, imperiumque ei abrogatum (Liv. epit. 67, Ascon. ad Cornelian. p. 203 Sch.). Sed a. U. 659 (95) L. Crasso, Q. Mucio Scævola coss. C. Norbanus, trib. pl. seditiosus, Cæpionem, quod eius culpa populi Romani exercitus a Cimbris deletus esset, simulque auri Tolosani crimine apud populum reum fecit. Senatus, cui Cæpio lege a. U. 648 (106) lata iudicia restituere tentaverat (cfr. ad I. 52. 225), summis viribus, ut eum servaret, contendit; intercesserunt L. Cotta (idem fortasse, qui III. 11. 42 commemoratur), T. Didius, tribuni collegæ; sed orta seditione hi tribuni rostris pulsi, optimates lapidibus foro remoti, M. Æmil. Scaurus, princeps senatus, vulneratus est; ita rogatione per vim perlata, Cæpio, quem Crassus consul frustra defenderat (Cic. Brut. 44. 162), Smyrnam in exsilium cessit, Cic. p. Balbo 11. 28; cfr. Valer. Max. IV. 7. 3, qui tamen alia tradit VI. 9. 13. Norbanus deinde ob seditiosum tribunatum lege Appuleia (de qua vide ad II. 25. 107) maiestatis accusatus est a Sulpicio adolescente; sed accusatoris eloquentiam et Scauri testis auctoritatem (cfr. Valer. Max. VIII. 5. 2) Antonii oratio vicit.

Habueras enim tu] Ita Havn. uterq., Guelf. A, al., edd.

gam, lapidationem, crudelitatem tribunitiam in Caepionis gravi miserabilique casu in iudicium vocabas; deinde principem et senatus et civitatis, M. Aemilium, lapide percussum esse constabat; vi pulsum ex templo L. Cottam et T. Didium, quum intercedere vellent rogationi, nemo poterat negare.

XLVIII. 198. Accedebat, ut haec tu adolescens pro re publica queri summa cum dignitate existimarere; ego, homo censorius, vix satis honeste viderer seditiosum civem et in hominis consularis calamitate crudelem posse defendere. Erant optimi cives iudices, bonorum virorum plenum forum, vix ut mihi tenuis quaedam venia daretur excusationis, quod tamen eum defenderem, qui mihi quaestor fuisset. Hic ego quid dicam me artem aliquam adhibuisse? quid fecerim, narrabo; si placuerit, vos meam defensionem in aliquo artis loco reponetis. 199. Omnium seditionum genera, vitia, pericula collegi, eamque orationem ex

---

antiquiss., Ald., Iunt., Crat. et recentt. post Sch. — *habueras enim tum* Man., Lamb., Grut., Ern.

ex templo] *Templum* dicitur *omnis locus augurii aut auspicii causa quibusdam conceptis verbis finitus* (Varro de L. L. VII. p. 289 Spengel.), atque inde omnis locus inauguratus; h. l. ut sæpe ap. Cic. et Liv. intelligendus est suggestus ille in comitio, unde cum populo agebatur, qui post a. U. 416 (338) vocatus est *rostra*. Cfr. imprimis Cic. in Vatin. 10, 24: *In Rostris, in illo, inquam, augurato templo ac loco*, et Liv. VIII. 14.

Cap. XLVIII. §. 198. *ut hæc tu adolescens*] Quintil. XII. 7. 3: *Ut accusatoriam vitam vivere et ad deferendos reos præmio duci proximum latrocinio est, ita pestem intestinam propulsare cum propugnatoribus patriæ comparandum. Ideoque principes in re publica viri non detrectaverunt hanc officii partem; creditique sunt etiam clari iuvenes obsidem rei publicæ dare malorum civium accusationem, quia nec odisse improbos, nec simultates provocare nisi ex fiducia bonæ mentis videbantur.* Cfr. de hoc more Cic. II. Off. 14. 49 sq. ibiq. intt., Div. in Cæcil. 21. 70, Spalding ad Quintil. V. 13, 3, Ellendt prolegg. p. XVII. et p. XC.

ego homo censorius] Antonius censor fuerat a. U. 657 (97) cum L. Valerio Flacco (Valer. Max. II. 9. 5).

omni rei publicae nostrae temporum varietate repetivi, conclusique ita, ut dicerem, etsi omnes molestae semper seditiones fuissent, iustas tamen fuisse nonnullas et prope necessarias. Tum illa, quae modo Crassus commemorabat, egi; neque reges ex hac civitate exigi, neque tribunos plebis creari, neque plebiscitis toties consularem potestatem minui, neque provocationem, patronam illam civitatis ac vindicem libertatis, populo Romano dari sine nobilium dissensione potuisse; ac si illae seditiones saluti huic civitati fuissent, non continuo, si qui motus populi factus esset, id C. Norbano in nefario crimine atque in fraude capitali esse ponendum. Quod si unquam populo Romano concessum esset, ut iure concitatus videretur, id quod docebam saepe esse concessum, nullam illa causam iustiorem fuisse. Tum omnem orationem traduxi et converti in increpandam Caepionis fugam, in deplorandum interitum exercitus; sic et eorum dolorem, qui lugebant suos, oratione refricabam et animos equitum Romanorum, apud quos tum iudices causa agebatur, ad Q. Caepionis odium, a quo erant ipsi propter iudicia abalienati, renovabam [atque revocabam].

XLIX. 200. Quod ubi sensi me in possessione iudicii ac defensionis meae constitisse, quod et po-

§. 199. *si qui motus*] Sic Havn. A, Guelf. B, C, Or. — Vulgo: *si quis motus.*

renovabam atque revocabam] *Atque revocabam* om. Pal. pr., sec., tert., Memm. membr. (V. ST., cod. Lamb., Reg. 7702 (?)), codd. Pearcii, quattuor Oxx., Guelf. A, Pearc., Sch., Mueller, Olsh., uncis incluserunt Ern., Harl., Or. In Erl. solum *revocabam* est, superscriptum *renovabam* alia manu, unde Ern. recte suspicari videtur, duplicem lectionem in textu coniunctam esse. Eiusmodi lectionis varietas etiam c. 49. 201 extr. invenitur, ubi *revocanda* Havn. A („al. *renovanda*“ superscript. manu recent.), Guelf. C, ε, pro vulg. *renovanda.* — *A quo erant — abalienati* vide ad I. 52. 225.

Cap. XLIX. §. 200. *constitisse*] “Pugnae verbum, quod pro-

puli benevolentiam mihi conciliaram, cuius ius etiam cum seditionis coniunctione defenderam, et iudicum animos totos vel calamitate civitatis vel luctu ac desiderio propinquorum vel odio proprio in Caepionem ad causam nostram converteram: tunc admiscere huic generi orationis vehementi atque atroci genus illud alterum, de quo ante disputavi, lenitatis et mansuetudinis coepi: me pro meo sodali, qui mihi in liberum loco more maiorum esse deberet, et pro mea omni fama prope fortunisque decernere; nihil mihi ad existimationem turpius, nihil ad dolorem acerbius accidere posse, quam si is, qui saepe alienissimis a me, sed meis tamen civibus, saluti existimarer fuisse, sodali meo auxilium ferre non potuissem. 201. Petebam a iudicibus, ut illud aetati meae, ut honoribus, ut rebus gestis, si iusto, si pio dolore me esse affectum viderent, concederent; praesertim si in aliis causis intellexissent, omnia me sem-

---

prie de iis dicitur, qui stabili vestigio et firmo pede hostem excipiunt. Inde eleganter ad forensem contentionem transfertur et causarum militiam; dicitur etiam de gladiatoribus, qui statu suo fixi pugnant." Schirachius ad Cic. Orat. 9. 30. n. 7. Vide Beierum ad Tullian. p. 47; cfr. infr. 72. 294.

in liberum loco more maiorum] Quæstores ex senatusconsulto provincias sortiebantur (I Verr. 13. 34, p. Muren. 8, 18), eaque more maiorum inter quæstorem et eum, cui sorte obtigerat (sive is consul erat seu prætor, sive procos. seu proprætore) quemque in bellum vel provinciam sequebatur, constituta erat necessitudo, quæ liberis cum parentibus intercedere solet; quem morem sæpe commemorat Cicero, v. c. Div. in Cæcil. 19. 61: *Sic a maioribus nostris accepimus, prætorem quæstori suo parentis loco esse oportere, nullam neque iustiorem neque graviorem causam necessitudinis posse reperiri quam coniunctionem sortis, quam provinciæ, quam publicam muneris societatem.* Cfr. I Verr. 15. 40, p. Planc. 11. 28, ad Fam. XIII. 10 et 26, Corn. Nep. Cat. 1, qui Catonem quæstorem cum P. Africano cos. *non pro sortis necessitudine* vixisse tradit. Inde Antonius §. 201 se ob quæstoris periculum *pio dolore* esse affectum dicit.

ad existimationem] H. e. ratione habita existimationis. Vide Matth. ad Cic. or. p. Rosc. Amerin. 30. 85.

per pro amicorum periculis, nihil unquam pro me ipso deprecatum. Sic in illa omni defensione atque causa, quod esse in arte positum videbatur, ut de lege Appuleia dicerem, ut, quid esset minuere maiestatem, explicarem, perquam breviter perstrinxi atque attigi. His duabus partibus orationis, quarum altera concitationem habet, altera commendationem, quae minime praeceptis artium sunt perpolitae, omnis est a me illa causa tractata, ut et acerrimus in Caepionis invidia renovanda et in meis moribus erga meos necessarios declarandis mansuetissimus viderer. Ita magis affectis animis iudicum quam doctis, tua, Sulpici, est a nobis tum accusatio victa.

L. 202. Hic Sulpicius, Vere hercule, inquit, Antoni, ista commemoras. Nam ego nihil unquam vidi, quod tam e manibus elaberetur, quam mihi tum est elapsa illa causa. Quum enim, quemadmodum dixisti, tibi ego non iudicium, sed incendium tradidissem: quod tuum principium, dii immortales, fuit? qui timor? quae dubitatio? quanta haesitatio tractusque verborum? Ut tu illud initio, quod tibi unum ad ignoscendum homines dabant, tenuisti, te pro homine pernecessario, quaestore tuo, dicere, quam tibi primum munisti ad te audiendum viam? 203. Ecce autem, quum te nihil aliud profecisse arbitrarer, nisi ut homines tibi civem improbum defendenti ignoscendum propter necessitudinem arbitrarentur, serpere occulte coepisti, nihildum aliis suspicantibus, me vero iam pertimescente, ut illam non Norbani se-

---

Cap. L. §. 202. *Ut tu illud*] Sic Guelf. A, Ald., Iunt., Crat., Steph., Lamb., Or. — *ut tui illud* Vet. Steph. — *ut tum illud* alter cod. Steph. — *ut tuo illud* Havn. uterq., *α*, *δ*. — *ut illud* codd. nonnulli, edd. antiquiss., Man. et vulgo *post* Grut.

ditionem, sed populi Romani iracundiam, neque eam iniustam, sed meritam ac debitam fuisse defenderes. Deinde qui locus abs te praetermissus est in Caepionem? ut tu illa omnia odio, invidia, misericordia miscuisti? Neque haec solum in defensione, sed etiam in Scauro ceterisque meis testibus, quorum testimonia non refellendo, sed ad eundem impetum populi confugiendo refutasti. 204. Quae quum abs te modo commemorarentur, equidem nulla praecepta desiderabam. Istam enim ipsam demonstrationem defensionum tuarum, abs te ipso commemoratam, doctrinam esse non mediocrem puto.

Atqui, si ita placet, inquit Antonius, trademus etiam, quae nos sequi in dicendo quaeque maxime spectare solemus. Docuit enim iam nos longa vita ususque rerum maximarum, ut, quibus rebus animi hominum moverentur, teneremus.

LI. 205. Equidem primum considerare soleo, postuletne causa. Nam neque parvis in rebus adhibendae sunt hae dicendi faces, neque ita animatis hominibus, ut nihil ad eorum mentes oratione flectendas proficere possimus, ne aut irrisione aut odio digni putemur, si aut tragoedias agamus in nugis aut convellere adoriamur ea, quae non possint commoveri. 206. Iam quoniam haec fere maxime sunt in

---

§. 204. *abs te ipso commemoratam*] Hæc verba, quæ molesta esse non diffiteor, eiecerunt Sch. et Mueller. Quod autem ea verba a pluribus codd. abesse dicit Muellerus, id ut verum est, ita haud multum valet; nam in illis codd. (Pal. pr., sec., Pith., Mem. membr., Z, Erl.) h. l. maior lacuna est.

Cap. LI. §. 206. *Iam quoniam*] Sic e Madvigii coni. rescripsi pro vulg. *nam quoniam*, quum h. l. neque præcedentis neque omissæ sententiæ (cfr. ad I. 22. 101) ratio reddatur, sed transitus fiat ad accuratiorem tractationem. Cfr. Heindorf ad I. N. D. 12. 30, Beier ad III. Off. 21. 84 p. 343, Ellendt ad Brut. 43. 159.

iudicum animis aut quicunque illi erunt, apud quos agemus, oratione molienda, amor, odium, iracundia, invidia, misericordia, spes, laetitia, timor, molestia: sentimus amorem conciliari, si id velle videare, quod sit utile ipsis, apud quos agas, defendere; si aut pro bonis viris aut certe pro iis, qui illis boni atque utiles sint, laborare. Namque haec res amorem magis conciliat, illa virtutis defensio caritatem; plusque proficit, si proponitur spes utilitatis futurae, quam praeteriti beneficii commemoratio. 207. Enitendum est, ut ostendas, in ea re, quam defendas, aut dignitatem inesse aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, significes nihil ad utilitatem suam retulisse ac nihil omnino fecisse causa sua. Invidetur enim commodis hominum ipsorum, studiis autem eorum ceteris commodandi favetur. 208. Videndumque hoc loco est, ne, quos ob benefacta diligi velemus, eorum laudem atque gloriam, cui maxime invideri solet, nimis efferre videamur. Atque iisdem his ex locis et odium in alios struere discemus et a nobis ac nostris demovere; eademque haec genera tractanda sunt in iracundia vel excitanda vel sedanda. Nam si, quod ipsis, qui audiunt, perniciosum aut inutile sit, id factum augeas, odium creatur; sin, quod aut in bonos viros aut in eos, in quos quisque minime debuerit, aut in rem publicam: tum excitatur, si non tam acerbum odium, tamen aut in-

---

si id velle videare] Sic Havn. A a pr. manu et vulgo edd. inde ab Ald. usque ad Gruter.; restituit Orell. — *si id velle videamur* Vet. Steph. (*sed* pro *si*), Havn. A e correct. — *si id in re videamus* Z (in quo syllabae *mus* recent. manu *ris* superscr. est), *β*, *γ*, *ε*, Guelf. A. — *si id iure videamur* edd. antiquiss. — *si id videamur iure* superscr. Havn. B. — *si id videamur δ*, Guelf. B. — *si id videare* Havn. B al. et vulgo *post* Gruter.

vidia aut odii non dissimilis offensio. 209. Item timor incutitur aut ex ipsorum periculis aut ex communibus. Interior est ille proprius; sed hic quoque communis ad eandem similitudinem est perducendus.

LII. Par atque una ratio est spei, laetitiae, molestiae. Sed haud sciam, an acerrimus longe sit omnium motus invidiae, nec minus virium opus sit in ea comprimenda quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus aut inferioribus, quum se relictos sentiunt, illos autem dolent evolasse; sed etiam superioribus invidetur saepe vehementer, et eo magis, si intolerantius se iactant et aequabilitatem communis iuris praestantia dignitatis aut fortunae suae transeunt. Quae si inflammanda sunt, maxime dicendum est, non esse virtute parta; deinde etiam vitiis atque peccatis; tum, si erunt honestiora atque graviora, tamen non esse tanti ulla merita, quanta insolentia hominis quantumque fastidium. 210. Ad sedandum autem, magno illa labore, magnis periculis esse parta, nec ad suum commodum, sed ad aliorum esse collata, seseque, si quam gloriam peperisse videatur, tametsi ea non sit iniqua merces periculi, ta-

---

§. 208. *aut invidia*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, fortasse etiam alii codd. (nam huiusmodi varietates neglectæ fere sunt a collatoribus), Mueller, Or. — *aut invidiæ* vulgo inde ab antiquiss. edd. — *aut iracundia* e coni. edidit Sch.

Cap. LII. §. 209. *æquabilitatem communis iuris*] Sic Erl., Guelf. A, nonnulli Oxx. et vulgo edd. inde ab Ald. usque ad Ern., tum rursus Orellius. — *communis* om. Havn. uterq., Harl. 2, α, β, δ, edd. antiquiss., Lamb. (prob. Pearc.), Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

esse tanti ulla merita] Ita Havn. uterq., Oxx. omnes, Guelf. A, B, C, al., et vulgo inde ab antiquiss. edd. Heusingerus conferri iubet Cort. ad Sallust. Iug. I. 5 et Burm. ad Ovid. Heroid. XVIII. 71. — *esse tanta ulla merita* Norf., Steph., Lamb., Pearc., Ern., Harl.

§. 210. *tametsi ea*] Sic Med. 2, Lott. et vulgo post Ald.

men ea non delectari totamque abiicere atque deponere; omninoque perficiendum est, quoniam plerique sunt invidi, maximeque est hoc commune vitium et pervagatum, invidetur autem praestanti florentique fortunae, ut haec opinio minuatur, et illa excellens opinione fortuna cum laboribus et miseriis permixta esse videatur. 211. Iam misericordia movetur, si is, qui audit, adduci potest, ut illa, quae de altero deplorentur, ad suas res revocet, quas aut tulerit acerbas aut timeat, ut intuens alium crebro ad se ipsum revertatur. Ita quum singuli casus humanarum miseriarum graviter accipiuntur, si dicuntur dolenter, tum afflicta et prostrata virtus maxime luctuosa est; et, ut illa altera pars orationis, quae probitatis commendatione boni viri debet speciem tueri, lenis, ut saepe iam dixi, atque summissa, sic haec, quae suscipitur ab oratore ad commutandos animos atque omni ratione flectendos, intenta ac vehemens esse debet.

LIII. 212. Sed est quaedam in his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum vehemens esse volumus, difficilis ad distinguendum similitudo. Nam et ex illa lenitate, qua conciliamur iis, qui audiunt,

---

usque ad Gronov.; restituit Or. — *tamen etsi ea* Havn. uterq., Pall. aliquot, Pith., Mem. membr., Oxx., Erl., Guelf. A, B, Med. 1, Ven., Gronov., Cockm. — *etsi ea* Ern., quem secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Olsh. Sed ipse Ern., qui ad h. l. *tametsi* Cicerone dignum esse negat in hac vicinia particulæ *tamen*, supra I. 61. 262 et II. 27. 120 multisque aliis locis, quos collegit Matth. ad Cic. or. p. Muren. 7. 16, *tametsi — tamen* intactum reliquit.

§. 211. *ut intuens alium*] Sic suadente Madvigio edidi pro vulg. *aut intuens alium;* neque enim hæc sententia quidquam, quod a præcedentibus differat, continet, sed indicat, quid inde sequatur atque efficiatur.

Cap. LIII. §. 212. *Nam et ex illa lenitate*] Sic Guelf. A, C, Lamb. — Vulgo om. *et.* — Paullo post *animi aliquid inflammandum est illi lenitati* Pal. pr., sec. oct., nonus, duo Gallicani (duo ST., cod. Lamb.), Z, Erl. [illegible] Ern. (qui *tamen inflammandum est* eiiciendum put[illegible] *qui illi*

ad hanc vim acerrimam, qua eosdem excitamus, influat oportet aliquid, et ex hac vi nonnunquam animi aliquid inflammandum est illi lenitati; neque est ulla temperatior oratio quam illa, in qua asperitas contentionis oratoris ipsius humanitate conditur, remissio autem lenitatis quadam gravitate et contentione firmatur. 213. In utroque autem genere dicendi, et illo, in quo vis atque contentio quaeritur, et hoc, quod ad vitam et mores accommodatur, et principia tarda [sunt] et exitus [tamen] spissi et producti esse debent. Nam neque assiliendum statim est ad illud genus orationis; — abest enim totum a causa, et homines prius ipsum illud, quod proprium sui iudicii est,

---

lenitati ut glossema uncis inclusit. Sed neque *animi aliquid inflammandum est* per se ullum h. l. sensum præbet (longe enim alia est ratio eorum locorum, quos similes putat Or.), et sententiarum concinnitas perit, si quid eiicitur. (*animi* om. unus cod. Lamb.). — *animi aliquid influendum est illi lenitati* Havn. uterq., α, β, γ, δ, ε, marg. Z., Guelf. B, C, al. et vulgo inde ab antiquiss. edd. usque ad Grut., item Pearc. in ed. tert. sqq., qui corruptam hanc lectionem parum feliciter defendit. — *infundendum est* Lamb. e coni. — *animi aliq. inflandum est illi len.* marg. ed. Ph. Melanchthonis et marg. Crat., et sic e Gulielmii coni. Ernestio probata ediderunt Sch., Harl., Mueller, Olsh. Sed iidem hi, qui hanc lectionem unice probandam esse certatim contenderunt, ne Latinum quidem iudicassent *inflare aliquid alicui rei*, si veram significationem verbi *inflare* (*inflare tibiam, utrem, infl. animos spe*) reputassent. Equidem Gruterianam lectionem utpote ceteris meliorem retinui, quamquam de voc. *inflammandum* vehementer dubito.

§. 213. *tarda sunt et exitus tamen*] Sic omnes codd., nisi quod Harl. 1 om. incommodam sane particulam *tamen*, pro qua Lamb. leg. coniecit *item* prob. Ern. — Madvig malit: *et exitus etiam*. — *sunt* delendum censet Pearc., delent Sch. in ed. mai., Harl., Mueller, recte, ut mihi quidem videtur. Nam certe principia *tarda sunt sua natura* (ut dicit Or.), sed sequentia *nam neque assiliendum* ostendunt, Antonium h. l. non dicere, ita in rerum natura esse, sed præcipere, quomodo esse debeant principia. Ceterum Nonius v. *spissum* (c. IV. 422 p. 705 Gothofr.) hoc loco utitur exemplo, quo probet, spissum esse i. q. densum. *Spissi exitus* sunt ii, in quibus non festinandum, sed, quemadmodum ipse infra dicit, multa et varia et copiosa oratione utendum est.

audire desiderant; — nec, quum in eam rationem ingressus sis, celeriter discedendum est. 214. Non enim, sicut argumentum, simul atque positum est, arripitur, alterumque et tertium poscitur, ita misericordiam aut invidiam aut iracundiam, simul atque intuleris, possis commovere. Argumentum enim ratio ipsa confirmat, cui, simul atque emissum est, adhaerescit; illud autem genus orationis non cognitionem iudicis, sed magis perturbationem requirit, quam consequi, nisi multa et varia et copiosa oratione et simili contentione actionis, nemo potest. 215. Quare qui aut breviter aut summisse dicunt, docere iudicem possunt, commovere non possunt, in quo sunt omnia.

Iam illud perspicuum est, omnium rerum in contrarias partes facultatem ex iisdem suppeditari locis. Sed argumento resistendum est aut iis, quae comprobandi eius causa sumuntur, reprehendendis, aut demonstrando, id, quod concludere illi velint, non effici ex propositis nec esse consequens; aut, si ita non refellas, afferendum est in contrariam partem, quod sit aut gravius aut aeque grave. 216. Illa autem, quae aut conciliationis causa leniter aut permotionis vehementer aguntur, contrariis commotionibus † inferenda sunt, ut odio benevolentia, misericordia invidia tollatur.

§. 214. *cui, simul atque emissum est*] Sic e Wyttenbachii coni. (Bibl. crit. I. P. I. p. 21) ediderunt Sch., Mueller, Olsh. — *quæ simul atque emissa est* codd. et vulgo edd. — *quæ, simul atque emissum est* leg. suspicatur Or.

§. 216. *inferenda sunt*] Sic corrupte plerique codd. (etiam Havn. uterque) et vulgo edd.; sed non minus corrupte *efferenda sunt* Vet. Steph., Mead., Harl. uterq., Z (*offerenda sunt* quod huic codici tribuitur, Gronovii error est; cfr. Cockm. et Pearc.), β, δ, margo Erl. (in textu omissa sunt hæc et præcedentia inde ab *in contrariam)*, Guelf. A, Sch., Mueller, qui præeunte Pearcio *efferre* interpretantur *vincere, superare*, collato versu Euripideo (Orest. 3) a Cice-

LIV. Suavis autem est et vehementer saepe utilis iocus et facetiae, quae, etiamsi alia omnia tradi arte possunt, naturae sunt propria certe neque ullam artem desiderant. In quibus tu longe aliis mea sententia, Caesar, excellis; quo magis mihi etiam testis esse potes, aut nullam esse artem salis, aut, si qua est, eam nos tu potissimum docebis.

217. Ego vero, inquit Caesar, omni de re facetius

---

rone IV Tusc. 29. 63 latine expresso: *Quod non natura humana patiendo ecferat*. Sed in Græco versu est ἄρατ' ἄχθος, ita ut *ecferre* potius explicandum sit *ferre, perferre*. — Matthiae in Seebodii Misc. Crit. I. p. 682 coniicit: *inserenda sunt*, idque ita interpretatur: "cum contrariis commotionibus ita miscenda, ut ex altera in alteram aliquid influat, coll. §. 212." Verum h. l. non de *miscendis* dicendi generibus aut permotionibus, sed de refellendis adversariis ac *tollendis* motibus, qui ab iis excitati sint, agi manifestum est. Itaque melius fuerit vel cum Walkero legere *infirmanda*, vel *evertenda* (cum Heusing.), vel *elevanda*, vel si quod simile verbum reperiri posset, quod minus a codicum vestigiis recederet.

Cap. LIV. *iocus et facetiæ*] Quæ ab hoc cap. usque ad c. 71 a Cæsare de facetiis disputantur, illustrata sunt ab Adr. Turnebo in aureolo libello, qui inscribitur: Explicatio loci Ciceroniani, in quo tractantur ioci, lib. II de Oratore. Lutet. Paris. 1555. 4, alt. ed. ibid. 1594. 8. Hunc potissimum ducem sequendum putavi, adhibitis tamen etiam iis, quæ in quibusdam a recentioribus interpretibus rectius observata sunt. Restant tamen in his capitibus multa obscura et ambigua, alia, ex quibus vix tolerabilis sensus extricari possit, nonnulla, de quibus plane desperandum sit. Neque mirum; ridiculorum enim alia, imprimis ea, quæ e Catonis ἀποφθέγμασι (cfr. 67. 271) petita sunt, ad remotiora tempora antiquioresque homines, quorum obscurata memoria est, pertinent; alia ætate propiora et Ciceronis æqualibus satis nota tecte dicuntur vel breviter perstringuntur; neque enim periculum erat, ne lectores, quos sibi Cicero proposuerat, a re vel leviter significata aberrarent; nobis vero, qui et tanto intervallo distamus et fontibus iis, quibus usus est Cicero, omnibus caremus, haud pauca, quæ salse dicta afferuntur, magnopere frigere videntur. In hoc genere nonnulla sunt Lucilii (v. c. 62. 253), e cuius satiris multa ridiculorum exempla a Cicerone petita videntur. Cfr. ad 60. 244. Alia denique librariorum ignorantia et socordia ita deformata sunt, ut e lectionum monstris nihil sani elici possit.

§. 217. *facetius puto posse*] *facilius puto posse* Pal. pr., sec., quint., sept., duo Gallicani (duo ST., tres Lambiniani),

puto posse ab homine non inurbano quam de ipsis facetiis disputari. Itaque quum quosdam Graecos inscriptos libros esse vidissem de ridiculis, nonnullam in spem veneram, posse me aliquid ex istis discere. Inveni autem ridicula et salsa multa Graecorum; nam et Siculi in eo genere et Rhodii et Byzantii et praeter ceteros Attici excellunt; sed qui eius rei rationem quandam conati sunt artemque tradere, sic insulsi exstiterunt, ut nihil aliud eorum nisi ipsa insulsitas rideatur. 218. Quare mihi quidem nullo videtur modo doctrina ista res posse tradi. Etenim quum duo genera sint facetiarum, alterum aequabiliter in omni sermone fusum, alterum peracutum et breve: illa a veteribus superior *cavillatio*, haec altera *dicacitas* nominata est. Leve nomen habet utraque res! quippe; leve enim est totum hoc, risum movere. 219. Verumtamen, ut dicis, Antoni, multum in causis persaepe lepore et facetiis profici vidi. Sed quum in illo genere perpetuae festivitatis ars non desideretur; natura enim fingit homines et creat imitatores et narratores facetos, et vultu adiuvante, et voce et ipso genere sermonis; tum vero in hoc altero dicacitatis, quid habet ars loci, quum ante

---

Harl. 1, *Z*, *a*, *y*, Guelf. A, B, C, Erl., ed. Lips. Thanneri, Lott. — (*facillimi* Havn. A).

Græcos inscriptos libros — de ridiculis] Περὶ γελοίου. Vide Schneiderum ad Demetr. de elocut. p. 153 et Spalding. ad Quintil. VI. 3. 11, quem exscripsit Muellerus.

et Siculi] Cfr. III Verr. 8. 20, IV Verr. 43. 95: *Nunquam tam male est Siculis, quin aliquid facete et commode dicant;* Coelius ap. Quintil. VI. 3. 41, K. O. Mueller Dorier II. p. 360. — Siculorum dicta quædam referuntur infra 69. 278 et 280.

§. 218. *quippe; leve enim est*] Sic distinguunt Ald., Iunt., Man., Sch., Mueller et Or. Cfr. Goerenz ad IV Fin. 3. 7, Ramshorn Gr. p. 562 sq. — Vulgo: *quippe leve enim est.* — *quippe leve etiam est* Wetzel et Harl. — *quippe* om. Crat.

illud facete dictum emissum haerere debeat, quam cogitari potuisse videatur? 220. Quid enim hic meus frater ab arte adiuvari potuit, quum a Philippo interrogatus, quid latraret, *Furem se videre* respondit? Quid in omni oratione Crassus vel apud centumviros contra Scaevolam, vel contra accusatorem Brutum, quum pro Cn. Planco diceret? Nam id,

---

§. 219. *illud facete dictum*] Sic Havn. uterq., Norf., Mead., Harl. uterq., Z, *α*, *β (facere)*, *γ*, *δ*, Guelf. A, B (om. *dictum)*, Erl., Ald., Iunt., Crat., Lamb., Pearc. — *illud facetum dictum* edd. antiquiss., Man., Grut. et recentt. post Ern.

§. 220. *a Philippo*] *L. Marcius Philippus* Q. F. a. U. 650 (104) trib. pleb. legem agrariam tulit, quam tamen antiquari facile passus est (II. Off. 21. 73). In consulatus petitione a. U. 661 (93) a M. Herennio superatus (p. Muren. 17. 36, Brut. 45. 166) duobus demum annis post consul factus est cum Sex. Iulio Cæsare; quo in magistratu quum in causam optimatium vehementer inveheretur (vide ad I. 7. 24), aliquando in altercatione dictum illud, quod h. l. commemoratur, a Catulo iactatum esse credibile est, ut significaret, Philippum esse hominem reipublicæ perniciosum; cfr. III. 1 extr. Nam quod Turnebus l. c. p. 5 ed. alt. Catulum his verbis Philippum depeculatorem et ærarii furem notare dicit, de eo nihil compertum est. Postea tamen cum inimicissimis suis in gratiam redisse dicitur Provinc. Consul. 9. 21; eodem vero cave cum Maio trahas Diodor. excerpt. Vatic. p. 128 Dindorf., ubi vel illa ἐὰν δὲ γένωμαι πολίτης κ. τ. λ. ostendunt, sociorum Italicorum esse iusiurandum, falsamque esse inscriptionem: ὅρκος Φιλίππου. — Censor fuit Philippus a. U. 668 (86) cum M. Perperna, I Verr. 55. 143. De eius eloquentia sic iudicat Cicero, qui eum Crasso et Antonio proximum, sed longo tamen intervallo proximum fuisse dicit Brut. 47. 173: *Erat summa libertas in oratione, multæ facetiæ; satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis; erat etiam in primis, ut temporibus illis, Græcis doctrinis institutus, in altercando cum aliquo aculeo et maledicto facetus.* Cfr. ibid. 45. 166, 50. 186, Orat. II. 78. 316, III. 1. 4. De eius lepore et facetiis I. Off. 30. 108. II. Orat. 60. 245, 61. 249. Cfr. Ellendt prolegg. p. LXXVII sqq., Beier ad II. Off. 17. 59 p. 117.

contra accusatorem Brutum] *M. Brutus*, in dicendo vehemens et callidus (Cluent. 51. 140), magistratus non petivit, sed fuit accusator vehemens et molestus (Brut. 34. 130), unde etiam turpe *accusatoris* nomen accepit; inhonestum enim existimabatur accusationem factitare; vide II Off. 14. 50 et Quintil. loc. ad II. 48. 198 allat. Malis moribus eum fuisse, e cap. 55 intelligitur. Cicero Brut. l. c. magnum

quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est omnium sententia concedendum. Non enim fere quisquam reperietur praeter hunc in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. 221. Nam haec perpetua contra Scaevolam Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam et ioco; dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati, in quo ipso servabat suam; quod est hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum et ea, quae occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. 222. Dicere enim aiunt Ennium, *flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat;* haec scilicet bona, quae salsa sint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.

LV. Sed ut in Scaevola continuit ea Crassus atque illo altero genere, in quo nulli aculei contu-

---

in eo dedecus generi Brutorum fuisse dicit. — *Cn. Plancus*, pro quo contra Brutum dixit Crassus (cfr. Quintil. VI. 3. 44), p. Cluent. l. c. vocatur *L. Plancius.*

§. 221. *in quo ipso*] Sic Havn. A, α, Guelf. B. C, al. et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *in quo ipse* Havn. B, duo Steph., Mead., Harl. uterq., Cant., Z, β, γ, δ, ε, Erl., Pearc., Ern., Olsh.

§. 222. *flammam a sapiente*] "Versus est trochaicus integer et hemistichium. Itaque legi debet *a sapienti*, ut versus constet. Citatur hæc Enniana sententia a Symmacho in epistolis. — Ennius autem bona dicta bonas sententias intellexerat, quas sapiens tenere se non potest quin loquatur; at homines faceti idem de dicacibus usurpare solebant et aliter versum interpretari." Turneb. p. 6 sq.

proprio iam nomine] Cfr. Cic. in libr. epist. ad Cornel. Nep. secundo ap. Macrob. Saturn. II. 1: *Itaque nostri, quum omnia, quæ dixissemus, dicta essent, quæ facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari DICTA voluerunt.*

Cap. LV. *in Scævola*] Sic Havn. uterq., Harl. 1, Z, Guelf. A, Erl., Lamb., Pearc. et recentt. post Sch. Cfr. Held ad. Cæsar. B. G. II. 32. — Vulgo *in Scævolam.*

meliarum inerant, causam illam disputationemque lusit: sic in Bruto, quem oderat et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. 223. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit? Atque illa brevia: quum ille diceret, se sine causa sudare, *Minime mirum*, inquit, *modo enim existi de balneis.* Innumerabilia huiuscemodi fuerunt, sed non minus iucunda illa perpetua. Quum enim Brutus duos lectores excitasset et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et quum contraria inter sese de re publica capita contulisset: noster hic facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. 224. Ex libro primo: FORTE EVENIT, UT IN PRIVERNATI ESSEMUS. *Brute, testificatur pa-*

§. 223. *existi de balneis*] "Iocus est in ancipiti significatione verbi *existi*, quod significat et vendere balneas et e balneis lotum egredi." Pearc.

Quum enim Brutus duos lectores excitasset] Cfr. Cic. p. Cluent. 51. 140 sq.: *L. Crassi auctoritatem sequor, qui quum L. Plancium defenderet, accusante M. Bruto, — quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset; quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit, in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus; et multa in equites Romanos quum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur: aliquantum esse commotus dicitur. Itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et causa habita videretur, deinde — tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accusatoris, de iure civili reliquit etc.*

de colonia Narbonensi] Cfr. Brut. 43. 160: *Voluit adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio.* Haec colonia deducta est a. U. 636 (118), M. Porcio Catone, Q. Marcio Rege coss. Vell. Paterc. I. 15. — De *lege Servilia* et Crassi suasione vide ad I. 52. 225. — De *Bruti patre* ad II. 33. 142.

§. 224. *in Privernati — Albano — Tiburti*\ Pr...

ter, se tibi Privernatem fundum reliquisse. Deinde ex libro secundo: IN ALBANO ERAMUS EGO ET MARCUS FILIUS. *Sapiens videlicet homo cum primis nostrae civitatis norat hunc gurgitem; metuebat, ne, quum is nihil haberet, nihil esse ei relictum putaretur.* Tum ex libro tertio, in quo finem scribendi fecit (tot enim, ut audivi Scaevolam dicere, sunt veri Bruti libri): IN TIBURTI FORTE ASSEDIMUS EGO ET MARCUS FILIUS. *Ubi sunt ii fundi, Brute, quos tibi pater publicis commentariis consignatos reliquit? Quod nisi puberem te,* inquit, *iam haberet, quartum librum composuisset et se etiam in balneis locutum cum filio scriptum reliquisset.* 225. Quis est igitur, qui non fateatur, hoc lepore atque his facetiis non minus refutatum esse Brutum quam illis tragoediis, quas egit idem, quum casu in

---

prope Privernum, Albam Longam, Tibur, Latii oppida, sitis.

nisi puberem te iam haberet] Imperfectum (præsens in præterito) h. l. ponitur, ut indicetur, rem tum temporis adhuc duravisse; tum enim (ut recte observat Heusing. in præfat. ad Cic. Off. p. 56), quum quartum librum Bruti pater componere posset, filium puberem non *habuerat* solum, nec *habuit*, sed *habebat*. De hoc imperfecti usu vid. impr. Krueger Untersuchungen fasc. II. (von der Folge der Zeiten in der oratio obliq.) p. 212 sqq.; cfr. Stallbaum ad Ruddim. II. p. 382, Matth. ad Cic. II. Catil. 2. 3.

in balneis locutum] Sic Havn. uterq., codd. Lambini, Oxx. præter Z omnes, Guelf. B, C et vulgo edd. inde ab Ald. usque ad Gruter.; restituerunt Mueller et Or. — *in balneis locum* Pal. pr., sec., *Z.* — *in balneis lotum* Pal. tert., item quint. et sext. a sec. manu, edd. antiquiss., marg. Crat., Melanchthon, Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh. Loci sententia utramvis lectionem admittit; sed quum h. l. non de lavatione ipsa (ut putavit Sch.), sed de colloquio inter patrem et filium de iure civili in balneis, si fieri potuisset, habito agatur, *locutum* præferendum videtur. In Cluentiana 51. 141 est: *Quodsi potuisset honeste scribere, se in balneis cum id ætatis filio fuisse, non præterisset.* De re vide Cic. I. Off. 35. 129: *Nostro quidem more cum parentibus puberes filii, cum soceris generi non lavantur*, et quos auctores ibi affert Beierus. Adde Cic. IV de repl. 4, Valer. Max. II. 1. 7.

eadem causa funere efferretur anus Iunia? Pro dii immortales, quae fuit illa, quanta vis! quam inexspectata! quam repentina! quum, coniectis oculis, gestu omni imminenti, summa gravitate et celeritate verborum: *Brute, quid sedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? quid illis omnibus, quorum imagines duci vides? quid maioribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? quid te facere? cui rei, cui gloriae, cui virtuti studere? Patrimonione augendo? at id non est nobilitatis.* 226. *Sed fac esse, nihil superest; libidines totum dissipaverunt. An iuri civili? est paternum. Sed dicet te, quum aedes venderes, ne in rutis quidem et caesis solium tibi paternum recepisse. An rei militari? qui nunquam castra videris! An eloquentiae? quae nulla est in te; et quidquid est vocis ac linguae, omne in istum turpissimum calumniae quaestum contulisti! Tu lucem adspicere audes? tu hos intueri? tu in foro,*

---

§. 225. *quorum imagines duci vides*] Qui vel ædilitatem curulem vel ceteros quoque magistratus maiores gesserant atque inde *ius imaginis ad memoriam posteritatemque prodendæ* (Cic. V Verr. 14. 36) consecuti erant, eorum imagines cereæ cum honorum et rerum gestarum titulis in atrio ponebantur, hæque maiorum imagines gentiliciis funeribus præferebantur. Vide impr. Polyb. VI. 53 et Plin. H. N. XXXV. 2. Cfr. Eichstaedtii de imaginibus vett. Romanorum dissertationes duæ, Ienæ et Petropol. 1806. 4, et Heindorf ad Horat. Satir. I. 6. 17.

at id non est nobilitatis] De quæstibus illiberalibus vide Cic. I. Off. 42 ibiq. Beierum. Senatorio ordini nullus quæstus honestus erat. Cic. Paradox. VI. 1. 43; cfr. Liv. XXI. 63.

§. 226. *in rutis — et cæsis*] Q. Mucius Scævola in Digest. lib. L. tit. 16. l. 241: *In rutis cæsis ea sunt, quæ terra non tenentur, quæque opere structili tectoriove non continentur.* Cfr. ibid. XIX. 1. 17 §. 6 et Fest. voc. *ruta cæsa.* — In venditionibus autem *recipi* dicuntur, *quæ excipiuntur, neque veneunt*, Gell. XVII. 6, Non. voc. *recepticium servum* (c. 1. 267. p. 513 Gothofr.); cfr. Cic. Topic. 26. 100. — De *solio* vide ad II. 33. 143.

tu in urbe, tu in civium esse conspectu? tu illam mortuam, tu imagines ipsas non perhorrescis? quibus non modo imitandis, sed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquisti.

LVI. 227. Sed haec tragica atque divina; faceta autem et urbana innumerabilia ex una concione meministis. Nec enim contentio maior unquam fuit, nec apud populum gravior oratio, quam huius contra collegam in censura nuper, neque lepore et festivitate conditior. Quare tibi, Antoni, utrumque assentior, et multum facetias in dicendo prodesse saepe, et eas arte nullo modo posse tradi. Illud quidem admiror, te nobis in eo genere tribuisse tantum et non huius rei quoque palmam ut ceterarum Crasso detulisse.

228. Tum Antonius, Ego vero ita fecissem, inquit, nisi interdum in hoc Crasso paullum inviderem. Nam esse quamvis facetum atque salsum non nimis est per se ipsum invidendum; sed quum omnium sis venustissimus et urbanissimus, omnium

---

Cap. LVI. §. 227. *concione — contentio*] *Concione* Havn. uterq., *α*, *γ*, *δ*, al., edd. antiquiss. et vulgo ante Ern.; restituerunt Sch., Mueller, Olsh., Or. — *contentione* Vet. Steph., Harl. uterq., Mead., Cant., Z, *β*, *ε*, Erl., Guelf. A, B, Waldarf., Pearc., Ern., Harl. — Tum *nec enim contentio* e coni. edidit Sch., quem secuti sunt Mueller et Or. Vulgo: *nec enim concio.* Frequens est vocc. *contentio* et *contio* (sic enim plerumque scribitur) confusio in MSS. et primis edd. Sic in hoc ipso cap. §. 230 *in ista ipsa contentione* exhibet Guelf. A, ibid. paullo post *quam concione frangendum* Havn. uterq., edd. antiquiss. Cfr. Gernhard ad Cic. Lael. 26 init.

contra collegam in censura nuper] Vide ad II. 11. 45. De hac oratione Cic. Brut. 44. 164: *Ipsa illa censoria contra Cn. Domitium collegam non est oratio, sed quasi capita rerum et orationis commentarium paullo plenius. Nulla est enim altercatio clamoribus unquam habita maioribus.*

§. 228. *quum omnium sis*] Sic Havn. uterq. (*venust. sis* Havn. A), Guelf. B et vulgo inde ab Aldo usque ad *Sch.; restituit* Or. — *quum omnium sit* Vet. Steph., octo

gravissimum et severissimum et esse et videri, quod isti contigit uni, id mihi vix ferendum videbatur. 229. Hic quum arrisisset Crassus: Attamen, inquit Antonius, quum artem esse facetiarum, Iuli, negares, aperuisti quiddam, quod praecipiendum videretur. Haberi enim dixisti rationem oportere hominum, rei, temporis, ne quid iocus de gravitate decerperet; quod quidem in primis a Crasso observari solet. Sed hoc praeceptum praetermittendarum est facetiarum, quum iis nihil opus sit. Nos autem, quomodo utamur, quum opus sit, quaerimus; ut in adversarium, et maxime, si eius stultitia poterit agitari, in testem stultum, cupidum, levem, si facile homines audituri videbuntur. 230. Omnino probabiliora sunt, quae lacessiti dicimus, quam quae priores. Nam et ingenii celeritas maior est, quae apparet in respondendo, et humanitatis est responsio. Videmur enim quieturi fuisse, nisi essemus lacessiti, ut in ista ipsa concione nihil fere dictum est ab hoc, quod quidem

---

Pearcii codd., Erl., Guelf. A *(quod omn. sit)*, Pearc., Sch., Mueller, Olsh. — *quod eum, qui omnium sit* edd. antiquiss.

§. 229. *quum arrisisset Crassus*] Sic Havn. uterq., quinque Oxx., Guelf. B, C (qui soli sunt, de quorum lectione aliquid adnotatum est), Ald., Iunt., Crat., Sch., Harl., Olsh. — *quum arris. ipse Crassus* edd. antiquiss., Man., Lamb., Grut., Ern., Or., qui comparat III. 12. 46: *Hic quum arrisisset ipse Sulpicius.* Verum illius loci paullo alia est ratio, quum significetur, Sulpicium a Crasso vituperatum adeo non offensum esse reprehensione, ut *ipse* arrideret; h. l. (ut Orellii *ipse* defendentis verba in meum pronomen eiicientis commodum vertam) "Crassus, laudes suas in æmuli et amici festiva invidia agnoscens, non potuit non arridere." — *Quum arrisisset ipse et Crassus(!)* e coni. edidit Muellerus, ridicula hac subiecta interpretatione: "Antonius, qui præcedentia verba ironice dixerat, *ipse arridet(!)*, idemque facere Crassus *coactus est*, *qui ea iocose dicta esse bene sentit!*"

prætermittendarum est fac.] Ita iam Lott., et sic ex Heinzii coni. Heusingero probata ediderunt recentt. post Sch. — *prætermittendum est fac.* omnes codd. et vulgo edd. — Deinde pro vulg. *quum his* rescripsi *quum iis*; vide ad II. 1. 2.

facetius dictum videretur, quod non provocatus responderit. Erat autem tanta gravitas in Domitio, tanta auctoritas, ut, quod esset ab eo obiectum, lepore magis elevandum quam contentione frangendum videretur.

LVII. 231. Tum Sulpicius, Quid igitur? inquit, patiemur Caesarem, qui, quamquam Crasso facetias concedit, tamen multo in eo studio magis ipse elaborat, non explicare nobis totum genus hoc iocandi, quale sit et unde ducatur, praesertim quum tantam vim et utilitatem salis et urbanitatis esse fateatur?

Quid si, inquit Iulius, assentior Antonio dicenti nullam esse artem salis?

232. Hic quum Sulpicius reticuisset, Quasi vero, inquit Crassus, horum ipsorum, de quibus Antonius iamdiu loquitur, ars ulla sit. Observatio quaedam est, ut ipse dixit, earum rerum, quae in dicendo valent; quae si eloquentes facere posset, quis esset non eloquens? Quis enim haec non vel facile vel certe aliquo modo posset ediscere? Sed ego in his praeceptis hanc vim et hanc utilitatem esse arbitror, non ut ad reperiendum, quid dicamus, arte ducamur, sed ut ea, quae natura, quae studio, quae exercitatione consequimur, aut recta esse confidamus aut prava

---

§. 230. *in Domitio*] *Cn. Domitius Ahenobarbus* in tribunatu pl. a. U. 651 (103) pontificibus offensior, quod alium quam se in patris sui locum cooptassent, legem tulit, *ut sacerdotes*, quos antea collegae cooptabant, *populus crearet*; vid. Vell. Paterc. II. 12, Sueton. Nero 2; cfr. Cic. Agr. II. 7. 18, Ern. Ind. legg. *l. Domitia.* Consulatum gessit a. U. 658 (96) cum C. Cassio Longino. (Wetzel atque Ellendt ad Brut. 45. 165 a Suetonio in errorem inducti huic Domitio cos. res a patre cos. a. U. 632 = 122 gestas tribuunt.) Censor fuit cum Crasso a. U. 662 (92). Satis in eo fuisse orationis atque ingenii, quamquam non fuerit in oratorum numero, Cicero iudicat Brut. l. c.

Cap. LVII. §. 232. *ut ipse dixit*] Vide II. 8. 32.

intelligamus, quum, quo referenda sint, didicerimus. 233. Quare, Caesar, ego quoque a te hoc peto, ut, si tibi videtur, disputes, de hoc toto iocandi genere quid sentias, ne qua forte dicendi pars, quoniam ita voluistis, in hoc tali coetu atque in tam accurato sermone praeterita esse videatur.

Ego vero, inquit ille, quoniam collectam a conviva, Crasse, exigis, non committam, ut, si defugerim, tibi causam aliquam dem recusandi. Quamquam soleo saepe mirari eorum impudentiam, qui agunt in scena gestum spectante Roscio. Quis enim sese commovere potest, cuius ille vitia non videat? Sic ego nunc, Crasso audiente, primum loquar de facetiis et docebo, sus, ut aiunt, oratorem eum, quem quum Catulus nuper audisset, *foenum alios* aiebat *esse oportere*.

234. Tum ille, Iocabatur, inquit, Catulus, praesertim quum ita dicat ipse, ut ambrosia alendus esse videatur. Verum te, Caesar, audiamus, ut ad Antonii reliqua redeamus.

Et Antonius, Perpauca quidem mihi restant, inquit; sed tamen defessus iam labore atque itinere disputationis meæ requiescam in Caesaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio.

---

§. 233. *quoniam collectam a conviva — exigis*] H. e. quoniam me quoque ad hanc disputationem aliquid conferre vis. Similitudo ducta est a coena collatitia, in quam unumquemque convivam symbolam s. collectam (*ἔρανον, συμβολήν*) conferre oportebat. Exempla huius rei ex Plauti et Terentii comoediis suppeditant lexica. De *ἐράνοις* Græcorum vid. Wyttenb. ad Plutarch. Moral. Vol. VI P. I. p. 355, Boeckh Staatshaush. I. p. 264 sq., Welcker Æschyl. Trilog. p. 381 sq.

sus, ut aiunt] Plenum proverbium est *sus Minervam* (docet), et sic edidit Sch. Sed vid. Goerenz ad I. Acad. 6. 18 et III. Fin. 4. 16.

foenum alios esse oportere] "Significavit, alios videri Crasso comparatos pecudes esse, proinde foeno pascendos; Crassum autem divinum plane hominem, ut ambrosia pascendus sit, qui cibus est deorum." Turneb. p. 15.

§. 234. *disputationis meæ*] Sic Havn. uterq., Guelf. B.

LVIII. Atqui, inquit Iulius, non nimis liberale hospitium meum dices. Nam te in viam, simul ac perpaullulum gustaris, extrudam et eiiciam. 235. Ac ne diutius vos demorer, de omni isto genere quid sentiam, perbreviter exponam. De risu quinque sunt, quae quaerantur: unum, quid sit; alterum, unde sit; tertium, sitne oratoris velle risum movere; quartum, quatenus; quintum, quae sint genera ridiculi.

Atque illud primum, quid sit ipse risus, quo pacto concitetur, ubi sit, quomodo exsistat atque ita repente erumpat, ut eum cupientes tenere nequeamus, et quomodo simul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus. Neque enim ad hunc sermonem hoc pertinet, et si pertineret, nescire me tamen id non puderet, quod ne ipsi quidem illi scirent, qui pollicerentur.

236. Locus autem et regio quasi ridiculi (nam id proxime quaeritur) turpitudine et deformitate quadam continetur. Haec enim ridentur vel sola vel maxime, quae notant et designant turpitudinem aliquam non turpiter.

Est autem, ut ad illud tertium veniam, est plane oratoris movere risum; vel quod ipsa hilaritas benevolentiam conciliat ei, per quem excitata est; vel quod admirantur omnes acumen, uno saepe in verbo positum, maxime respondentis, nonnunquam etiam lacessentis; vel quod frangit adversarium, quod impedit, quod elevat, quod deterret, quod refutat; vel quod ipsum oratorem politum ess ehominem significat,

---

C, codd. Regii, Ald., Iunt., Crat., Lamb., Mueller, Or. — *meae* om. edd. antiquiss., Man., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh.

Cap. LVIII. §. 235. *viderit Democritus*] Democritus, qui semper risisse fertur idemque diligentissimus naturae scrutator fuit, risus originem et vim exp[illegible] *Democrito* vide ad I. 10. 42.

quod eruditum, quod urbanum, maximeque quod tristitiam ac severitatem mitigat et relaxat odiosasque res saepe, quas argumentis dilui non facile est, ioco risuque dissolvit.

237. Quatenus autem sint ridicula tractanda oratori, perquam diligenter videndum est, id quod in quarto loco quaerendi posueramus. Nam nec insignis improbitas et scelere iuncta, nec rursus miseria insignis agitata ridetur. Facinorosos enim maiore quadam vi quam ridiculi vulnerari volunt; miseros illudi nolunt, nisi si se forte iactant. Parcendum est autem maxime caritati hominum, ne temere in eos dicas, qui diliguntur.

LIX. 238. Haec igitur adhibenda est primum in iocando moderatio. Itaque ea facillime luduntur, quae neque odio magno neque misericordia maxima digna sunt. Quamobrem materies omnis ridiculorum est in istis vitiis, quae sunt in vita hominum neque carorum neque calamitosorum neque eorum, qui ob facinus ad supplicium rapiendi videntur; eaque belle agitata ridentur. 239. Est etiam deformitatis et corporis vitiorum satis bella materies ad iocandum; sed quaerimus idem, quod in ceteris rebus maxime quaerendum est, quatenus. In quo non modo illud praecipitur, ne quid insulse, sed etiam, si quid perridicule possis, vitandum est oratori utrumque, ne

---

§. 236. *odiosasque res — dissolvit*] Cfr. Cic. p. Roscio Am. 29. 82: *Erucii criminatio tota — dissoluta est* ibiq. Matth.

§. 237. *loco quaerendi*] Gerundii genitivus pro substantivo verbali positus est, quemadmodum III. 29. 111: *Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi.* Cfr. Ellendt ad Brut. 35. 133, Madvig. Emendatt. p. 197 sq.

Facinorosos enim] Sic Havn. uterq., Cant., Norf., Harl. [illegible], Guelf. B, C, codd. Regii ap. le Clerquium, Ald., [illegible], Lamb., Pearc., Mueller, Or. — *enim* om. vulgo antiquiss. edd.

quod tu mihi tribuis, Antoni, Crasso est omnium sententia concedendum. Non enim fere quisquam reperietur praeter hunc in utroque genere leporis excellens, et illo, quod in perpetuitate sermonis, et hoc, quod in celeritate atque dicto est. 221. Nam haec perpetua contra Scaevolam Curiana defensio tota redundavit hilaritate quadam et ioco; dicta illa brevia non habuit. Parcebat enim adversarii dignitati, in quo ipso servabat suam; quod est hominibus facetis et dicacibus difficillimum, habere hominum rationem et temporum et ea, quae occurrant, quum salsissime dici possint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipsum non insulse interpretantur. 222. Dicere enim aiunt Ennium, *flammam a sapiente facilius ore in ardente opprimi, quam bona dicta teneat*; haec scilicet bona, quae salsa sint. Nam ea dicta appellantur proprio iam nomine.

LV. Sed ut in Scaevola continuit ea Crassus atque illo altero genere, in quo nulli aculei contu-

---

in eo dedecus generi Brutorum fuisse dicit. — *Cn. Plancus*, pro quo contra Brutum dixit Crassus (cfr. Quintil. VI. 3. 44), p. Cluent. l. c. vocatur *L. Plancius*.

§. 221. *in quo ipso*] Sic Havn. A, α, Guelf. B. C, al. et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *in quo ipse* Havn. B, duo Steph., Mead., Harl. uterq., Cant., Z, β, γ, δ, ε, Erl., Pearc., Ern., Olsh.

§. 222. *flammam a sapiente*] "Versus est trochaicus integer et hemistichium. Itaque legi debet *a sapienti*, ut versus constet. Citatur haec Enniana sententia a Symmacho in epistolis. — Ennius autem bona dicta bonas sententias intellexerat, quas sapiens tenere se non potest quin loquatur: at homines faceti idem de dicacibus usurpare solebant et aliter versum interpretari." Turneb. p. 6 sq.

proprio iam nomine] Cfr. Cic. in libr. epist. ad Cornel. Nep. secundo ap. Macrob. Saturn. II. 1: *Itaque nostri, quum omnia, quae dixissemus, dicta essent, quae facete et breviter et acute locuti essemus, ea proprio nomine appellari DICTA voluerunt.*

Cap. LV. *in Scaevola*] Sic Havn. uterq., Harl. 1, Z, Guelf. A, Erl., Lamb., Pearc. et recentt. post Sch. Cfr. Held ad Caesar. B. G. II. 32. — Vulgo *in Scaevolam*.

meliarum inerant, causam illam disputationemque lusit: sic in Bruto, quem oderat et quem dignum contumelia iudicabat, utroque genere pugnavit. 223. Quam multa de balneis, quas nuper ille vendiderat, quam multa de amisso patrimonio dixit? Atque illa brevia: quum ille diceret, se sine causa sudare, *Minime mirum*, inquit, *modo enim existi de balneis.* Innumerabilia huiuscemodi fuerunt, sed non minus iucunda illa perpetua. Quum enim Brutus duos lectores excitasset et alteri de colonia Narbonensi Crassi orationem legendam dedisset, alteri de lege Servilia, et quum contraria inter sese de re publica capita contulisset: noster hic facetissime tres patris Bruti de iure civili libellos tribus legendos dedit. 224. Ex libro primo: FORTE EVENIT, UT IN PRIVERNATI ESSEMUS. *Brute, testificatur pa-*

§. 223. *existi de balneis*] "Iocus est in ancipiti significatione verbi *existi*, quod significat et vendere balneas et e balneis lotum egredi." Pearc.

Quum enim Brutus duos lectores excitasset] Cfr. Cic. p. Cluent. 51. 140 sq.: *L. Crassi auctoritatem sequor, qui quum L. Plancium defenderet, accusante M. Bruto, — quum Brutus, duobus recitatoribus constitutis, ex duabus eius orationibus capita alterna inter se contraria recitanda curasset; quod in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem ferebatur, quantum potest, de auctoritate senatus detrahit, in suasione legis Serviliae summis ornat senatum laudibus; et multa in equites Romanos quum ex ea oratione asperius dicta recitasset, quo animi illorum iudicum in Crassum incenderentur: aliquantum esse commotus dicitur. Itaque in respondendo primum exposuit utriusque rationem temporis, ut oratio ex re et causa habita videretur, deinde — tres et ipse excitavit recitatores cum singulis libellis, quos M. Brutus, pater illius accusatoris, de iure civili reliquit etc.*

de colonia Narbonensi] Cfr. Brut. 43. 160: *Voluit adolescens in colonia Narbonensi causae popularis aliquid attingere, eamque coloniam, ut fecit, ipse deducere. Exstat in eam legem senior, ut ita dicam, quam illa aetas ferebat, oratio.* Haec colonia deducta est a. U. 636 (118), M. Porcio Catone, Q. Marcio Rege coss. Vell. Paterc. I. 15. — De *lege Servilia* et Crassi suasione vide ad I. 52. 225. — De *Bruti patre* ad II. 33. 142.

§. 224. *in Privernati — Albano — Tiburti*] Praediis

nimia est imitatio, sicut obscoenitas. Orator surripiat oportet imitationem, ut is, qui audiat, cogitet plura, quam videat; praestet idem ingenuitatem et ruborem suum, verborum turpitudine et rerum obscoenitate vitanda.

LX. 243. Ergo haec duo genera sunt eius ridiculi, quod in re positum est; quae sunt propria perpetuarum facetiarum, in quibus describuntur hominum mores et ita effinguntur, ut aut re narrata aliqua, quales sint, intelligantur, aut imitatione brevi iniecta, in aliquo insigni ad irridendum vitio reperiantur. 244. In dicto autem ridiculum est id, quod verbi aut sententiae quodam acumine movetur. Sed ut in illo superiore genere vel narrationis vel imitationis vitanda est mimorum ethologorum similitudo, sic in hoc scurrilis oratori dicacitas magno opere fugienda est. Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a ceteris familiarem vestrum Granium aut Vargulam amicum meum? Non mehercule in mentem mihi quidem venit; sunt enim dicaces; Granio quidem nemo dicacior. Hoc, opinor, primum, ne, quotiescunque potuerit dictum dici, necesse habeamus dicere. 245. Pusillus testis processit. *Licet*, inquit, *rogare?* Philippus. Tum quaesitor prope-

---

verborum turpitudine et rerum obscoenitate] Sic omnes codd. et Iul. Victor hunc l. imitatus Art. rhet. p. 93 Mai. — Sed Wyttenb. Bibl. crit. II. P. IV. p. 76 leg. censet: *rerum turpitudine et verborum obscoen.*, conferens I Off. 29. 104 et 35. 127, eumque secuti sunt Sch., Harl., Mueller.

Cap. LX. §. 244. *Granium — Vargulam*] *Q. Granius*, præco, admodum dicax, qui ne summis quidem viris pepercit. Cic. p. Planc. 14. 33; cfr. Brut. 43. 160, 46. 172, ad Fam. IX. 15. Multa de eo scripsisse Lucilium, testis est Cic. Brut. 46. 172; cfr. fragm. Lucilii ap. Gell. IV. 17. — *Vargulæ*, Cæsaris amici, dictum commemoratur §. 247.

§. 245. *Philippus*] Vide ad II. 54. 220. — *Quæsitor* est, quicunque quæstioni capitali præest, sive is prætor est, sive

rans: *Modo breviter.* Hic ille: *Non accusabis. Perpusillum rogabo.* Ridicule. Sed sedebat iudex L. Aurifex, brevior etiam quam ipse testis; omnis est risus in iudicem conversus. Visum est totum scurrile [ridiculum]. Ergo haec, quae cadere possunt in quos nolis, quamvis sint bella, sunt tamen ipso genere scurrilia. 246. Ut iste, qui se vult dicacem et mehercule est, Appius, sed nonnunquam in hoc vitium scurrile delabitur. *Coenabo,* inquit, *apud te,* huic lusco, familiari meo C. Sextio; *uni enim locum esse video.* Est hoc scurrile, et quod sine

---

non est. Cfr. Cic. Verr. Act. I. 10. 29, Vatin. 14. 34, Sallust. Iug. 40, Ascon. argum. Milon.

Perpusillum rogabo] "Iocus ex eo oritur, quod vox *perpusillum*, quæ nunc est adiectivum, tunc temporis fuit etiam adverbium; hoc sensu significat *perparum* vel *paucis verbis*, priore vero sensu accipere possis pro eo, qui *brevissimus* est corpore." Pearc.

brevior etiam quam ipse testis] Sic plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd. inde ab Aldo usque ad Ern. — *brevior etiam quam testis ipse* edd. antiquiss., Ern. Harl. — *brevior etiam quam testis* (om. *ipse*) Erl. — *brevior etiam ipse quam testis* Sch. in ed. mai., Olsh. — *brevior ipse quam testis* Guelf. A, Sch. in ed. min., Mueller, Or. — *brevior quam ipse testis* Guelf. B, C.

totum scurrile ridiculum] Sic Vet. Steph. (*esse scurr. ridic.*), Harl. 1, marg. Norf., Z, y, excerpt. δ, Guelf. A, Lamb., Pearc., Lallem., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *totum scurrile iudicium* Havn. uterq., al. et vulgo ante Sch. inde ab antiquiss. edd. — Ern. tamen voc. *iudicium* e margine irrepsisse ratus uncis inclusit, quod idem de voc. *ridiculum* valere videtur; utrumque glossema est voc. *totum*.

§. 246. *Appius*] Quinam hic e Claudiis sit, non constat; cap. 70. 284 *Appii maioris* quoddam dictum in Lucilium commemoratur. — *Scurrile*, quod sequitur, eiecerunt Sch., Harl., Mueller.

C. Sextio] Fortasse est *C. Sext. Calvinus*, de quo Cic. Brut. 34. 130: *Ingenio et sermone eleganti, valetudine incommoda C. Sextius Calvinus fuit; qui etsi, quum remiserant dolores pedum, non deerat in causis, tamen id non saepe faciebat. Itaque consilio eius, quum volebant, homines utebantur, patrocinio, quum licebat.* Cfr. c. 61. 249.

uni enim locum esse video] "Iocus est sumptus ex communi illorum temporum consuetudine loquendi, qua, aliquos

causa lacessivit et tamen id dixit, quod in omnes luscos conveniret. Ea quia meditata putantur esse, minus ridentur. Illud egregium Sextii et ex tempore: *Manus lava,* inquit, *et coena.* 247. Temporis igitur ratio et ipsius dicacitatis moderatio et temperantia et raritas dictorum distinguet oratorem a scurra, et quod nos cum causa dicimus, non ut ridiculi videamur, sed ut proficiamus aliquid, illi totum diem et sine causa. Quid enim est Vargula assecutus, quum eum candidatus A. Sempronius cum M. suo fratre complexus esset: *Puer abige muscas?* Risum quaesivit, qui est mea sententia vel tenuissimus ingenii fructus. Tempus igitur dicendi prudentia et gravitate moderabimur, quarum utinam artem aliquam haberemus! sed domina natura est.

LXI. 248. Nunc exponamus genera ipsa summatim, quae risum maxime moveant. Haec igitur sit prima partitio, quod facete dicatur, id alias in re habere, alias in verbo facetias; maxime autem homi-

---

convivis vocatis, ei, quem præterea invitatum vellent, locum superesse dicebant. Plautus in Sticho [IV. 2. 37]: *Ædepol tibi etiam, opinor, uni locum conspicor, ubi accubes.* Id scurriliter ad vitium oculi convertit Appius." Turneb. p. 22.

Manus lava et coena] Hoc utrum ad immunditiem Appii an ad avaritiam referendum sit, ambigitur.

§. 247. *aliquid, illi totum*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *aliquid, id illi totum* ed. s. l. et a., Med. 1 (*ut illi*), Ven., Lott., Sch., Mueller, Or. — Vulgata optime habet; id, quod distinguat oratorem a scurra, primum per substantiva exprimitur, deinde per particulam *quod.* Altera lectio, qua sententia turbatur, ex *at* ante *illi* a librariis addito ac deinde in *ut*, *id* mutato orta esse videtur.

Puer abige muscas] H. e. istos homines, qui æque molesti sunt ac muscæ. — De *prensatione* et *assectatoribus* vide ad I. 24. 112 et 56. 239.

Cap. LXI. §. 248. *id alias in re habere — facetias; maxime autem*] Sic omnes fere codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab Aldo usque ad Ern. Bene fecit Olsh., qui hanc vulg. lect. restituit; neque enim minus recte dicitur *habere facetias in re, in verbo,* quam c. 62. 252 *in verbis ha-*

nes delectari, si quando risus coniuncte re verboque moveatur. Sed hoc mementote, quoscunque locos attingam, unde ridicula ducantur, ex iisdem locis fere etiam graves sententias posse duci. Tantum interest, quod gravitas honestis in rebus severe, iocus in turpiculis et quasi deformibus ponitur; velut iisdem verbis et laudare frugi servum possumus et, si est nequam, iocari. Ridiculum est illud Neronianum vetus in furace servo: *Solum esse, cui domi nihil sit nec obsignatum nec occlusum*; quod idem in bono servo dici solet. Sed hoc iisdem etiam verbis;
249. ex iisdem autem locis omnia nascuntur. Nam quod Sp. Carvilio graviter claudicanti ex vulnere ob

---

bet leporem omnem. — *id alias in re haberi, alias in verbo; facetiis autem maxime* Erl. (*facetiis autem homines max.*), edd. antiquiss., Ern., Harl., Mueller, Or. (Etiam in ψ est *facetiis.*) — *id alias in re haberi, alias in verbo; maxime autem* Sch. e coni.

iisdem verbis] Sic recte Havn. uterq., Vet. Steph., ψ, Guelf. B, C, Lamb., Sch., Harl., Mueller, Olsh. — *in iisdem verbis* Erl. al. et vulgo edd. ante Sch. inde ab antiquiss.; quam barbaram lectionem (*laudare in iisdem verbis*) mirum est ab Orellio propter v. *iocari* retentam esse; quasi vero bene dicatur *iocari in verbis!*

Neronianum vetus in furace servo] "Illius, ut reor, [C. Claudii] Neronis, qui res adversus Hanibalem gessit [cos. a. U. 547 = 207 cum M. Livio Salinatore II, Liv. XXVII. 34], estque exemplum hoc, ut pleraque huius loci prisca, sumptum ex libro Apophthegmatum Catonis. Dictum autem hoc et de furace accipi potest, ut a Nerone usurpatum fuerat, qui omnia resignet et recludat, et de servo frugi, cuius fidei omnia herus committat, cui nihil annulo obsignet, nihil claudat sera. In quodam libro scripto legitur *Nævianum*, ut a Nævio poeta sumptum, quod fortasse verius." Turneb. p. 23. — *Nævianum* etiam margo Crat. Verum Quintilianus quoque VI. 3. 50 hoc dictum ad Neronem auctorem refert.

§. 249. *Sp. Carvilio*] "Puto hunc esse, qui primus apud Romanos uxorem dimisit [Valer. Max. II. 1. 4, Gell. IV. 3, XVII. 21]. Vir fuit illustris, qui equestri loco natus ad summam pervenit dignitatem, ut Paterculus scribit [II. 128]. Consul autem fuit [a. U. 520 = 234 cum L. Postumio Albino atque iterum a. U. 526 = 228] cum Fabio Maximo. Auctor Cicero de Senectute [4. 11]." Turneb. ibid.

rem publicam accepto et ob eam causam verecundanti in publicum prodire mater dixit: *Quin prodis, mi Spuri? ut, quotiescunque gradum facies, toties tibi tuarum virtutum veniat in mentem,* praeclarum et grave est; quod Calvino Glaucia claudicanti: *Ubi est vetus illud: num claudicat? At hic clodicat,* hoc ridiculum est, et utrumque ex eo, quod in claudicatione animadverti potuit, est ductum. *Quid hoc Naevio ignavius?* severe Scipio; at in

ut, quotiescunque gradum facies] Ita ψ, Victor., Man., Or. — *ut — facias* Guelf. B, C, Ald., Iunt., Crat., Lamb. — *et — facies* edd. antiquiss. (*et* etiam Havn. B. — *facias* Havn. uterq.). — *ut* om. multi codd. (si ex silentio quidquam concludi fas est), repett. Lamb., Grut. et recentt. post Ern. — *veniet* ψ, edd. antiquiss.

Calvino Glaucia] De *Calvino* vide ad 60. 246. — De *Glaucia* Cic. Brut. 62. 224: *Longe autem post natos homines improbissimus C. Servilius Glaucia, sed peracutus et callidus cum primisque ridiculus. Is ex summis et fortunæ et vitæ sordibus in prætura consul factus esset, si rationem eius haberi licere iudicatum esset. Nam et plebem tenebat et equestrem ordinem beneficio legis devinxerat. Is prætor eodem die, quo Saturninus tribunus plebis, Mario et Flacco coss.* (a. U. 654 = 100), *publice est interfectus.* Cfr. p. C. Rabir. perd. 7. 20, I Catil. 2. 4 ibiq. intt., Liv. epit. 69, Appian. B. C. I. 28.

num claudicat? At hic clodicat] "*Num claudicat?* Sic loquebantur veteres, quum in re vel homine nihil esse vitii significare volebant. — Nam *claudicare* pro *vitiosum esse* et *non rectum* dicebant. — Glaucia ergo — significavit, improbum esse Calvinum, qui non tantum pede, sed etiam animo claudus esset." Turneb. p. 24. Fortasse tamen verb. *claudicare* ad ingenium potius quam ad animum referendum est. — *Claudicat* exhibent omnes codd. atque edd. ante Grut.; tum rursus Cockm., Pearc., Harl., Or. — *claudicas* Grut., Ern., Sch., Mueller, Olsh., quod unde ductum sit, nescio. — Statim *hoc ridiculum est* omnes codd. et vulgo edd. — *hoc* om. Ern. e coni., eumque secuti sunt Sch., Harl., Mueller.

Quid hoc Nævio ignavius] "Dictum est Africani, ut opinor, superioris in Nævium, a quo fuerat accusatus, quod præda bello Antiochi capta ærarium fraudasset; alii tamen a Petilio [Petilliis] accusatum fuisse scribunt [vide Liv. XXXVIII. 50, 56, Valer. Max. III. 7. 1, Gell. IV. 18]. Locus annominationem habet. Nominatur a Livio [XXXVIII. 56] oratio P. Africani in M. Nævium, in qua, ut opinor, hoc

male olentem, *Video me a te circumveniri*, subridicule Philippus. At utrumque genus continet verbi ad literam immutati similitudo. 250. Ex ambiguo dicta vel argutissima putantur, sed non semper in ioco, saepe etiam in gravitate versantur. Africano illi maiori coronam sibi in convivio ad caput accommodanti, quum ea saepius rumperetur, P. Licinius Varus, *Noli mirari*, inquit, *si non convenit; caput enim magnum est.* Laudabile et honestum. At ex eodem genere est: *Calvus satis est, quod dicit parum.* Ne multa; nullum genus est ioci, quo non ex

---

dixerat. Potuit et a minore Africano in alium Nævium id etiam dici." Turneb. p. 24 sq.

Video me a te circumveniri] Sic codd. (in Pal. pr., sec., Gallicanis et Z h. l. lacuna est) et vulgo edd. — *video me a te non conveniri, sed circumveniri* e Strebæi coni. Steph., Lamb., Pearç., prob. Heusingero. "Sed, ne illud urgeam, hac ratione non litteras, sed integras syllabas immutari, hoc maxime quærendum est, quomodo ille iocus pertineat ad male olentem. Necessarium est, hic ex immutatione litteræ aliquid exisse, quo foetor alarum in altero perstringeretur. Nihil video melius, quam Philippum in verbis *circum* et *hircum* lusisse." Schuetz.

§. 250. *coronam sibi — accommodanti*] In conviviis et Romani et Græci caput, interdum etiam collum coronis e variis floribus vel herbis consertis circumdederunt. De hoc more vide quos laudat Creuzer Antiqq. p. 435 ed. alt. — *Caput magnum* "Ambiguum est; nam significatur et magnitudo partis et amplitudo hominis. Publius autem iste Licinius Varus bello secundo Punico ædilis cum Veturio fuit [a. U. 544 = 210], ut Livius [XXVII. 6] scribit; postea etiam [a. U. 546 = 208] præturam eodem bello adeptus est [Liv. XXVII. 22], in qua tulit ad populum, ut ludi Apollinares in statam diem in perpetuum voverentur [Liv. l. c. 23]." Turneb. p. 25 sq.

Calvus satis est, quod dicit parum] Hæc varie interpunguntur: *Calvus satis est, quod dicit, parum; Calvus, satis est, quod dicit parum* (quod de Calvo quodam malo oratore dictum putat Pearcius: "si plura diceret, minus bene diceret; iam istud, quod dixit, satis est, quia parum s. paucis verbis dixit."). Alii aliter distinguunt et interpretantur, sed ita, ut ad extremum pronuntiandum sit non liquere. Equidem voc. *calvus* cum Turnebo p. 26 appellativum esse putaverim, in eoque ambiguum latere suspicor, quod calvus

eodem severa et gravia sumantur. 251. Atque hoc etiam animadvertendum, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum, quam Sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce, denique corpore ridetur ipso. Salsum hunc possum dicere atque ita, non ut eiusmodi oratorem esse velim, sed ut mimum.

LXII. Quare primum genus hoc, quod risum vel maxime movet, non est nostrum: morosum, superstitiosum, suspiciosum, gloriosum, stultum; naturae ridentur ipsae; quas personas agitare solemus, non sustinere. 252. Alterum genus est imitatione admodum ridiculum, sed nobis tantum licet furtim, si quando, et cursim; aliter enim minime est liberale; tertium oris depravatio, non digna nobis; quartum obscoenitas, non solum non foro digna, sed vix convivio

---

non solum proprie, sed etiam translate de re exili usurpari possit, quemadmodum h. l. *calvus satis est*; nam *eius oratio calva* h. e. ieiuna est. Quidquid est, Muellerus errat, qui nexum docere ait, hoc esse severe dictum ex ambiguo. Immo ipsa oppositio *at ex eodem* docet, hoc in ioco versari, illud de Scipione in gravitate.

§. 251. *quam Sannio est*] Egregie ad hanc satiricam personam (Harlekin) illustrandam facit locus Diodori excerpt. Vatic. p. 129. Dindorf. (Maii scriptt. vett. nova collectio Vol. II. p. 117): *Ἦν γάρ* (initio belli socialis) *τις Λατῖνος ὄνομα μὲν Σαννίων, γελωτοποιὸς δὲ καὶ χάριτας ὑπερβαλλούσας ἔχων εἰς ἱλαρότητα. οὐ γὰρ μόνον ἐν τοῖς λόγοις ἐκίνει γέλωτας, ἀλλὰ καὶ κατὰ τὴν σιωπὴν καὶ ποίαν* (leg. *πᾶσαν* vel *ὁποίαν* D.) *σώματος ἐπιστρόφὴν ἅπαντας ἐποίει τοὺς θεωμένους μειδιᾶν, φυσικῆς τινος ἐπιτρεχούσης πιθανότητος. διὸ καὶ παρὰ Ῥωμαίοις μεγάλης ἀποδοχῆς ἐν τοῖς θεάτροις ἐπληροῦτο.* Cfr. Non. voc. *sanniones* (I. 302 p. 517 Gothofr.), G. Io. Vossii Etymolog. p. 446.

corpore ridetur ipso] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, Oxx. omnes, al., Non. l. c., et sic vulgo ante Ern.; restituit Or. — *ipso corpore ridetur* Cant., Erl., edd. antiquiss., Pearc. et recentt. post Ern. — *corpore ipso ridetur* Lamb.

Cap. LXII. §. 252. *imitatione admodum ridiculum*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *imitatio, admodum ridiculum* e coni. Schuetzius, quem secuti sunt Mueller et Or.

liberorum. Detractis igitur tot rebus ex hoc oratorio loco facetiae reliquae sunt, quae aut in re, ut ante divisi, positae videntur esse, aut in verbo. Nam quod, quibuscumque verbis dixeris, facetum tamen est, re continetur; quod mutatis verbis salem amittit, in verbis habet leporem omnem.

253. Ambigua sunt in primis acuta atque in verbo posita, non in re; sed non saepe magnum risum movent, magis ut belle et literate dicta laudantur: ut illud in Titium, qui quum studiose pila luderet et idem signa sacra noctu frangere putaretur, gregalesque, quum in campum non venisset, requirerent, excusavit Vespa Terentius, quod eum *brachium fregisse* diceret; ut illud Africani, quod est apud Lucilium:

Quid? Decius, Nuculam an confixum vis facere? inquit,

---

convivio liberorum] Cfr. I Off. 29. 104: *Alter* (ingenuus iocus) *est, si tempore fit, remisso homine dignus; alter* (illiberalis iocus) *ne libero quidem, si rerum turpitudo adhibetur aut verborum obscoenitas;* ubi forte admodum Beierus p. 226 post alios *liberum* dicit esse eum, qui non verecundetur suo quamque rem nomine appellare, qui omnia apertissimis verbis agere audeat. *Liber* utroque loco simpliciter opponitur *servo*.

§. 253. *ut illud in Titium*] Sic Man. (prob. Pearc. in ed. 1 et 2), Sch., Mueller, Or. — Vulgo: *ut in illum Titium.* De *Titio* vide ad II. 11. 48; cfr. III. 23. 88.

qui quum studiose] Sic codd. et vulgo edd. De hoc attractionis genere (pro: *quem, quum ille*) vid. Madvig Epist. ad Orell. p. 106 sq. — *quem, quum stud.* e Pearc. (in ed. 1 et 2) coni. Ern., Sch., Harl., Olsh.

brachium fregisse] "Potuit hoc et de brachio Titii intelligi et de brachio signi cuiusdam sacri, quod putabatur Titius fregisse; utraque de causa non credibile fuit, eum in campum venturum fuisse. Si suum brachium fregisset, non potuit; si signi, criminis sibi conscius noluit. Iocus igitur ex ambiguo illo ductus est." Pearc.

Quid? Decius] Interpretum opiniones de obscurissimo hoc versu affert Schuetz: "Heusingerus arbitratur respexisse Lucilium ad ludum illum, qui nucibus ludebatur, cuius mentionem facit auctor elegiæ, quæ *Nux* inscribitur: *Quas puer aut rectus certo dilaminat ictu.* Alii confixum facere

254. Ut tuus amicus, Crasse, Granius, *non esse sextantis*. Et si quaeritis, is, qui appellatur dicax, hoc genere maxime excellet; sed risus movent alia maiores. Ambiguum per se ipsum probatur id quidem, ut ante dixi, vel maxime; ingeniosi enim videtur, vim verbi in aliud, atque ceteri accipiant, posse ducere; sed admirationem magis quam risum movet, nisi si quando incidit in aliud genus ridiculi.

LXIII. 255. Quae genera percurram equidem; sed scitis esse notissimum ridiculi genus, quum aliud exspectamus, aliud dicitur. Hic nobismet ipsis noster error risum movet. Quod si admixtum est etiam ambiguum, fit salsius: ut apud Naevium videtur esse

---

simpliciter pro *configere* dictum esse putant. Ernesti in *confixum* cibi genus significari putat, *ein Fricassé*. Quod si placet, etiam in nomine *Nucula* allusisse potest ad aliquod edulii genus, quod est apud Apicium, ut iam Turnebus observavit. Ceterum cfr. Iani Parrhasii de rebus per epist. quæsitis, ep. 50." — Turnebus et Ern. in Ind. putant *Decium* esse eum, qui Opimium accusaverit; cfr. II. 30. 132. — De *Lucilio* vide ad I. 16. 72.

§. 254. *non esse sextantis*] "Sextans est sexta pars assis vel congii. Ambiguum videtur esse in eo, quod aliud significat *sextantis*, aliud *sex tantis*; priore sensu Granius dixit, id, de quo agebatur, vilissimi esse pretii; posteriore vero, id non esse æquiparandum sex aliis tantis, seu pluris valere, quam sex alia tanta, ideoque esse valde pretiosum." Pearc. Paullo aliter Turnebus, sed eandem dicto ambiguitatem subiiciens: "*Non esse sextantis* dicitur, quod pluris est, id est, quod est magni pretii; et *non esse sextantis* etiam dicitur, quod minoris est, id est, quod nullius prope pretii."

Cap. LXIII. §. 255. *ut apud Nævium*] *Novii*, Atellanarum scriptoris (Macrob. Sat. I. 10, Gronov. ad Gell. XV. 13), nomen pro *Nævio* h. l., item c. 69. 279 et c. 70. 285 restituendum esse censet Schneiderus in epist. ad Langerum, Wetzelianæ Bruti editioni præmissa, p. XVIII, eumque secuti sunt Sch., Harl. et Mueller. Sed h. l. omnes codd. et vulg. edd. *apud Nævium* exhibent. Ceterum difficilis est optio, quod etiam Nævius comoedias scripsisse fertur, et quod *Nævii* et *Novii* nomina sæpe a librariis confunduntur (cfr. Santen ad Terentian. Maur. de metr. p. 233 sqq., Gernh. ad Cic. de Sen. 6. 20). — *Cn. Nævius* bello Punico primo stipendia fecit (Varro ap. Gell. XVII. 21). A. U. 519 (235)

misericors ille, qui iudicatum duci videns percontatur ita: *Quanti addictus? — Mille nummum.* — Si addidisset tantummodo: *Ducas licet,* esset illud genus ridiculi praeter exspectationem; sed quia addidit: *Nihil addo, ducas licet,* addito ambiguo, altero genere ridiculi, fuit, ut mihi quidem videtur, salsissimus. Hoc tum

---

fabulas apud populum dedit (Gell. l. c.). Ob maledicentiam et probra in principes civitatis dicta in vincula coniectus est; postea tamen a tribunis plebis liberatus (Gell. III. 3, cfr. VI. 8) Uticam migravit, ubi a. U. 550 (204) mortuus est (Cic. Brut. 15. 60, Hieronym. Chron. Euseb. Ol. CXLIV). Scripsit fabulas, carmen de bello Punico primo, alia.

iudicatum duci] Qui solvendo non erant, in ius rapiebantur atque, creditoribus adiudicati, nexi in servitutem ducebantur; idque et ante latas XII tabb. et postea iuris erat (Liv. II. 23 sqq., Gell. XX. 1), donec a. U. 428 (326) ob foeneratoris alicuius crudelitatem mutatum est, legeque Poetilia Papiria cautum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in compedibus aut in nervo teneretur; pecuniæ creditæ bona debitoris, non corpus obnoxium esset (Liv. VIII. 28; cfr. Cic. de republ. II. 34). Id tamen vel post hanc legem mansisse videtur, ut, qui solvendo non essent, ita creditoribus addicerentur, ut operas serviles pro pecunia, quam debebant, facere cogerentur. Vide Varron. de L. L. VII. p. 383 Spengel. (ubi tamen, si nihil aliud, certe nomina corrupta sunt), Quintil. III. 6. 25, V. 10. 60, impr. vero VII. 3. 26 sq., Valer. Max. VI. 1. 9 (nisi forte is, mutatis nominibus, eandem rem respicit, quam Liv. VIII. 28 tradit). Cfr. Lex de Gallia Cisalp. de iure dicundo in Hugonis civilistisch. Magazin Vol. II. 20. p. 450 et 456 et Schrader ibid. Vol. V. 7. 6 p. 185.

videns percontatur] Sic edd. antiquiss., Man., Steph., Lamb., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *videt, percontatur* Havn. uterq., Vet. Steph., ψ, al., Ald., Iunt., Crat., Grut. — *videt, percunctatus* ex I. F. Gronovii coni. (Observv. II. 11 extr.) Iac. Gronov., Cockm., Pearc., Ern., Harl.

Nihil addo, ducas licet] "Ille, qui interrogabat, videbatur iudicatum, soluta summa aut promissa, vindex liberaturus; præter exspectationem igitur *ducas licet* creditori dixit, significans, se illi nullam facere moram." Turneb. p. 32. — *Nihil addo* ambiguum est; potest enim esse aut nihil addo *verborum*, aut nihil addo *pecuniæ*.

salsissimus] Sic omnes codd. et vulgo edd., et recte quidem; ille, qui apud Nævium hæc verba addidit, *salsissimus fuit*, h. e. salsissime hæc dixit. — *salsissimum* e coni. edidit Ern., quem recentt. secuti sunt; sed tum scribi debebat *est* v. *factum est salsissimum*, non *fuit*. — *A Catulo in Philippum* Vide 54. 220.

est venustissimum, quum in altercatione arripitur ab adversario verbum, et ex eo, ut a Catulo in Philippum, in eum ipsum aliquid, qui lacessivit, infligitur.
256. Sed quum plura sint ambigui genera, de quibus est doctrina quaedam subtilior: attendere et aucupari verba oportebit; in quo, ut ea, quae sint frigidiora, vitemus (etenim cavendum est, ne arcessitum dictum putetur), permulta tamen acute dicemus.

Alterum genus est, quod habet parvam verbi immutationem, quod in litera positum Graeci vocant *παρονομασίαν*, ut *Nobiliorem, mobiliorem* Cato; aut ut idem, quum cuidam dixisset, *Eamus deambulatum*, et ille, *Quid opus fuit DE? Immo vero*, inquit, *quid opus fuit te?* aut eiusdem responsio illa: *Si tu et adversus et aversus impudicus es.*

257. Etiam interpretatio nominis habet acumen, quum ad ridiculum convertas, quamobrem ita quis

---

§. 256. *Nobiliorem, mobiliorem*] Significatur *M. Fulvius Nobilior*, qui prætor a. U. 561 (193) in Hispaniam ulteriorem missus (Liv. XXXIV. 55) biennio post, re bene gesta, ovans urbem est ingressus (Liv. XXXVI. 21). Consul a. U. 565 (189) Ætolos vicit (Liv. XXXVII. 48 sqq.) atque a. U. 567 (187) de Ætolis et de Cephallenia triumphavit (Liv. XXXIX. 5). Censor a. U. 575 (179) eodem die, quo censor factus est, cum M. Æmilio Lepido collega, homine inimicissimo, in gratiam rediit. Cic. de Prov. Consul. 9. 20, Liv. XL. 45 sq. — Nobilioris levitatem hac *παρονομασίᾳ* notari patet; eum autem levem dicere, qui litteris artibusque aliquid tribueret, Catonis ingenio consentaneum erat, quippe qui in oratione ut probrum obiecerit eidem Nobiliori, quod is in provinciam poetas duxisset (Cic. I. Tusc. 2. 3); consul enim Ennium comitem in Ætoliam duxerat atque e manubiis templum Musis dedicaverat (Cic. Tusc. l. c., Brut. 20. 79, p. Arch. 11. 27, Plin. H. N. XXXV. 36. 4 ibiq. Harduin.). Fortasse tamen etiam ambitionem Nobilioris hoc dicto carpsit Cato, quem eidem Nobiliori obiecisse tradit Gell. V. 6, quod milites per ambitionem coronis de causis levissimis donasset.

quid opus fuit DE] "Reprehendebat, quod male esset latine locutus, quum *ambulatum* dicere debuisset." Turneb. *p. 35.*

vocetur: ut ego nuper Nummium divisorem, ut Neoptolemum ad Troiam, sic illum in campo Martio nomen invenisse. Atque haec omnia verbo continentur.

LXIV. Saepe etiam versus facete interponitur, vel ut est, vel paullulum immutatus, aut aliqua pars versus: ut Statius Scauro stomachanti (ex quo sunt nonnulli qui tuam legem de civitate natam, Crasse, dicant):

---

§. 257. *Nummium divisorem*] *Divisores* vocabantur ii, qui in comitiis candidatorum nomine pecuniam populo distribuebant atque hac ratione suffragia corrumpebant. Cfr. Cic. Verr. Act. I. 8. 22, p. Planc. 19. 48, Q. Cic. petit. Consul. 14. Hi candidatorum ministri male vulgo confunduntur cum iis, qui in comitiis tabellas distribuebant, et cum diribitoribus. Cfr. Wunder VV. LL. cod. Erf. Præf. p. CXXVI sqq., Madvig de Ascon. p. 134 not. Cæsar Nummium a nummis in campo distributis appellatum esse iocabatur, quemadmodum Neoptolemum, Achillis fil., quod adolescens ad bellum Troianum profectus esset.

Cap. LXIV. *Statius Scauro*] Versiculis, qui sequuntur, Statius nescio quis Scauri obscuram originem (*queis nec mater nec pater*) carpit. Scaurus enim, ut ait Ascon. ad Scaurian. p. 135 Beier., *ita fuit patricius, ut tribus supra eum ætatibus iacuerit domus eius fortuna. Nam neque pater neque avus neque etiam proavus (ut puto, propter tenues opes et nullam vitæ industriam) honores adepti sunt. Itaque Scauro æque ac novo homini laborandum fuit.* Cfr. eund. p. 215, Plutarch. de fort. Rom. c. 4: *Αἰμίλιος δὲ Σκαῦρος ἐκ ταπεινοῦ βίου καὶ ταπεινοτέρου γένους καινὸς ἄνθρωπος ἀρθεὶς ὑπὸ τῆς τύχης, προγράφεται τοῦ μεγάλου συνεδρίου* (h. e. princeps senatus legitur); Valer. Max. IV. 4. 11, Aurel. Victor. de VV. Ill. 72, qui eius patrem ob paupertatem carbonarium negotium exercuisse tradit, ipsumque primo dubitasse, honores peteret, an argentariam faceret. Ad summos tamen honores pervenit magnamque auctoritatem adeptus est (vide ad I. 49. 214), unde Cicero eum memoriam prope intermortuam generis sui virtute renovasse dicit p. Muren. 7. 16.

tuam legem de civitate] Legem *Liciniam et Muciam de civibus regundis* a. U. 659 (95) a. L. Crasso et Q. Mucio Scævola P. M. coss. latam, qua lege cautum est, *ne quis esset pro cive, qui non esset civis*, Cic. III. Off. 11. 47 ibiq. Beier; cfr. fragm. Orat. Cornel. p. 21 Sch., ubi Asconius: *Quum summa cupiditate civitatis Romanæ Italici populi tenerentur, et ob id magna pars eorum pro civibus Romanis*

St, tacete, quid hoc clamoris? queis nec mater nec pater,
Tanta confidentia? auferte istam enim superbiam.

Nam in Caelio sane etiam ad causam utile fuit tuum illud, Antoni, quum ille a se pecuniam profectam diceret testis et haberet filium delicatiorem, abeunte iam illo,

Sentin' senem esse tactum triginta minis?

258. In hoc genus coniiciuntur proverbia: ut illud Scipionis, quum Asellus omnes provincias stipendia merentem se peragrasse gloriaretur: *Agas asellum* et cetera. Quare ea quoque, quoniam mutatis verbis non possunt retinere eandem venustatem, non in re, sed in verbis posita ducantur.

259. Est etiam in verbo positum non insulsum genus ex eo, quum ad verbum, non ad sententiam rem accipere videare, ex quo uno genere totus est Tutor, mimus vetus, oppido ridiculus. Sed abeo a

---

gererent, necessaria lex visa est, ut in suæ quisque civitatis ius redigerentur etc. — Statim *queis — confidentia? auferte*, ut metro consulatur, Sch., Mueller, Or. — Vulgo: *quibus — confidentia estis? auferte.*

Sentin' senem] "Antonius orator censor factus de ambitu causam dixit, accusatus a M. Duronio [infr. 68. 274]. Caelius [fortasse C. Caelius Caldus, de quo vide ad I. 25. 117], cuius filius erat intemperantior in libidines (eum enim hic delicatum vocat), pecuniam quandam a se profectam dicebat, qua corrupta essent ab Antonio suffragia; dixit Antonius, ab adolescente in meretriculas insumptam, emuncto patre, ut in comoediis adolescentes facere solent. *Tangere* enim hic fallere et circumvenire est [cfr. Plaut. Epid. V. 2. 40, Poenul. prolog. 101]. M. autem Antonius et L. Flaccus censores [a. U. 657 = 97] hunc Duronium postea senatu moverunt, quod legem de coercendis conviviorum sumptibus latam tribunus pleb. abrogaverat [Valer. Max. II. 9. 5]." Turneb. p. 37 sq.

§. 258. *Agas asellum*] Hoc proverbium ita supplet Turnebus: *Agas asellum, si bovem agere non queas*, ut respondeat Græco: εἰ μὴ δύναιο βοῦν, ἔλαυνε ὄνον (Cfr. Apostol. Proverb. VII, 53, Zenob. III. 54); Talæus, Lambinus, alii ita: *Agas asellum, cursum non docebitur.* — De *Asello* vide infr. ad 66. 268.

§. 259. *Tutor, mimus vetus*] De hac fabula nihil alibi traditum inveni.

mimis; tantum genus huius ridiculi insigni aliqua et nota re notari volo. Est autem ex hoc genere illud, quod tu, Crasse, nuper ei, qui te rogasset, num tibi molestus esset futurus, si ad te bene ante lucem venisset, *Tu vero*, inquisti, *molestus non eris. — Iubebis igitur te*, inquit, *suscitari? —* et tu: *Certe negaram te molestum futurum.* 260. Ex eodem hoc vetus illud est, quod aiunt Maluginensem illum M. Scipionem, quum ex centuria sua renuntiaret Acidinum consulem, praecoque dixisset: *Dic de L. Manlio! — Virum bonum*, inquit, *egregiumque civem esse arbitror.* Ridicule etiam illud L. [Por-

---

Certe negaram] Sic Harl. 1, Erl., Pearc. et recentt. post Ern. — Vulgo (etiam Havn. uterq.): *certe negaras.* — "Quum quis rogasset Crassum, *num ei molestus esset futurus, si ad eum bene ante lucem venisset*, respondit Crassus: *tu vero molestus non eris*, ubi verba *non eris* ambigua sunt; in Latina enim lingua sunt vel concedentis vel negantis. — Priore sensu Crassi verba intellexit iste, qui eum consulere voluit, et quum veniam sibi concessam esse arbitraretur, subiecit: *Iubebis igitur te suscitari?* Sed posteriore sensu se locutum fuisse dixit Crassus, quum respondit: *certe negaram te molestum futurum.*" Pearcius.

§. 260. *Maluginensem illum M. Scipionem*] Intell. *dixisse.* — Fortasse significatur *M. Cornelius Scipio Maluginensis*, prætor a. U. 578 (176), quem commemorat Liv. XLI, 14, 15 et 47; cfr. Ern. Ind. hist. h. v.

quum ex centuria sua renuntiaret Acidinum] H. e. quum suæ centuriæ rogator (tum enim, nondum latis legibus tabellariis, voce suffragia ferebantur), interrogante præcone, consuli comitia habenti declararet, suam centuriam Acidinum consulem nominasse. De *centuriæ rogatore* cfr. Cic. II Divin. 35. 74 ibiq. intt. — *L. Manlius Acidinus* videtur esse is, qui consul fuit a. U. 575 (179) cum Q. Fulvio Flacco. Liv. XL. 43.

Virum bonum] "Quum Maluginensis a præcone rogaretur, ut de candidato L. Manlio diceret, quid ipsius centuria censuisset, ille tamquam non de renuntiatione interrogatus esset, sed de Manlii moribus, respondit: *Virum bonum et egregium civem esse reor*; quod eo festivius est, quia non tantum de hominum moribus, sed et de candidatis ea verba vulgo usurpare solebant. Seneca [ep. 3 init]: *Et sic illum amicum vocasti, quomodo omnes candidatos bonos viros dicimus.*" Turneb. p. 40.

cius] Nasica censori Catoni, quum ille: *Ex tui animi sententia tu uxorem habes? — Non hercule,* inquit, *ex mei animi sententia.* Haec aut frigida sunt aut tum salsa, quum aliud est exspectatum. Natura enim nos, ut ante dixi, noster delectat error; ex quo, quum quasi decepti sumus exspectatione, ridemus.

LXV. 261. In verbis etiam illa sunt, quae aut ex immutata oratione ducuntur aut ex unius verbi

---

L. Porcius Nasica] Sic codd. (*Pontius* cod. Turneb., *Porticus* Havn. B) et vulgo edd. — *Porcii* nomen, quod e margine irrepsisse videtur, uncis inclusit Or. — VV. DD. coniecturas vide ap. Or. — De *Catone* vide ad I. 37. 171.

Ex tui animi sententia] "Quærebatur a censore de singulis civibus, haberentne uxores an coelibes essent [hos censores sæpe pecunia multarunt, Valer. Max. II. 9. 1, Festus voc. *uxorium;* censorum enim erat, coelibes esse prohibere, Cic. III. Legg. 3. 7; cfr. Liv. epit. 59, Gell. I. 6], formulaque quærendi hæc erat: *Ex tui animi sententia tu uxorem habes?* i. e. dic vere et fide, seu quod animus tuus sentit. [De iurandi formula: *ex mei, tui, animi sententia* vid. Lips. VV. LL. I. 1, Gronov. Observ. IV. 14, Spalding ad Quintil. VI. 3. 32, Beier ad III Off. 29. 108 p. 387.] Catoni hoc roganti Nasica respondit: *Non hercule ex mei animi sententia,* quibus verbis non negavit Nasica, se uxorem habere, sed significavit, se non habere uxorem talem, qualem ipsam vellet esse." Pearcius. — Cfr. Gell. IV. 20, qui eandem rem omissis personarum nominibus tradit atque addit, censorem eum, qui tam intempestive lascivisset, in ærarios retulisse causamque hanc ioci scurrilis apud se dicti subscripsisse.

ex mei animi sententia] Errat Orellius, qui Gruterum ita *primum pro arbitrio suo videri dedisse* dicit; nam codd. si non omnes, attamen plerique (etiam Havn. uterq.) et edd. antiquiss. (in Med. 2 om. *animi*) hunc ordinem exhibent; Gruterum secuti sunt plerique recentt. — *ex animi mei sent.* Ald., Iunt, Crat., Lamb., Sch. in ed. minor., Or., qui codicum auctoritatem se sequi dicit; sed quinam hi codd. sint, nescio, nisi *fortasse* Lambiniani (vide Lamb. adnot.). — *ex animi tui* Camerar., Man., repett. Lamb.

Cap. LXV. §. 261. *ex immutata oratione*] H. e. translata oratione, ἀλληγορίᾳ. — *unius verbi translatione* h. e. *tropo* s. verbi a propria significatione in aliam mutatione, Quintil. VIII. 6 init., IX. 1. 4. — *ex inversione verborum* Ironiæ quoddam genus significari perspicitur ex infra allato exemplo et c. 67. 269; cfr. Quintil. VIII. 6. 53.

translatione aut ex inversione verborum. Ex immutatione, ut olim Rusca quum legem ferret annalem, dissuasor M. Servilius, *Dic mihi*, inquit, *M. Pinari, num, si contra te dixero, mihi male dicturus es, ut ceteris fecisti? — Ut sementem feceris, ita metes*, inquit. 262. Ex translatione autem, ut, quum Scipio ille maior Corinthiis statuam pollicentibus eo loco, ubi aliorum essent imperatorum, *turmales* dixit *displicere*. Invertuntur autem verba, ut Crassus apud M. Perpernam iudicem pro Aculeone quum diceret, aderat contra Aculeonem Gratidiano L. Aelius Lamia, deformis, ut nostis; qui quum interpellaret odiose, *Audiamus*, inquit, *pulcellum puerum*, Crassus. Quum esset arrisum: *Non potui mihi*, inquit Lamia, *formam ipse fingere; ingenium potui*. Tum hic, *Audiamus*, inquit, *disertum*. Multo etiam arrisum est vehementius.

Rusca quum legem ferret annalem] *Leges annales* constituebant, *quot annos nati quemque magistratum peterent caperentve*, Liv. XL. 44; cfr. Cic. V. Philipp. 17. 47, Beier ad II Off. 17. 59 p. 117. Legem annalem primum latam esse a. U. 574 (180) a L. Villio trib. pl., tradit Liv. l. c., quamquam iam ante de honorum petendorum ætate leges fuisse apparet ex Liv. XXV. 2. Quando autem Rusca legem annalem tulerit, aut quinam fuerit *Rusca*, quinam *M. Servilius*, non liquet; Liv. XL. 18 *M. Pinarium Poscam* prætorem a. U. 573 (181) commemorat. — *Ut sementem feceris etc.* Simile *μεταφορᾶς* exemplum affert Aristoteles Rhetor. III. 3. 4: *Σὺ δὲ ταῦτα αἰσχρῶς μὲν ἔσπειρας, κακῶς δὲ ἐθέρισας.*

§. 262. *turmales displicere*] *Turmales* proprie sunt eiusdem turmæ equites, Liv. XXV. 18; translato hoc vocabulo utitur Scipio, quo significet, imperatores eos, quorum statuæ equestres eodem loco positæ erant, sibi displicere. Alii *statuas* intelleg. esse dicunt, ac turmales statuas proprie esse statuas equestres (quod quam vere ex Vell. Paterc. I. 11 efficiatur, ipsi viderint), deinde vero statuas in media aliarum frequentia positas, vel ad turmæ numerum accedentes.

M. Perpernam] Videtur esse is, qui a. U. 662 (92) cum C. Claudio Pulchro consul fuit, censor a. U. 668 (86) cum L. Marcio Philippo, Cic. I. Verr. 55. 143. — De *C. Aculeone* vide ad II. 1. 2; de *M. Mario Gratidiano* ad I. 39. 178. De *L. Ælio Lamia* nihil memoriæ proditum est.

Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis. Dixi enim dudum, rationem aliam esse ioci, aliam severitatis; gravium autem et iocorum unam esse materiam. 263. Ornant igitur in primis orationem verba relata contrarie, quod idem genus saepe est etiam facetum: ut Servius ille Galba quum iudices L. Scribonio tribuno plebis ferret familiares suos, et dixisset Libo: *Quando tandem, Galba, de triclinio tuo exibis? — Quum tu,* inquit, *de cubiculo alieno.* A quo genere ne illud quidem

---

rationem aliam esse — unam esse materiam] Sic transposuit Sch., quem secuti sunt Harl., Mueller et Olsh. — Vulgo: *materiam aliam esse — unam esse rationem*, quod repugnat iis, quæ Cæsar c. 61. 248 sqq. exposuit.

§. 263. *verba relata contrarie*] *Quæ Græci ἀντίθετα nominant, quum contrariis opponuntur contraria*, Cic. Orat. 50 init. — De *Serv. Galbæ* causa vide ad I. 53. 227.

quum iudices — ferret] *Iudicem ferre* dicuntur ii, qui sponsione facta adversariis iudicem s. arbitrum unum pluresve proponunt, qui rem, de qua disceptetur, dirimant. Quum sponsio sit promissio cum conditione SI aut NI per stipulationem solemnibus verbis ultro citroque facta, vel is, qui rem ita esse affirmat (is sponsione provocat: *NI res ita sit*), vel is, qui negat (*SI ita sit*), iudicem ferre potest. Cfr. infr. II. 70. 285, p. Rosc. Com. 15. 45, Liv. III. 24, 56, 57, VIII. 33. De tota spondendi ratione vide impr. Rostii de usu vocabulorum SI et NI in sponsionibus comment. Lips. 1820. 4, in brevius contractam a Beiero ad III Off. 19. 77 p. 326 sqq. Iudex utrique probatus inter adversarios *convenire* dicitur, Cic. Cluent. 43. 120, Valer. Max. II. 8. 2; qui iudicem ab adversario latum reiicit, *iniquum eierare* dicitur. Cic. infr. 70. 285; cfr. III. Verr. 60. 137, XII. Philipp. 7. 18.

Quando — de triclinio tuo exibis?] H. e. quando desines iudices mihi ferre amicos tuos et convivas? Galba per ἀντίθεσιν respondens Liboni adulterium obiicit. — Ceterum neque hic locus neque II. 70. 285 de publico iudicio intelligendus est, sed de privata sponsione in altercatione facta. In Galbæ enim causa capitali de iudice ferendo sermo esse non poterat, quia illa rogatione a Libone trib. pl. lata populum iudicem habitura erat; Nasicæ et Flacci contentio c. 70 commemorata in senatu agebatur.

plurimum distat, quod Glaucia Metello: *Villam in Tiburte habes, cortem in Palatio.*

LXVI. 264. Ac verborum quidem genera quae essent faceta, dixisse me puto; rerum plura sunt, eaque magis, ut dixi ante, ridentur; in quibus est narratio, res sane difficilis. Exprimenda enim sunt et ponenda ante oculos ea, quae videantur esse veri similia, quod est proprium narrationis, et quae sint, quod ridiculi proprium est, subturpia; cuius exemplum, ut brevis sim, sit sane illud, quod ante posui, Crassi de Memmio. Et ad hoc genus adscribamus etiam narrationes apologorum.

265. Trahitur etiam aliquid ex historia, ut, quum Sex. Titius se Cassandram esse diceret, *Multos,* inquit Antonius, *possum tuos Aiaces Oileos nominare.*

Glaucia Metello] De *C. Servilio Glaucia*, Saturnini socio, vide ad II. 61. 249; de *Metello* Numidico a Saturnino accusato ad II. 40. 167.

Villam in Tiburte etc.] "H. e. Villam habes ornatissime exstructam rure in Tiburte; Romæ vero in Palatio domum habes vilem et cortis seu tugurioli instar ædificatam." Pearc. — Strebæus Glauciam putat significare amicorum et clientium multitudinem (*cohortem*) ante Metelli ædes in Palatio congregatam, ut eum adversus Saturnini factionem defenderent. Schuetzius, qui hanc explicationem probat, addit: "Asseclas igitur Metelli *pecora* vocabat, quorum *cortem* in Palatio haberet."

Cap. LXVI. §. 264. *ut brevis sim*] Sic bene coni. Orell., qui tamen in Ciceronis verbis reliquit vulgatum: *ut brevissimum*. Verum, ut omittam, illud de Memmio non nimis excellere brevitate: narrationis ipsius brevitas h. l. nihil ad rem facit; neque enim quidquam narratur, sed Cæsar, ne in re iam antea commemorata longus sit, narrationem de Memmio supra (59. 240) allatam, quam repeti non necesse est, exemplum sumit. Eadem de causa Muellerus et Olsh. Manutii lectionem *ut breves simus* receperunt. — *ut brevissimus sim* Med. 2.

§. 265. *Sex. Titius*] Vide ad II. 11. 48. — *Se Cassandram esse* h. e. sibi idem accidere, quod Cassandræ, Priami filiæ, ut nemo vera vaticinanti fidem habeat. Iam quum eidem Cassandræ, Troia capta, ab Aiace Oileo vis illata fuerit, Antonius hoc utitur, ut impudicos Titii mores notet.

Est etiam ex similitudine, quae aut collationem habet aut tamquam imaginem. Collationem: ut ille Gallus olim testis in Pisonem, quum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam, idque Scaurus tenuitate Magii redargueret, *Erras*, inquit, *Scaure. Ego enim Magium non conservasse dico, sed tamquam nudus nuces legeret, in ventre abstulisse*; ut ille M. Cicero senex, huius viri optimi, nostri familiaris, pater: *nostros homines similes esse Syrorum venalium; ut quisque optime Graece sciret, ita esse nequissimum.* 266. Valde autem ridentur etiam imagines, quae fere in deformitatem aut in aliquod vitium corporis ducuntur cum similitudine turpioris: ut meum illud in Helvium Manciam: *Iam ostendam, cuiusmodi sis*; quum ille: *Ostende, quaeso*; demonstravi digito pictum Gallum in Mariano scuto

---

in ventre abstulisse] Significat Magium omnia, quæ rapuisset, abligurivisse. *Piso* fortasse est *L. Calpurnius Piso Cæsoninus* cos. a. U. 642 (112). De *Scauro* vide ad I. 49. 214; de reliquis tacent scriptores. — De præfectorum variis generibus disputavit Manut. ad Cic. Fam. II. 17.

ille M. Cicero] Sic Ern. e coni., eumque secuti sunt recentt. — Vulgo: *illud M. Cicero.* — Lamb. om. *illud.* — *M. Cicero* nostri avus etiam III. Legg. 16. 36 commemoratur.

Syrorum venalium] "Prædones Cilices oram Syriæ infestam habebant et prædas illinc agebant, captaque corpora Delum deportabant ad mercatum, unde Romani emebant. Qui autem Syri optime loquebantur Græce, diu servierant in Græcia veteratoresque et nequam evaserant; sed quod servituti diuturnæ, quæ improbos et callidos reddit, attribuendum fuit, id in Græcorum mores conferebat Ciceronis avus, qui infestus Græcis fuisse videtur, non multo secus ac Cato Censorius." Turneb. p. 55. — De servorum mercatu cfr. Heyne opusc. IV. 8 et Creuzer Antiqq. p. 44 sqq. ed. alt.

§. 266. *pictum Gallum etc.*] "*Tabernæ erant circa forum*, inquit Fabius [Quintilianus, qui eandem rem narrat VI. 3. 38], *et scutum illud signi causa positum.* Marianum autem scutum Cimbricum vocat, propterea quod, Cimbris nuper a Mario victis, in memoriam victoriæ dominus tabernæ scutum suspenderat sic pictum, pro tabernæ signo. Solebant etiam ad pompam triumphi ornandam multa huiusmodi scuta traduci et in foro poni. Liv. [IX. 40]: *Dictator ex senatus-*

Cimbrico, sub Novis, distortum, eiecta lingua, buccis fluentibus; risus est commotus; nihil tam Manciae simile visum est; ut quum Tito Pinario mentum in dicendo intorquenti: *Tum ut diceret, si quid vellet, si nucem fregisset.*

267. Etiam illa, quae minuendi aut augendi causa ad incredibilem admirationem efferuntur: velut tu, Crasse, in concione: *ita sibi ipsum magnum videri*

---

consulto triumphavit; cuius triumpho longe maximam speciem captiva arma præbuere. Tantum magnificentiæ visum in iis, ut aurata scuta dominis argentariarum ad forum ornandum dividerentur. — Buccas autem fluentes dicit pendentes et solutas [cfr. Cic. in Pison. 11. 25]. Plinius [H. N. XXXV. 8] hunc iocum non Iulio, sed Crasso tribuit, nec scutum, sed tabulam nominat." Turneb. p. 56. — Drakenborchius ad Liv. VII. 10. 5 et Spalding ad Quintil. l. c., cuius verba repetiit Muellerus, a Pighio (Annal. a. U. 392) in fraudem inducti, hunc Gallum putant fuisse eum, quem Manlius Torquatus vicerit; quod quomodo ex h. l. extricari possit, non video. Cimbros, quibus multi Galli et Germani se adiunxerant, cum Gallis a Romanis confusos *Gallosque* ipsos sæpe vocatos esse constat. Vide v. c. Cic. Prov. Cons. 13. 32: *C. Marius — influentes in Italiam Gallorum maximas copias repressit;* Sallust. Iug. 114: *Adversus Gallos a Q. Cæpione et M. Manlio male pugnatum.* Cfr. Vell. Paterc. II. 19 coll. e. Liv. epit. 77 et Plutarch. in Mario 39.

sub Novis] Varro de L. L. VI p. 237 Spengel.: *Sub Novis dicta pars in foro ædificiorum, quod vocabulum ei pervetustum, ut Novæ Viæ, quæ via iamdiu vetus.* — "Iam a Tarquinio Prisco circa forum porticus tabernasque factas memorat Lipsius de magn. Rom. III. 7, nimirum e Liv. I. 35 extr., quo teste IX. 40, XXVI. 11 postea circa forum erant tabernæ argentariæ. Harum quæ a. U. 544 (210) incendio deflagrassent, postea *Novas* appellatas memorat Liv. XXVI. 27. Videntur autem *Veteres* tabernæ fuisse partim in occidentali partim in meridionali fori parte —, *novæ* veteribus oppositæ, ut fuerint et ante basilicam Paulli et in septentrionali fori parte prope Cloacinæ, ubi olim *laniena*, e quibus argentarias factas memoriæ prodidit Varro ap. Non. II. 281 voc. *expulsim.*" Beier ad II. Off. 25 extr. p. 170 et 172. — *Mancia* fortasse idem est, qui 68. 274 commemoratur.

Tito Pinario] *T. Pinarius* qui sit, ignoratur; ne nomen quidem certum: *Tito Pinario* ex Ursini coni. ediderunt recentt. post Ern. — Vulgo: *Testio Penario*, unde Pearc. *testi Pinario* leg. esse censuit. — *Sextio Panario* Turnebi vetus liber. — *Cestio Penario* Erl. — *Sestio Penario* Man.

§. 267. *ita sibi ipsum magnum etc.*] "Reprehenduntur

Memmium, ut in forum descendens caput ad fornicem Fabii demitteret. Ex quo genere etiam illud est, quod Scipio apud Numantiam, quum stomacharetur cum C. Metello, dixisse dicitur: *Si quintum pareret mater eius, asinum fuisse parituram.*

268. Arguta etiam significatio est, quum parva re et saepe verbo res obscura et latens illustratur: ut quum C. Fabricio P. Cornelius, homo, ut existimabatur, avarus et furax, sed egregie fortis et bonus

---

magni Memmii spiritus, et notatur insolentia hominis se efferentis supra modum; ut ita intelligam, faciunt et verba Ciceronis scribentis ipsum Memmium *ita sibi videri* magnum et historia." Turneb. p. 57. — De *Memmio* vide ad II. 59. 240. Minus recte Quintil. VI. 3. 67 hoc dictum *de homine prælongo* interpretatur. Vid. ibi Spalding.

fornicem Fabii] Pseudo - Asconius ad Verr. Act. I. 7: *Fornix Fabianus arcus est iuxta Regiam in Sacra via a Fabio Censore constructus, qui devictis Allobrogibus Allobrogicus* (vulgo *Allobrox*; sed vid. Madvig de Ascon. p. 108 not. 1) *nominatus est, ibique statua eius posita propterea est.* Cfr. Spalding ad Quintil. l. c., Beier ad II. Off. 25 extr. p. 173. — *Q. Fabius Maximus Allobrogicus* cos. a. U. 633 (121) Allobroges vicit.

cum C. Metello] *Q. Cæcil. Metellus Macedonicus* quattuor filios sustulit (Cic. Brut. 21. 81, Vell. Paterc. I. 11), *Q. Metellum Balearicum* cos. 631 (123), *L. Metellum Diadematum* cos. 637 (117), *M. Cæcil. Metellum* cos. 639 (115), *C. Metellum Caprarium* cos. 641 (113). De stemmate Metellorum vide Burman. ad Vell. Paterc. II. 3 et quos citat F. A. Wolf ad orat. p. red. ad Quirit. c. 3. 6. — *Scipio Æmilianus*, Metelli Macedonici inimicus (Cic. I. Off. 25. 87 ibiq. Beier, Læl. 21. 77), his verbis C. Metello, quarto eius filio, tarditatem ingenii obiicit.

§. 268. *C. Fabricio P. Cornelius*] *C. Fabricius Luscinus* cos. a. U. 472 (282) Samnites, Lucanos, Bruttios vicit; cos. iterum a. U. 476 (278) Pyrrhi bello præclare rem gessit. — *P. Cornelius Rufinus* cos. a. U. 464 (290) cum M'. Curio Dentato collega adversus Samnites missus bellum confecit (Eutrop. II. 5); cos. iterum a. U. 477 (277) Pyrrhi bello excelluit (Vell. Paterc. II. 17) atque Crotone Locrisque potitus est (Zonaras VIII. 6). Etiam dictatorem eum fuisse tradunt scriptores, eumque his functum honoribus a C. Fabricio Luscino et Q. Æmilio Papo censoribus senatu motum, quod decem pondo argenti facti haberet. Vid. Liv. epit. 14, Excerpt. Dionys. Halic. XX. 1, Valer. Max. II. 9. 4, Plutarch. Sulla init., Gell. IV. 8, XVII. 21, Flor. I. 18, al.

imperator, gratias ageret, quod se homo inimicus consulem fecisset, bello praesertim magno et gravi: *Nihil est, quod mihi gratias agas*, inquit, *si malui compilari quam venire*; ut Asello Africanus obiicienti lustrum illud infelix, *Noli*, inquit, *mirari; is enim, qui te ex aerariis exemit, lustrum condidit*

---

inimicus consulem fecisset] Commentarii loco esse potest Gell. IV. 8: *P. Cornelius Rufinus manu quidem strenuus et bellator bonus militarique disciplina peritus admodum fuit; sed furax homo et avaritia acri erat. Hunc Fabricius non probabat neque amico utebatur. — Sed quum in temporibus reipublicæ difficillimis consules creandi forent, et is Rufinus peteret consulatum, competitoresque eius essent imbelles quidam et futiles, summa ope adnisus est Fabricius, ut Rufino consulatus deferretur. Eam rem plerisque admirantibus — Fabricius inquit: Nihil est quod miremini, si malui etc. Id autem, quod scripsi Fabricium de Cornelio Rufino, ita ut in pleraque historia scriptum est, dixisse, M. Cicero non alii a Fabricio, sed ipsi Rufino gratias agenti dictum esse refert in libro sec. de Oratore.* Eosdem, quos Gellius, auctores secutus est Quintil. XII. 1. 43; cfr. Dion. Cass. fragm. Peiresc. XXXVII. Ceterum antiquioresne scriptores secutus Gellius *summa ope adnisum esse* Fabr. dixerit, *ut Rufino consulatus deferretur*, an de suo sumpserit, nescio; Quintilianus l. c. *palam consulem suffragio suo fecit*, idemque valet Ciceronianum *consulem facere*, quod de singulis civibus suffragia ferentibus dicitur. Madvigius mihi hæc exempla suppeditavit: Cic. Muren. 21. 45: *Serpit hic rumor: scis tu illum accusationem cogitare? — Alium faciam* (consulem), *quoniam sibi hic ipse desperat*; Seneca de Benef. IV. 31: *Tu quum Mamercum Scaurum consulem faceres.*

Nihil est, quod] Sic Havn. uterq., Vet. Steph., Guelf. C, Waldarf., Lamb. et recentt. post Sch. — Vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss.: *nihil est quo.*

Asello Africanus] "Locus sumptus est ex undecimo satirarum Lucilii, ut intelligi potest ex his versibus, quos refert Gellius [IV. 17]:

Scipiadæ magno improbus obiiciebat Asellus,
Lustrum, illo censore, malum infelixque fuisse."

Turneb. p. 59.

qui te ex ærariis exemit] Qui a censoribus ita notabantur, ut reliquo civium iure privati pro capite suo tributi nomine æra penderent, hi dicebantur *ærarii fieri* s. *in ærarios referri*, eorumque nomina censores lustro condito ad ærarium deferebant. Cfr. Liv. IV. 24, XXIX. 37, Pseudo — Ascon. in Divin. 3, intt. ad I. Off. 13. 40. Vide tamen infr. ad 67. 272. — Scipionis Æmiliani et L. Mummii censuram

et taurum immolavit. Tacita suspicio est, ut religione civitatem obstrinxisse videatur Mummius, quod Asellum ignominia levarit.

LXVII. 269. Urbana etiam dissimulatio est, quum alia dicuntur ac sentias, non illo genere, de quo ante dixi, quum contraria dicas, ut Lamiae Crassus, sed quum toto genere orationis severe ludas, quum aliter sentias ac loquare: ut noster Scaevola Septumuleio illi Anagnino, cui pro C. Gracchi ca-

---

a. U. 612 (142) gestam parum concordem fuisse vel inde perspici potest, quod Mummius *Ti. Claudium Asellum*, quem Africanus ærarium fecerat, hac ignominia levarit. Cfr. Valer. Max. VI. 4. 2, Aurel. Victor de VV. Ill. 58. Scipionem Asello equum ademisse auctor est Gell. III. 4; fortasse utraque nota affectus est Asellus, quemadmodum sæpe equites notatos invenimus; vide v. c. Liv. XXIV. 18, 43, XLII, 10, XLIV. 16, Valer. Max. II. 9. 7. Alteri autem censorum licuisse alterius iudicium rescindere eumque, quem alter notasset, ignominia levare constat. Cfr. Cic. Cluent. 43. 122, Liv. XL. 51, XLII. 10, XLV. 15. Ceterum Scipioni, postquam censor fuerat, diem dictam esse ab Asello trib. pl. testatur Gell. l. c., qui II. 20 et VII. 11 fragmenta orationum ab Africano adversus Asellum in concione habitarum affert. Fortasse ad eandem concionem referenda est altercatio h. l. commemorata.

lustrum condidit] Censu peracto, censores inter se sortiebantur, uter lustrum conderet (Varro de L. L. VI. p. 264 sq. Spengel.; cfr. Liv. XXXVIII. 36), censorque, cui id sorte obvenerat, in campo Martio suovetaurilia sue, ove, tauro faciebat victimisque ter circumlatis populum lustrabat, atque hoc modo *lustrum condebatur* (Liv. I. 44, Dionys. Halic. IV. 22). Victimas ab ipso censore immolatas fuisse auctor est Athenæus XIV. p. 660. C. — Statim *Tacita suspicio est* Sch. e coni., quem secuti sunt recentt. — Vulgo codd. et edd. *tanta suspicio est.* Ernestio omnia illa *tacita* — *levarit* suspecta erant.

Cap. LXVII. §. 269. *ut Lamiæ Crassus*] Vide c. 65. 262. — *Ut noster Scævola.* Q. Mucius Scævola Augur a. U. 633 (121) prætor Asiam obtinuit. Vide I. 17. 75.

Septumuleio illi Anagnino] A. U. 633 (121) L. Opimius cos. ex senatusconsulto ad arma vocato populo C. Gracchum eiusque socios armis persecutus, Gracchi caput auro se repensurum edixit. Gracchus profugus quum iam comprehenderetur ab iis, quos Opimius miserat, cervicem Euporo servo præbuit (Vell. Paterc. II. 6, Appian. B. C. I. 26); caput eius abscissum L. Septumuleius Anagninus, qui Gracchi fa-

pite erat aurum repensum, roganti, ut se in Asiam praefectum duceret, *Quid tibi vis,* inquit, *insane? tanta malorum est multitudo civium, ut tibi ego hoc confirmem, si Romae manseris, te paucis annis ad maximas pecunias esse venturum.* 270. In hoc genere Fannius in annalibus suis Africanum hunc Aemilianum dicit fuisse et eum Graeco verbo appellat *εἴρωνα*; sed, uti ferunt, qui melius haec norunt, Socratem opinor in hac ironia dissimulantiaque longe lepore et humanitate omnibus praestitisse. Genus est perelegans et cum gravitate salsum quumque oratoriis dictionibus tum urbanis sermonibus accommodatum. 271. Et hercule omnia haec, quae a me de facetiis disputantur, non maiora forensium actionum quam omnium sermonum condimenta sunt. Nam quod apud Catonem est, qui multa retulit, ex

---

miliaris fuerat, per urbem pilo fixum gestavit ac deinde ad Opimium retulit. Sunt qui tradant, tanta eum avaritia fuisse, ut liquato plumbo cavatam partem capitis, quo gravius esset, expleret (Valer. Max. IX. 4. 3, Plutarch. C. Gracch. 17, Aurel. Victor de VV. Ill. 65). — Scævola severe ludens S. hortatur, ut Romæ maneat ibique potius civibus malis, quorum magna copia esset, interficiendis quam in provincia rapinis locupletaretur.

§. 270. *Fannius*] Cic. Brut. 26. 101: *C. Fannius, M. filius, C. Lælii gener* (cfr. tamen ep. ad Att. XII. 5. 4), *et moribus et ipso genere dicendi durior. Is soceri instituto — Panætium audiverat. Eius omnis in dicendo facultas ex historia ipsius non ineleganter scripta perspici potest, quæ neque nimis est infans neque perfecte diserta.* Fannii annales (cfr. Brut. 21. 81) in epitomen redegit Brutus, Cic. Attic. XII. 5. 4.

Græco verbo appellat εἴρωνα — Socratem] Cic. II. Acad. 5. 15: *Socrates de se ipse detrahens in disputatione plus tribuebat iis, quos volebat refellere. Ita quum aliud diceret atque sentiret, libenter uti solitus est ea dissimulatione, quam Græci εἰρωνείαν vocant; quam ait etiam in Africano fuisse Fannius.* Cfr. Brut. 87. 299. De Socrate cfr. Brut. 85. 292, I. Off. 30. 108 ibiq. Beier.

§. 271. *quod apud Catonem est*] Cic. I. Off. 29. 104: *Quo genere* (iocandi) *non modo Plautus noster et Atticorum antiqua comoedia, sed etiam philosophorum Socraticorum li-*

quibus a me exempli causa multa ponuntur, per mihi scitum videtur, C. Publicium solitum dicere, *P. Mummium cuiusvis temporis hominem esse.* Sic profecto res se habet, nullum ut sit vitae tempus, in quo non deceat leporem humanitatemque versari. Sed redeo ad cetera.

272. Est huic finitimum dissimulationi, quum honesto verbo vitiosa res appellatur: ut quum Africanus censor tribu movebat eum centurionem, qui in

---

bri referti sunt; multaque multorum facete dicta, ut ea, quae a sene Catone collecta sunt, quae vocantur ἀποφθέγματα; cfr. ibid. Beier.

P. Mummium cuiusvis temporis hominem esse] "Simile quiddam de Asinio Pollione refert Quintilianus [VI. 3. 110] hunc in modum: *Ut de Pollione Asinio, seriis iocisque pariter accommodato, dictum est: esse eum omnium horarum.* P. autem Mummius lepidus et facetus quum esset, homo cuivis tempori a Publicio dictus est, quod in otio, in negotio, in rebus lætis, in asperis, iucundus hominibus esset et cuicunque tempori aptus." Turneb. p. 62. — Lambinus e conj. edidit *Sp. Mummium*, ut res ad notum hominem, L. Mummii Achaici fratrem, referatur; quem doctum e disciplina stoicorum fuisse accepimus (Brut. 25. 94), facetum fuisse nusquam legimus; neque in re incerta hoc loco abuti debebat Maius in prosopogr. dialogg. de repl. — Idem Lambinus quosdam legere velle *cuiusvis temporis hominem* testatur, et sic pro vulg. *cuivis tempori* edidimus non solum moti simili illo dicto de Asinio Pollione, coll. c. Sueton. Tiber. 42: *iucundissimos et omnium horarum amicos professus*, sed etiam codicum vestigia secuti; nam *quidvis temporis* cod. Lamb., Lott.; *quidvis tempori* Havn. uterq., Med. utraq., Ven.; *quisvis tempori* ψ. Satis autem constat, *cuivis* et *cuiusvis*, *cui* et *cuius*, *ei* et *eius* frequenter a librariis confundi.

§. 272. *Africanus censor*] Vide ad §. 268. — *Tribu moveri* vulgo dicunt fuisse eam notam censoriam, qua civis aliquis ex honestiore tribu (rustica) in minus honestam (urbanam) transferretur; coll. Liv. XLV. 15 et Plin. H. N. XVIII. 3. Sed qui nostra ætate de hac re accuratius egerunt, fortasse meliore iure contendunt, tribu movere esse idem quod *in Cæritum tabulas referre* (Gell. XVI. 13), tribuque motos in nulla de 35 tribubus censos, sed suffragiis privatos fuisse. Hoc si verum est, omnes ærarii iidem erant tribu moti (cfr. ad §. 268), sed tribu moti non ideo etiam ærarii. Fatendum tamen, totam illam quæstionem de censoria potestate deque variis notarum generibus vel post ea, quæ disputarunt C. E. Iarcke (Versuch einer Darstellung des Censorischen

Paulli pugna non affuerat, quum ille se custodiae causa diceret in castris remansisse quaereretque, cur ab eo notaretur: *Non amo*, inquit, *nimium diligentes.*

273. Acutum etiam illud est, quum ex alterius oratione aliud excipias atque ille vult: ut Salinatori Maximus, quum Tarento amisso arcem tamen Livius retinuisset multaque ex ea proelia praeclara fecisset, quum aliquot post annos Maximus id oppidum recepisset, rogaretque eum Salinator, ut meminisset, opera sua se Tarentum recepisse, *Quidni*, inquit, *memine-*

Strafrechts d. Römer, Bonn 1824. 8) et K. Fr. Günther (in Iahnii Annal. I. 1 p. 184 sq.), nondum satis illustratam esse; diversam harum notarum rationem diversis reipublicæ temporibus fuisse recte observat Güntherus. — *Paulli pugnam* interpretes putant esse proelium illud ad Pyduam, quo a. U. 586 (168) L. Æmilius Paullus cum Perse, Macedoniæ rege, conflixit; neque alius Paullus commemoratur, ad quem hæc pugna referri possit. Ita filius ignaviam centurionis, qui in patris exercitu olim militaverat, viginti sex annis post notavit.

§. 273. *ut Salinatori Maximus*] Cfr. Cic. de Senect. 4. 11 atque impr. Liv. XXVII. 25: *De M. Livio, præfecto arcis Tarentinæ, haud minore certamine actum est, aliis senatusconsulto notantibus præfectum, quod eius socordia Tarentum proditum hosti esset, aliis præmia decernentibus, quod per quinquennium arcem tutatus esset, maximeque unius eius opera receptum Tarentum foret, mediis ad censores, non ad senatum notionem de eo pertinere dicentibus; cuius sententiæ et Fabius fuit. Adiecit tamen, fateri se, opera Livii Tarentum receptum, quod amici eius vulgo in senatu iactassent; neque enim recipiundum fuisse, nisi amissum foret.* — Tarentum ab Hannibale captum Q. Fabius Maximus cos. V. a. U. 545 (209) recepit (Liv. XXVII. 15 sqq.). M. autem Livium, qui Tarentum, cui urbi a. U. 540 (214) præfectus fuerat (Liv. XXIV. 20), a. U. 542 (212) amisit (Liv. XXV. 8 sqq.), non *Salinatorem* sed *Macatum* fuisse (cfr. Liv. XXVII. 34), ostendit Wesseling Observ. II. 5; cfr. Gernhard ad Cic. de Senect. l. c. — *M.* vero *Livius Salinator*, cos. a. U. 535 (219) cum L. Æmilio Paullo, Illyrios vicit, sed ob prædam non æqualiter inter milites divisam ex consulatu accusatus populique iudicio damnatus rus migravit (Liv. ep. 20 ibiq. Freinsh. suppl. c. 63, cfr. Liv. XXII. 35). A. U. 544 (210) in urbem a consulibus reductus atque anno sequente a censoribus ignominia levatus, a. U. 547 (207) iterum consul fa-

rim? nunquam enim recepissem, nisi tu perdidisses.

274. Sunt etiam illa subabsurda, sed eo ipso nomine saepe ridicula, non solum mimis perapposita, sed etiam quodammodo nobis:

Homo fatuus,
Postquam rem habere coepit, est emortuus.

et

Quid est tibi
Ista mulier? — Uxor. — Similis medius fidius.

et

Quamdiu ad aquas fuit, nunquam est emortuus.

LXVIII. Genus hoc levius et, ut dixi, mimicum; sed habet nonnunquam aliquid etiam apud nos loci, ut vel non stultus quasi stulte cum sale dicat

---

ctus est cum C. Claudio Nerone (Liv. XXVII. 34), atque hi consules Hasdrubalem ad Metaurum flumen vicerunt (Liv. ibid. c. 48 sqq.). De censura a. U. 550 (204) cum eodem C. Claudio Nerone gesta vide Liv. XXIX. 37.

nunquam enim] Sic Havn. uterq., Oxx. etiam ψ *(enim et)*, Erl., neque reliqui codd. dissentire videntur *(nunquam eum* Vet. Steph.), et sic vulgo post Gruter. — *nunquam ego* edd. antiquiss. et vulgo ante Gruter.; restituit Orell., qui male *plerosque codd.* hanc lectionem exhibere dicit.

§. 274. *Homo fatuus etc.*] "Proinde quasi qui in paupertate vixerit, dives factus mori non debuerit ideoque stulte egerit. Legendum videtur *emortuus.*" Turneb. p. 63 sq. — Sic etiam Lamb. h. l. et infra, ut versus iambicus trimeter efficiatur, eumque secuti sunt Sch., Mueller et Or. — Sequens *et*, quod vulgo omittitur, addiderunt Lamb. et recentt. post Sch. Etiam *et* ante *quamdiu* abest a nonnullis codd. (Havn. utroq., ψ, al.) atque ab edd. ante Lamb.

Quid est tibi etc.] "Absurde dictum, quasi semper uxor similis marito sit." — *Quamdiu ad aquas.* "Aquas in plurali quum dicunt, aquas calidas et medicatas intelligunt, ut Baianas et Puteolanas. — Quidam igitur lento contabescens morbo ad aquas recreatus tandem esse videbatur, reversus paullo post obiit. Id absurdum videri vult cavillator, quod ad aquas potius, ubi valetudinis causa tamdiu desederat, mori debuerit." Turneb. p. 64 sq. Schuetzius autem putat, exemplum esse hoc dictum hominis stulti et subabsurda dicentis, qui putaverit, illum ægrotum, si modo ad aquas mansisset, moriturum non fuisse; et hoc absurdum augeri etiam eo, quod dicat: *nunquam est emortuus,* quasi aliquis bis aut sæpius mori possit.

aliquid: ut tibi, Antoni, Mancia, quum audisset te censorem a M. Duronio de ambitu postulatum, *Aliquando*, inquit, *tibi tuum negotium agere licebit.* 275. Valde haec ridentur, et hercule omnia, quae a prudentibus quasi per dissimulationem non intelligendi subabsurde salseque dicuntur. Ex quo genere est etiam non videri intelligere quod intelligas, ut Pontidius: *Qualem existimas, qui in adulterio deprehenditur? — Tardum.* Ut ego, qui in delectu Metello, quum excusationem oculorum a me non acciperet et dixisset: *Tu igitur nihil vides? — Ego vero,* inquam, *a porta Esquilina video villam tuam.*

Cap. LXVIII. *tuum negotium agere*] "Quod et in patrociniis aliorum ita occupatus esset et in administranda republica, ut nihil vacui temporis habere videretur, quod suis negotiis impertiret. *Agere suum negotium* dicitur, qui res suas agit [Cic. I. Off. 9. 29 ibiq. Beier, II. Orat. 6. 24]. Sed ridicule, quod de re familiari dicitur, Mancia ad iudicium crimenque retulit." Turneb. p. 65 sq. De Antonio censore a Duronio accusato vide ad 64. 257.

§. 275. *per dissimulationem non intelligendi*] Sic omnes fere codd. (*diss. non intelligi* Erl.) et vulgo edd.; quo quum iure offenderentur VV. DD., Pearcius vel delendum *non* vel cum Harl. 1 *simulationem* scribendum esse censuit. Priorem rationem probavit Ern.; cui etiam voc. *intelligendi* suspectum fuit. Utrumque voc. delerunt Sch. et Mueller.

Tardum] Quintil. VI. 3. 87: *Sed averti intellectus et aliter solet, quum ab asperioribus ad leniora deflectitur: ut qui interrogatus, quid sentiret de eo, qui in adulterio deprehensus esset, Tardum fuisse respondit.*

qui in delectu Metello] "*Metellum* hunc esse puto Numidicum, qui Numidiam sortitus provinciam bello Iugurthino [a. U. 645 = 109] delectum, ut Sallustius scribit [B. Iug. 63], Romae habuit; in quo petenti militiae vacationem Cæsari morbumque oculorum iuranti, Tu igitur, inquit, nihil vides? (quasi sola coecitas excusanda esset, nec satis sit morbus oculorum ad vacationem). Immo vero, inquit ille, a porta Esquilina video villam tuam Tiburtinam; in quo ei obiecit invidiose villam nimis magnificam nimisque alte ædificatam, et quid ageretur dissimulavit." Turneb. p. 66 sq. — Wetzel, quem sequitur Muellerus, *Q. Cæcil. Metellum Nepotem* cos. a. U. 656 (98) significari putat. Turnebi tamen sententia probabilior est, quum nullum bellum a Metello Nepote gestum commemoretur, et Numidico villa magnifice exstructa etiam ab aliis exprobrata sit; cfr. 65. 263.

276. Ut illud Nasicae, qui quum ad poëtam Ennium venisset, eique ab ostio quaerenti Ennium ancilla dixisset domi non esse, Nasica sensit illam domini iussu dixisse, et illum intus esse. Paucis post diebus quum ad Nasicam venisset Ennius et eum a ianua quaereret, exclamat Nasica se domi non esse. Tum Ennius, *Quid? ego non cognosco vocem*, inquit, *tuam?* Hic Nasica: *Homo es impudens. Ego quum te quaererem, ancillae tuae credidi te domi non esse, tu mihi non credis ipsi?*

277. Est bellum illud quoque, ex quo is, qui dixit, irridetur in eo ipso genere, quo dixit: ut quum Q. Opimius consularis, qui adolescentulus male audisset, festivo homini Egilio, qui videretur mollior nec esset, dixisset: *Quid tu, Egilia mea? quando ad me venis cum tua colu et lana?* — *Non pol*, inquit, *audeo. Nam me ad famosas vetuit mater accedere.*

LXIX. 278. Salsa sunt etiam, quae habent suspicionem ridiculi absconditam, quo in genere est illud Siculi, cui quum familiaris quidam quereretur,

---

§. 276. *ut illud Nasicae*] Hic Nasica fortasse est *P. Cornel. Scipio Nasica Optimus* cos. a. U. 563 (191) cum M'. Acilio Glabrione. — De *Ennio* vide ad I. 34. 154.

§. 277. *Q. Opimius consularis*] Intelligendum esse *Q. Opimium* cos. a. U. 600 (154) cum L. Postumio Albino, patrem L. Opimii (de quo vide ad II. 25. 106), patet ex versibus Lucilii ap. Non. voc. *fama* (IV, 193 p. 657 sq. Gothofr.):

Quintus Opimius ille, Iugurthini pater huius,
Et formosus homo fuit et famosus; utramque
Primo adolescens, posterius dare rectiu' sese.

Quid tu, Egilia mea] Apud Non. voc. *colus* (III. 52 p. 596 Gothofr.) legitur *Decilla mea.* — Idem Non. sequentia *non pol audeo* affert voc. *famosus* IV. 194 p. 658 Gothofr.

Cap. LXIX. §. 278. *illud Siculi*] Cfr. Quintil. VI. 3. 88. — *Cui quum — quereretur* pro *qui, quum ei — quereretur*; vid. Madvig Epist. ad Or. p. 106 sq.; cfr. supra 62. 253.

quod diceret uxorem suam suspendisse se de ficu: *Amabo te,* inquit, *da mihi ex ista arbore, quos seram, surculos.* In eodem genere est, quod Catulus dixit cuidam oratori malo; qui quum in epilogo misericordiam se movisse putaret, postquam assedit, rogavit hunc, videreturne misericordiam movisse; *Ac magnam quidem,* inquit. *Neminem enim puto esse tam durum, cui non oratio tua miseranda visa sit.* 279. Me quidem hercule etiam illa valde movent stomachosa et quasi submorosa ridicula, non quum a moroso dicuntur; tum enim non sal, sed natura ridetur. In quo, ut mihi videtur, persalsum illud est apud Novium:

Quid ploras, pater? —
Mirum ni cantem; condemnatus sum.

Huic generi quasi contrarium est ridiculi genus patientis ac lenti: ut quum Cato percussus esset ab eo, qui arcam ferebat, quum ille diceret *Cave,* rogavit, *numquid aliud ferret praeter arcam.*

280. Etiam stultitiae salsa reprehensio: ut ille Siculus, cui praetor Scipio patronum causae dabat hospitem suum, hominem nobilem, sed admodum stultum, *Quaeso,* inquit, *praetor, adversario meo da istum patronum, deinde mihi neminem dederis.*

§. 279. *hercule etiam illa valde movent*] Sic Havn. uterq., Vet. Steph., Guelf. B, C, Sch., Mueller, Or. — *hercule illa etiam valde mov.* Lamb. — *hercule valde illa movent* vulgo inde ab antiquiss. edd.

est apud Novium] Sic Havn. A, Oxx. omnes, etiam ψ, Gudianus (Guelf.) unus a Schneidero ep. ad Langerum p. XVIII commemoratus, multique codd. apud le Clerc., et sic e Schneideri emendatione (l. c.) ediderunt Sch., Harl., Mueller, quos h. l. codicum auctoritate motus secutus sum. — Vulgo inde ab antiquiss. edd. *est apud Nævium.* — Etiam infr. c. 70. 285 extr. cum iisdem scripsi: *plenus Novius,* quod exhibent Havn. uterq., Pall. præter octavum omnes, α, ε, ψ, Gudian. atque edd. antiquiss. præter Lott., quæ cum vulg. *plenus Nævius.* Cfr. supra ad 63. 255.

§. 280. *deinde mihi neminem dederis*] H. e. Tum nullo

Movent illa etiam, quae coniectura explanantur longe aliter atque sunt, sed acute atque concinne: ut quum Scaurus accusaret Rutilium ambitus, quum ipse consul esset factus, ille repulsam tulisset, et in eius tabulis ostenderet literas *A. F. P. R.* idque diceret esse: *Actum fide P. Rutilii*; Rutilius autem: *Ante factum, post relatum:* C. Canius, eques Romanus, quum Rufo adesset, exclamat, neutrum illis literis declarari. *Quid ergo?* inquit Scaurus. — *Aemilius fecit, plectitur Rutilius.*

LXX. 281. Ridentur etiam discrepantia: *Quid huic abest, nisi res et virtus?*

Bella etiam est familiaris reprehensio, quasi errantis: ut quum obiurgavit Albius Granium, quod,

---

mihi opus erit patrono; adversarius enim patroni sui stultitia causa cadet. Muellerus ad Cic. orat. p. Sestio p. 35 inutilem infelicemque coni. proposuit: *deinde mihi non neminem dederis.*

quum Scaurus accusaret Rutilium] Cic. Brut. 30. 113: *Quum una consulatum petivissent* (Scaurus et Rutilius), *non ille solum, qui repulsam tulerat, accusavit ambitus designatum competitorem, sed Scaurus etiam absolutus Rutilium in iudicium vocavit.* De *M. Æmil. Scauro* vide ad I. 49. 214; de *P. Rutilio Rufo* ad I. 53. 227.

in eius tabulis] De tabulis accepti et expensi vide ad II. 23. 97. — "Scaurus litteras, quas repererat in tabulis Rutilii, ad suspicionem criminis interpretabatur, quod istud obscuris notis Rutilius scripsisset, significantibus, a sequestribus et divisoribus ceterisque campestribus operis divisam per tribus pecuniam Rutilii fide sumptam. Rutilius dicebat, ante factum fuisse, nec statim, sed postea in tabulas relatum, et in commentariis rationum domesticarum caput illud esse perscriptum serius. C. autem *Canius*, quem dicit Rufo advocatum adfuisse, is est, quem lib. III Off. [14. 58] a Pythio argentario in hortorum emptione deceptum scribit." Turneb. p 71.

Cap. LXX. §. 281. *Quid huic abest*] Cfr. Quintil. VI. 3. 84. — "Discrepantia sunt *nihil abesse* et *rem et virtutem abesse*; quibus autem divitiae suppetunt et virtus, beati fortunatique censentur, nihilque eis deesse videtur." Turneb. p. 72.

quum obiurgavit Albius Granium] "Videtur hic aliquid *excidisse*; nullum enim Albii dictum, quo obiurgavit Gra-

quum eius tabulis quiddam ab Albucio probatum videretur, et valde absoluto Scaevola gauderet, neque intelligeret, contra suas tabulas esse iudicatum.

282. Huic similis est etiam admonitio in consilio dando familiaris: ut quum patrono malo, quum vocem in dicendo obtudisset, suadebat Granius, ut mulsum frigidum biberet, simulac domum redisset;

---

nium, memoratur. Ea vero, quæ sequuntur, ita explico: Albucius Scævolam [Augurem] de pecuniis repetundis accusavit, ut dicit Cicero in Bruto 26. [102]; ad probanda vero ea, quæ Scævolæ obiecerat, Granii tabulas protulit. Scævola iudicum sententiis absolutus est; Granii igitur tabulas falsas esse iisdem sententiis iudicatum est. Albius igitur quidam ex iis, qui aderant, obiurgavit Granium, qui *et* gauderet suum amicum Scævolam absolutum esse, *et non* videret, contra suas tabulas iudicatum esse; monuit igitur eum non tam ad Scævolæ res secundas quam ad suas adversas respicere." Hæc probabiliter Pearcius de h. l. disputavit, qui magnopere torsit interpretes. Albii facetum dictum deesse etiam Ernestio visum est, qui lacunæ signa post *iudicatum* posuit, eumque secuti sunt Sch. et Harl. Muellerus autem et Or. recte, ut mihi quidem videtur, nihil deesse, ac dicti s. obiurgationis argumentum verbis: *quod et valde — iudicatum* inesse putant; Orell. tamen *et* ante *valde* uncis inclusit; defendit Muellerus ita, ut, Pearcium secutus, *et* cum sequente *neque* iungendum dicat. Rarius sic *et — neque* a Cic. iunguntur; exempla attulerunt Beier ad I Off. 21. 72 p. 169, ad III Off. 4. 20 p. 215, ad Læl. 27. 104 p. 171, atque Elberling Observv. crit. ad Cæsar. p. 112 not. — Præterea pro vulg. *Albius Granium* Orellius e Schuetzii et Beieri (ad II Off. 14. 50 p. 98) coni. sine ulla necessitate edidit *Albucius Granium*. Maioris momenti est, quod Vet. Steph. exhibet *Albium;* Havn. A, Vet. Steph., ψ, Med. 1, Ven., Man. *Granius*; unde fortasse legendum est: *Albium Granius*. De Granii dicacitate cfr. infr. §. 282, supr. 60. 244 et quæ ibi adnotavimus. — Denique *ab Albucio* (h. e. quod Albucio prodesset; cfr. I. 13. 55, Handii Tursellin. I. p. 55) Havn. uterq., γ, ε, Steph., Lamb. et recentt. post Sch. — *A. Albucio* edd. antiquiss. — Vulgo om. *ab*. — *T. Albucius*, *doctus Græcis vel potius pæne Græcus* (Cic. Brut. 34. 131; cfr. III Orat. 43. 171), ex prætura Sardiniam obtinuit, sed a. U. 651 (103) a C. Iulio Cæsare Strabone, Sardis rogantibus, repetundarum accusatus est damnatusque Athenas migravit ibique philosophatus est. Vid. Beier ad II Off. 14. 50 p. 97 sq., Ellendt prolegg. p. LXXXIII et ad Brut. 34. 131, intt. ad Scaur. p. 202 sq. Beier.

§. 282. *mulsum frigidum biberet*] *Mulsum*, οἰνόμελι,

Perdam, inquit, *vocem*, *si id fecero.* — *Melius est*, inquit, *quam reum.*

283. Bellum etiam est, quum, quid cuique sit consentaneum, dicitur: ut quum Scaurus nonnullam haberet invidiam ex eo, quod Phrygionis Pompeii, locupletis hominis, bona sine testamento possederat, sederetque advocatus reo Bestiae, quum funus quoddam duceretur, accusator C. Memmius, *Vide*, inquit, *Scaure*, *mortuus rapitur*, *si potes esse possessor.*

284. Sed ex his omnibus nihil magis ridetur, quam quod est praeter exspectationem; cuius innumerabilia sunt exempla, vel Appii maioris illius, qui in senatu, quum ageretur de agris publicis et de lege Thoria, et premeretur Lucilius ab iis, qui a

---

fiebat e vino novo et melle decocto, Columell. XII. 41 ibiq. Schneider; cfr. Macrob. Saturn. VII. 12 p. 251 Bip.

§. 283. *reo Bestiae*] *L. Calpurnius Bestia* tribunus pl. P. Popillium Lænatem C. Gracchi vi expulsum (cfr. Plutarch. C. Gracch. 4) sua rogatione restituit (Cic. Brut. 34. 128). Cos. a. U. 643 (111), adsumpto Scauro legato, in Africam ad bellum Iugurthæ inferendum profectus, mox pecunia corruptus pacem cum Iugurtha iniussu populi et senatus fecit (Sallust. Iug. 27-29, Liv. epit. 64). Anno sequenti rogatione Mamilia reus factus cum nonnullis aliis, qui in legationibus aut imperiis pecunias a rege acceperant, iudicio publico damnatus est (Sallust. Iug. 40 sqq.; cfr. Cic. Brut. 34. 128). In hac causa C. Memmium, hominem nobilitati infestissimum, qui anno ante tribunus pl. fuerat (Sallust. Iug. 27 sqq.; cfr. supra ad 59. 240), accusatorem fuisse, Scaurumque, qui Bestiæ legatus fuerat, non quæsitorem fuisse (Sallust. Iug. 40), sed advocatum reo Bestiæ sedisse, ex h. l. perspicitur.

§. 284. *et de lege Thoria*] "*Sp. Thorius*, ut inquit in Bruto [36. 136], *satis valuit in populari genere dicendi*, *is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit.* Appianus [B. C. I. 27] hoc aliter scribit, nec ei cum Cicerone convenit; ait enim a Thorio vectigal agro publico esse impositum, quod plebi viritim divideretur; ab alio deinde tribuno vectigal esse sublatum. Sed Ciceroni fidem habeamus, in legibus et institutis patriæ suæ non peregrino nec hospiti." Turneb. p. 75. — De Appiani loco atque *Thorii* nomine ibi emendatione VV. DD. pro *Borio* illato

pecore eius depasci agros publicos dicerent, *Non est*, inquit, *Lucilii pecus illud*; *erratis*; (defendere Lucilium videbatur;) *ego liberum puto esse*; *qua lubet*, *pascitur*. 285. Placet etiam mihi illud Scipionis illius, qui Ti. Gracchum perculit. Quum ei M. Flaccus multis probris obiectis P. Mucium iudicem tulisset, *Eiero*, inquit; *iniquus est*. Quum esset admurmuratum, *Ah*, inquit, *P. C.*, *non ego*

---

vide Schweighaeuserum ad l. c. App. — De *Appio maiore* non constat; cfr. 60. 246. — *Lucilius* fortasse est satirarum scriptor, de quo vide ad I, 16, 72. Neque tamen prætereundum est, *Lucullus* h. l. et infra *Luculli*, *Lucullum* exstare in Havn. utroq., Vet. Steph., cod. Pighii (ad ann. 638), Cant., Harl. 1, *γ*, *ε*, Lott., Iunt., Crat., Melanchth., Streb., et sic edidit Pearc. in ed. tert. sqq., qui putat, significari L. Luculli patrem avaritia infamem (Plutarch. Lucull. init.).

§. 285. *Scipionis illius*] *P. Cornel. Scipio Nasica Serapio*, qui cos. a. U. 616 (138) cum D. Iunio Bruto fuerat, a. U. 621 (133), quum iterum tribunus plebis creari vellet Ti. Gracchus, *consulem* (P. Mucium) *languentem reliquit atque ipse privatus*, *ut si consul esset*, *qui rem publicam salvam esse vellet*, *se sequi iussit* (Cic. IV. Tusc. 23, 51). Tum optimatum grege facto in Gracchum irruit, qui fugiens decurrensque clivo Capitolino fragmine subsellii ictus periit. Vide impr. Vell. Paterc. II. 3; cfr. Beier ad I Off. 22. 76 p. 178 sq. Nasica, ut plebis invidiæ subtraheretur, sequenti anno per speciem legationis in Asiam ablegatus Pergamum cessit ibique mortuus est. Cic. p. Flacc. 31, 75, Valer. Max. V. 3, 1, Aurel. Victor de VV. Illustr. 64; cfr. Cic. de repl. I. 3 ibiq. intt. — *M. Fulvius Flaccus*, post Ti. Gracchi mortem triumvir agris dividundis cum C. Graecho et C. Carbone creatus, plebem seditiosis concionibus concitavit Africanumque ipsi collegisque adversantem pro rostris conviciis proscidit (Liv. epit. 59, Plutarch. C. Gracch. 10, Appian. B. C. I. 19). In consulatu, quem magistratum a. U. 629 (125) cum M. Plautio Hypsæo gessit, quum seditiosas leges ferret de civitate sociis Italicis danda et de provocatione ad populum eorum, qui civitatem mutare voluissent (Valer. Max. IX. 5, 1): a senatu, has leges impedire volenti, auxilio Massiliensibus adversus Salluvios Gallos, qui fines Massiliensium populabantur, missus est; devictisque Transalpinis Liguribus triumphavit (Liv. epit. 60; cfr. Plut. C. Gracch. 18). Romam reversus C. Graccho se adiunxit atque cum eo ab Opimio cos. a. U. 633 (121) oppressus est. Liv. epit. 61, Vell. Paterc. II. 6, Appian. B. C. I. 26. — *Iudicem tulisset*, *eiero*. Vide ad 65. 263.

mihi illum iniquum eiero, verum omnibus. Ab hoc vero Crasso nihil facetius. Quum laesisset testis Silus Pisonem, quod se in eum audisse dixisset: *Potest fieri*, inquit, *Sile, ut is, unde te audisse dicis, iratus dixerit.* Annuit Silus. *Potest etiam, ut tu non recte intellexeris.* Id quoque toto capite annuit, ut se Crasso daret. *Potest etiam fieri*, inquit, *ut omnino, quod te audisse dicis, nunquam audieris.* Hoc ita praeter exspectationem accidit, ut testem omnium risus obrueret. Huius generis est plenus Novius, et iocus est familiaris: *Sapiens si algebis, tremes;* et alia permulta.

LXXI. 286. Saepe etiam facete concedas adversario id ipsum, quod tibi ille detrahit: ut C. Laelius, quum ei quidam malo genere natus diceret, indignum esse suis maioribus, *At hercule*, inquit, *tu tuis dignus.* Saepe etiam sententiose ridicula di-

---

verum omnibus] "Quum Nasica eierasset iniquum Scævolam, secuta est admurmuratio omnium propter eximiam de Scævola æquitatis et probitatis opinionem. Præter exspectationem tamen rursum eum omnibus Nasica iniquum eieravit, quod in consulatu [a. U. 621 = 133] causam publicam deseruisset patribusque eius opem implorantibus negasset se quidquam vi esse acturum [Valer. Max. III. 2. 17; cfr. Cic. IV Tusc. 23. 51, Aurel. Vict. de VV. Ill. 64]." Turneb. p. 76. — Idem tamen Mucius *arma, quæ privatus P. Scipio sumpserat, ea, Ti. Graccho interempto, iure optimo sumpta esse defendit*, ut refert Cicero p. Planc. 36. 88. Minus bene Schuetzius *omnibus iniquum iudicem* putat significare iudicem severissimum, nihil cuiquam condonantem ideoque omnibus reis iniquum et parum optabilem.

Silus Pisonem] Pisonis (cfr. ad 66. 265) causam privatam fuisse putat Ellendt prolegg. p. LXXII. — Ernestius *Silum* suspicatur fuisse *M. Sergium Oratam Silum*, qui a. U. 649 (105) quæstor provincialis fuit; quod in medio relinquimus.

plenus Novius] Vide ad 69. 279. — "Quum ita dicitur: *Sapiens si algebis*, exspectatur magnum aliquid contra frigus; at præter exspectationem subiicitur *tremes*, ad irridendos stoicos, qui ab omni affectu vindicant sapientem." Talæus.

Cap. LXXI. §. 286. *C. Lælius*] Vide ad I. 48. 211.

cuntur: ut M. Cincius, quo die legem de donis et muneribus tulit, quum C. Cento prodisset et satis contumeliose, *Quid fers, Cinciole?* quaesisset, *ut emas*, inquit, *Cai, si uti velis.*

287. Saepe etiam salse, quae fieri non possunt, optantur: ut M. Lepidus, quum ceteris in campo exercentibus in herba ipse recubuisset, *Vellem hoc esset*, inquit, *laborare.*

Salsum est etiam quaerentibus et quasi percontantibus lente respondere, quod nolent: ut censor Lepidus, quum M. Antistio Pyrgensi equum

---

M. Cincius] A. U. 550 (204) M. Cincius legem tulit: *ne quis ob causam orandam pecuniam donumve acciperet* (Tacit. Annal. XI. 5; cfr. Liv. XXXIV. 4, Fest. voc. *muneralis*). Huius legis suasor fuit Q. Fabius Maximus Cunctator, tum admodum senex (Cic. de Senect. 4. 10). Alterum huius legis caput de donationum modo fragmento Vaticano de donationibus ad legem Cinciam nuper reperto (Iuris civil. anteiust. reliq. cur. Maio, Romæ 1823, p. 69 sqq.) maxime illustratum est. De hac lege disputarunt Savigny ueber die lex Cincia, in Zeitschrift f. gesch. Rechtsw. IV. 1. 1; Rudorf de lege Cincia, Berol. 1825; Hasse von dem Recht der lex Cincia, Rhein. Mus. f. Jurisprud. Vol. I. fasc. 3 p. 185 sqq.; Unterholzner ueber d. Cincische Gesetz, ibid. Vol. II. fasc. 4 p. 436 sqq.

quid fers Cinciole] "Contumelia inest in diminutione et contemptio, quam etiam voce adiuverat." — *Ut emas Cai* "Ducta est hæc sententia ab iis, qui quum nolunt vicinis commodare vasa utenda, respondent: Eme, si uti vis; quam ad dona et munera patrociniorum, quibus ditatus erat Cento, traduxit Cincius, illius perstringens operam venalem; sese enim ait laturum, ne quis ei quid donet." Turneb. p. 77 sq.

§. 287. *ceteris in campo exercentibus*] *ceteris se in campo exercentibus* Harl. 1, Lamb., Pearc., Sch. in ed. mai., Olsh. — *M. Lepidus* fortasse idem est, qui infra commemoratur. Alii suspicantur, significari *M. Æmil. Lepidum Porcinam*, de quo vide ad I. 10. 40.

quod nolent] Sic Havn. A, Med. 1, Ven., Lott., Sch., Or. — *quod nolint* ex Ern. coni. Harl. et Mueller. — *quod nollent* plerique codd., Med. 2 et vulgo inde ab Aldo.

censor Lepidus] *M. Æmilius Lepidus*, Pontif. Max., cos. a. U. 567 (187) cum C. Flaminio Nepote, censor a. U. 575 (179) cum M. Fulvio Nobiliore (Liv. XL. 45 sq.; cfr. Cic. Prov. Consul. 9. 20); cos. iterum a. U. 579 (175) cum Q.

ademisset, amicique quum vociferarentur et quaererent, quid ille patri suo responderet, cur ademptum sibi equum diceret, quum optimus colonus, parcissimus, modestissimus, frugalissimus esset, *Me istorum*, inquit, *nihil credere*.

288. Colliguntur a Graecis alia nonnulla, exsecrationes, admirationes, minationes. Sed haec ipsa nimis mihi videor multa in genera descripsisse. Nam illa, quae verbi ratione et vi continentur, certa fere ac definita sunt; quae plerumque, ut ante dixi, laudari magis quam rideri solent. 289. Haec autem, quae sunt in re et in ipsa sententia, partibus sunt innumerabilia, generibus pauca. Exspectationibus enim decipiendis, et naturis aliorum irridendis, ipsorum ridicule indicandis, et similitudine turpioris, et dissimulatione, et subabsurda dicendo, et stulta reprehendendo, risus moventur. Itaque imbuendus est is, qui iocose vult dicere, quasi natura quadam apta ad haec genera et moribus, ut ad cuiusque modi genus ridiculi vultus etiam accommodetur; qui quidem quo severior est et tristior, ut in te, Crasse, hoc illa, quae dicuntur, salsiora videri solent.

290. Sed iam tu, Antoni, qui hoc deversorio

Mucio Scævola. — *Pyrgi* Etruriæ oppidum ultra Minionem ab oriente. Vid. Cellar. notit. orb. antiq. II. 9 p. 589, Heyne excurs. I ad Æneid. libr. X p. 522.

amicique quum vociferarentur] Sic omnes codd. (nisi quod ψ om. *que*) et vulgo edd. — *quum* deleruut Lamb., Sch., Mueller.

§. 289. *Itaque imbuendus est*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *itaque induendus est* e coni. ediderunt Sch. et Mueller.

§. 290. *qui hoc deversorio*] Cæsar respicit ea, quæ Antonius c. 57. 234 dixit: *requiescam in Cæsaris sermone, quasi in aliquo peropportuno deversorio*. Etiam h. l. ante *hoc deversorio* part. *in* e coni. inseruit Sch., eumque secuti sunt Harl. et Mueller.

sermonis mei libenter acquieturum te esse dixisti, tamquam in Pomptinum deverteris neque amoenum neque salubrem locum, censeo, ut satis diu te putes requiesse et iter reliquum conficere pergas.

Ego vero, atque hilare quidem a te acceptus, inquit, et quum doctior per te tum etiam audacior factus sum ad iocandum. Non enim vereor, ne quis me in isto genere leviorem iam putet, quoniam quidem tu Fabricios mihi auctores et Africanos, Maximos, Catones, Lepidos protulisti. 291. Sed habetis ea, quae voluistis ex me audire, de quibus quidem accuratius dicendum et cogitandum fuit. Nam cetera faciliora sunt, atque ex iis, quae iam dicta sunt, reliqua nascuntur omnia.

LXXII. Ego enim quum ad causam sum aggressus atque omnia cogitando, quoad facere potui, persecutus, quum et argumenta causae et eos locos, quibus animi iudicum conciliantur, et illos, quibus permoventur, vidi atque cognovi: tum constituo, quid habeat quaeque causa boni, quid mali. Nulla enim fere res potest in dicendi disceptationem aut controversiam vocari, quae non habeat utrumque; sed quantum habeat, id refert. 292. Mea autem ratio in dicendo haec esse solet, ut, boni quod habeat, id amplectar, exornem, exaggerem; ibi commorer, ibi habitem, ibi haeream; a malo autem vitioque causae ita recedam, non ut id me defugere appareat,

---

in Pomptinum] "Similitudinem ducit ab iis, qui relicto mari Tyrrheno aut itinere propinquo devertunt in Pomptinas paludes, sitas non ita procul a portu Caietano et a Circeis, promontorio Circes in Volscorum finibus Campaniam versus. In illis calor et auster multus quiescentes corrumpit aquas, locum pestilentem facit." Strebæus. Cfr. Cellar. notit. orb. antiq. II. 9 p. 649 sq., Mannert Geogr. Vol. IX. P. I. p. 637 sqq.

sed ut totum bono illo ornando et augendo dissimulatum obruatur. Et si causa est in argumentis, firmissima quaeque maxime tueor, sive plura sunt, sive aliquod unum; sin autem in conciliatione aut in permotione causa est, ad eam me potissimum partem, quae maxime commovere animos hominum potest, confero. 293. Summa denique huius generis haec est, ut, si in refellendo adversario firmior esse oratio quam in confirmandis nostris rebus potest, omnia in illum conferam tela; sin nostra facilius probari quam illa redargui possunt, abducere animos a contraria defensione et ad nostram conor traducere. 294. Duo denique illa, quae facillima videntur, quoniam, quae difficiliora sunt, non possum, mihi pro meo iure sumo: unum, ut molesto aut difficili argumento aut loco nonnunquam omnino nihil respondeam. Quod forsitan aliquis iure irriserit. Quis enim est, qui id facere non possit? Sed tamen ego de mea nunc, non de aliorum facultate disputo confiteorque me, si quae premat res vehementius, ita cedere solere, ut non modo non abiecto, sed ne reiecto quidem scuto fugere videar, sed adhibere quandam in dicendo speciem atque pompam et pugnae similem fugam, consistere vero in meo praesidio sic, ut non fugiendi hostis, sed capiendi loci

---

Cap. LXXII. §. 292. *dissimulatum obruatur*] Sic plerique codd. et vulgo edd. — *diss. ante obruatur* Havn. A, Guelf. B, C, Regii ap. le Clerc., Steph., Lamb., Or.

§. 293. *conor traducere*] Sic omnes codd. (*cogor* Guelf. B) et vulgo edd. — *coner traducere* Lamb., Pearc. Sed vide ad II. 1. 4.

§. 294. *sed ne reiecto quidem scuto*] Similitudo ducta est a militibus, qui fugientes scutum post tergum reiiciunt, ne in fuga impediantur neve aversi vulnerentur; etiam hoc imbecillitatis est, illud vero turpius, clypeum omnino abiicere. Cfr. iutt. ad Horat. II Od. 7. 10. — Lib. III. 9. 32 Antonii genus *honeste cedens* dicitur. — De verbo *consistere* vide ad II. 49. 200.

causa cessisse videar. 295. Alterum est illud, quod ego oratori maxime cavendum et providendum puto, quodque me sollicitare summe solet; non tam, ut prosim causis, elaborare soleo, quam ut ne quid obsim; non quin enitendum sit in utroque; sed tamen multo est turpius oratori nocuisse videri causae quam non profuisse.

LXXIII. Sed quid hoc loco vos inter vos, Catule? an haec, ut sunt contemnenda, contemnitis?

Minime, inquit ille; sed Caesar de isto ipso quiddam velle dicere videbatur.

Me vero lubente, inquit Antonius, dixerit, sive refellendi causa sive quaerendi.

296. Tum Iulius, Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui, qui de te oratore sic praedicarem, unum te in dicendo mihi videri tectissimum, propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum, quod obesset ei, pro quo diceres. Idque memoria teneo, quum mihi sermo cum hoc ipso Crasso multis audientibus esset de te institutus, Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me, cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum, quod opus esset, diceres, sed etiam, quod non opus esset, non diceres. 297. Tum illum mihi respondere memini, cetera in te summe esse laudanda, illud vero improbi esse hominis et perfidiosi, dicere, quod alienum esset et

---

§. 295. *unum* — *Alterum est illud*] Vide ad II. 27. 116. Cap. LXXIII. §. 296. *tectissimum*] Sic Havn. A, α, β, δ, ψ, Norf. a sec. manu, Ald., Iunt., Lamb., Pearc. et recentt. post Ern. Cfr. III. 9. 32, ubi Crassus Antonii dicendi genus ait esse *præmunitum et ex omni parte causæ sæptum.* — *lectissimum* Vet. Steph., Z, γ, Erl., Guelf. A, edd. antiquiss. — *lætissimum* alter Steph. cod. — *rectissimum* Havn. B, ε, Guelf. B, Grut.

noceret ei, pro quo quisque diceret. Quare non sibi eum disertum, qui id non faceret, videri, sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstres velim, quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in oratore maius esse videatur.

LXXIV. 298. Dicam equidem, Caesar, inquit, quid intelligam; sed et tu et vos omnes hoc, inquit, mementote, non me de perfecti oratoris divinitate quadam loqui, sed de exercitationis et consuetudinis meae mediocritate. Crassi quidem responsum excellentis cuiusdam est ingenii ac singularis, cui quidem portenti simile esse visum est, posse aliquem inveniri oratorem, qui aliquid mali faceret dicendo obessetque ei, quem defenderet; 299. facit enim de se coniecturam, cuius tanta vis ingenii est, ut neminem, nisi consulto, putet, quod contra se ipsum sit, dicere. Sed ego non de praestanti quadam et eximia, sed prope de vulgari et communi prudentia disputo. Ut apud Graecos fertur incredibili quadam magnitudine consilii atque ingenii Atheniensis ille fuisse Themistocles; ad quem quidam doctus homo atque in pri-

---

§. 297. *pro quo quisque*] *pro quo, quis* Havn. uterq., Guelf. B, C, α, δ, codd. Regii, Lamb, Pearc., le Clerc.

Cap. LXXIV. §. 298. *cui quidem*] Sic Havn. uterq., Cant., Mead., Harl. uterq., Norf., omnes Oxx. etiam ψ, Guelf. A, B, C, Erl., Ven., Pearc., Mueller, Or. — *cui quod* duo Steph. codd. — *cui quiddam* reliquæ edd. antiquiss. et vulgo post Ald.

§. 299. *Ut apud Græcos*] *Ut* om. Vet. Steph., Cant., Harl. 1, Z, ε, Guelf. A, et delevit Pearcius. — *ita apud Græcos* e cod. Erl. (in quo tamen prima particulæ *ita* littera evanuit) ediderunt Sch. et Harl. Sed bene Ern. observavit, hæc cum antecedentibus *Crassi quidem responsum* coniungenda esse; Themistoclem cum Crasso comparari, summamque comparationis inesse in: *sed neque propter hoc — facultatem.*

Themistocles] Idem de Themistocle traditur II Acad. 1. 2; II Fin. 32. 104: *Themistocles, quum ei Simonides, an quis*

mis eruditus accessisse dicitur eique artem memoriae, quae tum primum proferebatur, pollicitus esse se traditurum; quum ille quaesisset, quidnam illa ars efficere posset, dixisse illum doctorem, ut omnia meminisset, et ei Themistoclem respondisse, gratius sibi illum esse facturum, si se oblivisci, quae vellet, quam si meminisse docuisset. 300. Videsne, quae vis in homine acerrimi ingenii, quam potens et quanta mens fuerit? qui ita responderit, ut intelligere possemus, nihil ex illius animo, quod semel esset infusum, unquam effluere potuisse; quum quidem ei fuerit optabilius, oblivisci posse potius, quod meminisse nollet, quam, quod semel audisset vidissetve, meminisse. Sed neque propter hoc Themistocli responsum memoriae nobis opera danda non est, neque illa mea cautio et timiditas in causis propter praestantem prudentiam Crassi negligenda est. Uterque enim istorum non mihi attulit aliquam, sed suam significavit facultatem. 301. Etenim permulta sunt in causis in omni parte orationis circumspicienda, ne quid offendas, ne quo irruas. Saepe aliquis testis aut non laedit aut minus laedit, nisi lacessatur; orat reus, urgent advocati, ut invehamur, ut male dicamus, denique ut interrogemus. Non moveor, non obtempero, non satisfacio, neque tamen ullam assequor laudem. Homines enim imperiti fa-

---

alius, artem memoriæ polliceretur, oblivionis, inquit, mallem. Nam memini etiam quæ nolo, oblivisci non possum quæ volo. De *Simonide* vide ad 86. 351.

§. 300. *optabilius, oblivisci posse potias*] Lambino videbatur legendum: *optabile, oblivisci potius posse*, aut delendum *potius*. Sed *magis* et *potius*, ut ap. Gr. *μᾶλλον*, interdum comparativis addi constat; cfr. Zumpt Gr. §. 747, Ramshorn Gr. p. 315. — Paullo post *Themistocli* Havn. uterq., Pal. pr., sec., Pith., *Z*, *α*, *γ*, al., Cockm., Ern., Harl., Mueller, Or. — *Themistoclis* vulgo inde ab antiquiss. edd. Cfr. ad I. 19. 88 et II. 22. 93.

cilius, quod stulte dixeris, reprehendere quam, quod sapienter tacueris, laudare possunt. 302. Hic quantum fit mali, si iratum, si non stultum, si non levem testem laeseris! habet enim et voluntatem nocendi in iracundia et vim in ingenio et pondus in vita; nec, si hoc Crassus non committit, ideo non multi et saepe committunt. Quo quidem mihi videri turpius nihil solet, quam quum ex oratoris dicto aliquo aut responso aut rogato sermo ille sequitur: *Occidit* [*ille*]. — *Adversariumne?* — *Immo vero,* aiunt, *se et eum, quem defendit.*

LXXV. 303. Hoc Crassus non putat nisi perfidia accidere posse; ego autem saepissime video in causis aliquid mali facere homines minime malos. Quid? illud, quod supra dixi, solere me cedere et, ut planius dicam, fugere ea, quae valde causam

---

§. 302. *quantum fit mali*] Sic Havn. uterq., Guelf. A, B, C, Erl., codd. Regii et vulgo olim inde ab antiquiss. edd.; reduxerunt Ern., Harl., Or. — *quantum sit mali* Vet. Steph., repett. Lamb., Grut., Sch., Mueller, Olsh.

aut responso aut rogato] Sic Havn. A, Guelf. B, C, fortasse etiam alii codd., item Ald., Iunt., Crat., Camer., Victor., Lamb. — Vulgo: *aut responso aut rogatu.* Certe *rogatum* substantive positum neque agnoscit Forcellinus (vide Or.), nec facile per se reperiatur; sed quod in simili loco V Verr. 53. 139 *promisso nostro ac recepto* observavit Madvigius Ep. ad Or. p. 128, id etiam de hoc loco valet, in quo quum *dictum* et *responsum* substantive dicantur, ac tamen utrumque participium sit, Cicero ad orationem complendam concinnitatis causa adiungit tertium participium *rogatum*, quod per se substantive non ponitur. Ad hanc observationem comprobandam faciunt hi loci, quos idem Madvigius in epist. ad me data indicavit: Cic. p. Sulla 26. 72: *Ecquod huius factum aut commissum non dicam audacius*, et II Orat. 15. 64: *praecepta, admonita*, ubi, quum *admonitum* proprie non sit substantivum, Lambinus scripsit *monita*, Gulielmius male coniecit *aut monita* (nam asyndeton ibi necessarium est post *cohortationes, consolationes*); sed nihil mutandum esse, ex iis, quae attulimus, patet.

Occidit ille] *Ille* om. Havn. uterq., Oxx. plerique etiam ψ, Guelf. A, B, C, edd. antiquiss., prob. Sch., qui etiam *aiunt* delendum censet.

meam premerent, quum id non faciunt alii versanturque in hostium castris ac sua praesidia dimittunt: mediocriterne causis nocent, quum aut adversariorum adiumenta confirmant aut ea, quae sanare nequeunt, exulcerant? 304. Quid? quum personarum, quas defendunt, rationem non habent; si, quae sunt in his invidiosa, non mitigant extenuando, sed laudando et efferendo invidiosiora faciunt: quantum est in eo tandem mali? Quid? si in homines caros iudicibusque iucundos sine ulla praemunitione orationis acerbius et contumeliosius invehare: nonne abs te iudices abalienes? 305. Quid? si, quae vitia aut incommoda sunt in aliquo iudice uno aut pluribus, ea tu [in] adversariis exprobrando non intelligas, te in iudices invehi: mediocre peccatum est? Quid? si, quum pro altero dicas, litem tuam facias aut laesus efferare iracundia, causam relinquas: nihilne noceas? In quo ego, non quo libenter male audiam, sed quia causam non libenter relinquo, nimium patiens et lentus existimor; ut quum te ipsum, Sulpici, obiurgabam, quod ministratorem peteres,

---

Cap. LXXV. §. 304. *quantum est in eo*] Sic Havn. uterq., Erl., edd. antiquiss. et vulgo usque ad Gruter.; restituerunt Sch., Harl., Olsh., Or. — Vulgo post Grut. om. *est*. De plerisque codd. silentium est.

§. 305. *in adversariis exprobrando*] *In* om. Steph., Lamb.; delendum censuit Ern., quum nusquam reperiatur *exprobrare aliquid in aliquo*; uncis præpositionem inclusit Or., quem secutus sum.

sed quia causam] Sic Guelf. A, Steph., Lamb., Sch., Mueller, Olsh., prob. Or., qui vulgatum *sed quia ego causam* retinuit, sed pronomen uncis inclusit.

ministratorem] Pearcius comparat Cic. p. Flacco 22., 53: *Idem hic mihi Mœandrius quasi ministrator aderat, subiiciens, quid in suos cives civitatemque, si vellem, dicerem.* Utrum voc. *ministrator* de ipso Antonio an de alio quodam h. l. intelligendum sit, non liquet. Pro *ministratorem* codd. aliquot Lambini, marg. δ, Med. utraque, Lott., Steph. exhibent *me oratorem*, quod iam Lambinus e margine in Ciceronis verba venisse suspicatus est.

non adversarium. Ex quo etiam illud assequor, ut, si quis mihi maledicat, petulans aut plane insanus esse videatur. 306. In ipsis autem argumentis si quid posueris aut aperte falsum aut ei, quod dixeris dicturusve sis, contrarium aut genere ipso remotum ab usu iudiciorum ac foro: nihilne noceas? Quid multa? omnis cura mea solet in hoc versari semper (dicam enim saepius), si possim, ut boni aliquid efficiam dicendo; sin id minus, ut certe ne quid mali.

LXXVI. 307. Itaque nunc illuc redeo, Catule, in quo tu me paullo ante laudabas, ad ordinem collocationemque rerum ac locorum, cuius ratio est duplex: altera, quam affert natura causarum, altera, quae oratorum iudicio et prudentia comparatur. Nam ut aliquid ante rem dicamus, deinde ut rem exponamus, post ut eam probemus nostris praesidiis confirmandis, contrariis refutandis, deinde ut concludamus atque ita peroremus: hoc dicendi genus natura ipsa praescribit. 308. Ut vero statuamus, ea, quae probandi, docendi, persuadendi causa dicenda sunt, quemadmodum componamus, id est vel maxime proprium oratoris prudentiae. Multa enim occurrunt argumenta; multa, quae in dicendo profutura videantur. Sed eorum partim ita levia sunt, ut contemnenda sint; partim, etiam si quid habent adiumenti, sunt nonnunquam eiusmodi, ut insit in iis aliquid vitii, neque tanti sit illud, quod prodesse videatur, ut cum aliquo malo coniungatur. 309. Quae autem sunt utilia atque firma, si ea tamen, ut saepe fit,

---

Cap. LXXVI. §. 307. *hoc dicendi genus natura*] *Genus* om. Vet. Steph., Guelf. A, Erl.; uncis includit Or., cui videtur esse falsum glossema. — *hoc dicendi generis natura* e coni. edidit Sch.

§. 308. *multa, quae in dicendo*] *Multa*, quod voc., teste Pearcio, γ omittit, delevit Sch.

valde multa sunt: ea, quae ex iis aut levissima sunt aut aliis gravioribus consimilia, secerni arbitror oportere atque ex oratione removeri. Equidem quum colligo argumenta causarum, non tam ea numerare soleo quam expendere.

LXXVII. 310. Et quoniam, quod saepe iam dixi, tribus rebus omnes ad nostram sententiam perducimus, aut docendo aut conciliando aut permovendo, una ex tribus his rebus res prae nobis est ferenda, ut nihil aliud nisi docere velle videamur; reliquae duae, sicuti sanguis in corporibus, sic illae in perpetuis orationibus fusae esse debebunt. Nam et principia et ceterae partes orationis, de quibus paullo post pauca dicemus, habere hanc vim magno opere debent, ut ad eorum mentes, apud quos agetur, movendas permanare possint. 311. Sed his partibus orationis, quae etsi nihil docent argumentando, persuadendo tamen et commovendo proficiunt plurimum, quamquam maxime proprius est locus et in exordiendo et in perorando: degredi tamen ab eo, quod proposueris atque agas, permovendorum animorum causa, saepe utile est. 312. Itaque vel narratione exposita saepe datur ad commovendos animos degrediendi locus, vel argumentis nostris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, si habet eam causa dignitatem atque copiam, recte id fieri potest; eaeque causae sunt

Cap. LXXVII. §. 310. *ex tribus his rebus res*] Sic Hayn. A, Guelf. A (*rebus his*), C, Erl., al., et vulgo post Ald. usque ad Ern.; restituit Or. — *res* om. Havn. B (in quo legitur *ex his tribus rebus*) et Guelf. B. — *ex omnibus his rebus res* edd. antiquiss., Ern. (qui aut *rebus* aut *res* delend. censet), Sch., Harl., Mueller, Olsh.

§. 312. *vel narratione exposita*] *Vel re narrata atque exposita* Pal. pr. et sec., duo Gallicani (V. ST., qui tamen om. *re*), Z, γ, Erl., Lamb., probb. Ern. et Muellero.

recte id fieri potest] Sic omnes codd. et vulgo edd. —

ad augendum et ad ornandum gravissimae atque plenissimae, quae plurimos exitus dant ad eiusmodi degressionem, ut iis locis uti liceat, quibus animorum impetus eorum, qui audiunt, aut impellantur aut reflectantur. 313. Atque etiam in illo reprehendo eos, qui, quae minime firma sunt, ea prima collocant. In quo illos quoque errare arbitror, qui, si quando, id quod mihi nunquam placuit, plures adhibent patronos, ut in quoque eorum minimum putant esse, ita eum primum volunt dicere. Res enim hoc postulat, ut eorum exspectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur; cui si initio satisfactum non sit, multo plus sit in reliqua causa laborandum. Male enim se res habet, quae non statim, ut dici coepta est, melior fieri videtur. 314. Ergo ut in oratore optimus quisque, sic in oratione firmissimum quod-

---

recte ut fieri possit Lamb. non solum in ed. 1566, sed etiam in marg. repett. L. — *ut recte id fieri possit* Lambino, ut putabant, auctore ediderunt Sch. et Mueller. Sed recte vulgatam lectionem vindicant Matth. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 682, Olsh. et Or.

ad augendum] Sic nonnulli Lamb. codd., Mead., Lamb., Pearc., Sch., Mueller, Olsh., Or. Pearcius comparat II. 19. 80: *Alii iubent, antequam peroretur, ornandi aut augendi causa degredi.* — *ad agendum* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd. inde ab antiquiss., prob. Matth. l. c. — Paullo post *qui audiunt* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd. recte; Cicero enim *auditores* circumloquitur. Vide, ut alios omittam, Zumpt. Gr. §. 546, Ellendt. ad Brut. 49. 185 p. 132 sq. — *qui audiant* e cod. Erl. edidit Ern., qui etiam aliis similibus locis coniunctivum modum invexit.

§. 313. *plures adhibent patronos*] Vide ad I. 53. 229. Hunc morem magnopere vituperat Cic. Brut. 57. 207 sqq.

§. 314. *ut in oratore optimus quisque*] Sic omnes codd. et vulgo edd.; num recte, dubito; neque enim, quum sermo sit de *pluribus* patronis, qui interdum adhibeantur, dici posse puto: "optimus quisque *in oratore* sit primus," pro: *in oratoribus* (quemadmodum e coni. edidit Sch.) vel potius: *ex oratoribus.* Etiam Græce non *ἐν τῷ ἀεὶ ῥήτορι* (ut ait Orellius, qui vulgatam lectionem unice veram esse iudicat) efferendum sit, sed *ἐν τοῖς ἀεὶ ῥήτορσι*; neque necessa-

que sit primum; dum illud tamen in utroque teneatur, ut ea, quae excellent, serventur etiam ad perorandum, si quae erunt mediocria (nam vitiosis nusquam esse oportet locum), in mediam turbam atque in gregem coniiciantur. 315. Hisce omnibus rebus consideratis, tum denique id, quod primum est dicendum, postremum soleo cogitare, quo utar exordio. Nam si quando id primum invenire volui, nullum mihi occurrit, nisi aut exile aut nugatorium aut vulgare atque commune.

LXXVIII. Principia autem dicendi semper quum accurata et acuta et instructa sententiis, apta verbis, tum vero causarum propria esse debent. Prima est enim quasi cognitio et commendatio orationis in principio, quae continuo eum, qui audit, permulcere atque allicere debet. 316. In quo admirari soleo, non equidem istos, qui nullam huic rei operam dederunt, sed hominem in primis disertum atque eruditum, Philippum, qui ita solet ad dicendum surgere, ut, quod primum verbum habiturus sit, nesciat; et ait idem, quum brachium concalefecerit, tum se solere pugnare; neque attendit, eos ipsos,

---

rio singularis *in oratore* a sequenti *in utroque* requiritur, quemadmodum idem Or. putat. Vulgata lectio etiam Muellerum offendit, qui e coni. edidit: *uti oratorum optimus quisque*. Madvigius coni.: *ergo ut orator opt. quisq.*, *sic in oratione*, vitiumque illatum censet ab iis, qui eandem utroque loco structuram eandemque præpositionem flagitarint. — Præterea *sic et in oratione* vulgo editur; sed part. *et* rectius om. edd. antiquiss., Steph., Lamb., Olsh.; uncis inclusit Or. — *sic etiam in or.* Mueller. e coni.

quæ excellent] Sic Erl., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *quæ æque excellent* Havn. uterq., Guelf. B, C (*queque*). — *quæ excellant* Vet. Steph., Man., Grut., Ern., Harl. — *quæ æque excellant* plerique Oxx., Ald., Iunt., Crat., Steph., Lamb. — *quæ excellunt* ψ, Guelf. A, edd. antiquiss.

§. 315. *atque commune*] *aut commune* Z, β, ψ, Guelf. B, edd. antiquiss., Sch. in ed. mai., Harl.

Cap. LXXVIII. §. 316. *Philippum*] Vide ad II. 54. 220.

unde hoc simile ducat, illas primas hastas ita iactare leniter, ut et venustati vel maxime serviant et reliquis viribus suis consulant. 317. Neque est dubium, quin exordium dicendi vehemens et pugnax non saepe esse debeat; sed si in ipso illo gladiatorio vitae certamine, quod ferro decernitur, tamen ante congressum multa fiunt, quae non ad vulnus, sed ad speciem valere videantur: quanto hoc magis in oratione est spectandum, in qua non vis potius quam delectatio postulatur? Nihil est denique in natura rerum omnium, quod se universum profundat et quod totum repente evolet. Sic omnia, quae fiunt quaeque aguntur acerrime, lenioribus principiis natura ipsa praetexuit. 318. Haec autem in dicendo non extrinsecus aliunde quaerenda, sed ex ipsis visceribus causae sumenda sunt. Idcirco tota causa pertentata atque perspecta, locis omnibus inventis atque instructis, considerandum est, quo principio sit utendum. 319. Sic et facile reperientur; sumen-

---

unde hoc simile ducat] Similitudo ducta est a gladiatoribus, qui primum quidem, ut artem ostenderent, rudibus s. gladiis hebetibus proludentes pugnabant, post autem signo dato, abiectis lusoriis armis, arma decretoria s. gladios acutos sumebant iisque vitæ certamen inibant. Cfr. infr. §. 325, Ovid. A. A. III. 515, 589, Seneca ep. 117 §. 25.

§. 317. *quod ferro decernitur*] Sic Norf., γ, Guelf. B, C, Ascens., Ald., Iunt., Crat., Victor., Pearc., Sch., Or. Cfr. Cic. ad Fam. X. 10, Liv. XXVIII. 14, 33. — *quo ferro decernitur* plerique codd., edd. antiquiss., Man., Lamb., Grut., Ern., Harl., Mueller, Olsh.

est spectandum] Sic e Wyttenbachii coni. (Bibl. crit. I. 1. p. 21) recentt. post Sch. — *spectandum est* tres Lamb. codd. — *spectandum* (om. *est*) edd. antiquiss. — *exspectandum est* Havn. uterq., duo Lamb. codd., Guelf. B, C et vulgo inde ab Aldo usque ad Grut. — *exspectandum* (om. *est*) duo Steph. codd., al., Grut., Ern., Harl.

potius quam delectatio] Sic duo Pall., duo Gallicani (duo Steph. codd.), Cant., Harl. 1, Z, γ, ε, Erl., Lamb., Pearc., Or. — *potius, sed delectatio* Havn. uterq., ψ, al. et vulgo inde ab antiquiss. edd.

§. 319. *Sic et facile reperientur — ita et momenti*] Vide

tur enim ex iis rebus, quae erunt uberrimae vel in argumentis vel in iis partibus, ad quas dixi degredi saepe oportere; ita et momenti aliquid afferent, quum erunt paene ex intima defensione deprompta, et apparebit, ea non modo non esse communia nec in alias causas posse transferri, sed penitus ex ea causa, quae tum agatur, effloruisse.

LXXIX. 320. Omne autem principium aut rei totius, quae agetur, significationem habere debebit, aut aditum ad causam et communitionem, aut quoddam ornamentum et dignitatem. Sed oportet, ut aedibus ac templis vestibula et aditus, sic causis principia pro portione rerum praeponere. Itaque in parvis atque infrequentibus causis ab ipsa re est exordiri saepe commodius. 321. Sed quum erit utendum principio, quod plerumque erit; aut ex reo aut ex adversario aut ex re aut ex iis, apud quos agetur, sententias duci licebit. Ex reo (reos appello, quorum res est), quae significent virum

---

ad I. 49. 214. Olsh. tamen et Madvigius *ita* delend. esse censent. — *reperientur* ediderunt recentt. post Sch., quum omnes codd. et vulgo edd. exhibeant *reperietur.* — *Sumetur* Havn. B, Vet. Steph., Guelf. A, B, C, Erl., edd. antiquiss. Fortasse singularis numerus utroque loco retinendus est, quum sententia quasi de integro instituatur verbis: *ita et momenti.*

deprompta — ea — communia] Sic Man., Lamb., Pearc. et recentt. post Ern. — *deprompta* etiam Erl. — *dempta* Z. — Vulgo codd. et edd. *depromptae — eas — communes.*

Cap. LXXIX. §. 320. *et communitionem*] Sic Nork., Victor., Sch., Mueller, Or. — *aut communitionem* Steph., Lamb. — *et* (v. *ad* v. *et ad*) *commutationem* Z, γ, ε, Erl., Guelf. A, unde Pearc. leg. coni. *et adcommodationem.* — *et communicationem* Iunt. — *et munitionem* Havn. uterq., Vet. Steph., nonnulli Oxx., al., edd. antiquiss., Crat., Grut., Ern., Harl., Olsh.

atque infrequentibus] H. e. parum a populo frequentatis; sic Havn. B, plerique Oxx., al., Man., et vulgo post Grut. — *atque in frequentibus* Havn. A, Victor., Lamb., Sch. in ed. mai., Harl., Olsh. — *atque frequentibus* β, Erl., edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat.

bonum, quae liberalem, quae calamitosum, quae misericordia dignum, quae valeant contra falsam criminationem; ex adversario, iisdem ex locis fere contraria. 322. Ex re, si crudelis, si infanda, si praeter opinionem, si immerito, si misera, si ingrata, si indigna, si nova, si quae restitui sanarique non possit; ex iis autem, apud quos agetur, ut benevolos beneque existimantes efficiamus, quod agendo efficitur melius quam rogando. Est id quidem in totam orationem confundendum, nec minime in extremam; sed tamen multa principia ex eo genere gignuntur. 323. Nam et attentum monent Graeci ut principio faciamus iudicem et docilem; quae sunt utilia, sed non principii magis propria quam reliquarum partium; faciliora etiam in principiis, quod et attenti tum maxime sunt, quum omnia exspectant, et dociles magis initiis esse possunt. Illustriora enim sunt, quae in principiis, quam quae in mediis causis dicuntur aut arguendo aut refellendo. 324. Maximam autem copiam principiorum ad iudicem aut alliciendum aut incitandum ex iis locis trahemus, qui ad motus animorum conficiendos inerunt in causa; quos tamen totos in principio explicari non oportebit, sed tantum impelli primo iudicem leviter, ut iam inclinato reliqua incumbat oratio.

LXXX. 325. Connexum autem ita sit principium consequenti orationi, ut non tamquam citharoedi prooemium affictum aliquod, sed cohaerens

---

§. 324. *Maximam autem copiam — trahemus*] *Maximam autem copiam* e Guelf. A ediderunt Sch., Mueller, Or. — *maxima autem copia* plerique codd. et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *trahemus* Vet. Steph., Erl., Guelf. A, Sch., Mueller, Or. — Vulgo *trahitur*.

Cap. LXXX. §. 325. *tamquam citharoedi prooemium*] Quintil. IV. 1 init.: *Quod principium latine vel exordium dicitur, maiore quadam ratione Graeci videntur προοί-*

cum omni corpore membrum esse videatur. Nam nonnulli, quum illud meditati ediderunt, sic ad reliqua transeunt, ut audientiam sibi fieri nolle videantur. Atque eiusmodi illa prolusio debet esse, non ut Samnitum, qui vibrant hastas ante pugnam, quibus in pugnando nihil utuntur, sed ut ipsis sententiis, quibus proluserunt, vel pugnare possint.

326. Narrare vero rem quod breviter iubent, si brevitas appellanda est, quum verbum nullum redundat, brevis est L. Crassi oratio; sin tum est brevitas, quum tantum verborum est, quantum necesse est, aliquando id opus est, sed saepe obest vel maxime in narrando, non solum quod obscuritatem affert, sed etiam quod eam virtutem, quae narrationis est maxima, ut iucunda et ad persuadendum accommodata sit, tollit. 327. Ut illa:

Nam is postquam excessit ex ephebis,

quam longa est narratio! mores adolescentis ipsius et servilis percontatio, mors Chrysidis, vultus et forma et lamentatio sororis, reliqua, pervarie iucundeque narrantur. Quod si hanc brevitatem quaesisset:

Effertur; imus; ad sepulcrum venimus;
In ignem posita est;

μιον nominasse. — Nam sive propterea, quod οἴμη cantus est, et citharoedi pauca illa, quæ, antequam legitimum certamen inchoent, emerendi favoris gratia canunt, prooemium cognominaverunt, oratores quoque ea, quæ, priusquam causam exordiantur, ad conciliandos sibi iudicum animos præloquuntur, eadem appellatione signarunt; sive etc. Cfr. Aristot. Rhet. III. 14. 1.

non ut Samnitum] Liv. IX. 40: *Campani ab superbia et odio Samnitium gladiatores (quod spectaculum inter epulas erat) eo ornatu* (quo usi erant Samnites a Romanis devicti) *armarunt, Samnitiumque nomine compellarunt.* Hoc gladiatorum genus commemoratur etiam III. 23. 86.

§. 327. *Nam is postquam*] Terent. Andr. I. 1. 24. — *Effertur; imus etc.* ibid. 90, 101 sq.

decem versiculis totum conficere potuisset; quamquam hoc ipsum: *Effertur, imus,* concisum est ita, ut non brevitati servitum sit, sed magis venustati. 328. Quod si nihil fuisset, nisi: *In ignem posita est*, tamen res tota cognosci facile potuisset. Sed et festivitatem habet narratio distincta personis et interpuncta sermonibus; et est probabilius, quod gestum esse dicas, quum, quemadmodum actum sit, exponas, et multo apertius ad intelligendum est, si consistitur aliquando ac non ista brevitate percurritur. 329. Apertam enim narrationem tam esse oportet quam cetera; sed hoc magis in hac elaborandum est, quod et difficilius est non esse obscurum in re narranda, quam aut in principio aut in argumento aut in perorando; et maiore etiam periculo haec pars orationis obscura est quam ceterae, vel quia, si quo alio in loco est dictum quid obscurius, tantum id perit, quod ita dictum est, narratio obscura totam obcaecat orationem; vel quod alia possis, semel si obscurius dixeris, dicere alio loco planius, narrationis unus est in causa locus. Erit autem perspicua nar-

---

decem versiculis] Sic Pal. pr., Z, Erl. a pr. manu, Guelf. A, Steph., Lamb., Sch., Harl., Mueller. — *fere decem versiculis* Pal. oct., Grut., Olsh. — *in his fere decem versiculis* Havn. uterq., Guelf. B, C, ψ et reliqui Oxx. (quorum nonnulli om. *in*), codd. Regii, edd. antiquiss., Ald., Iunt., Crat., Man., Or., qui tamen vocc. *in his fere* uncis inclusit. — *his fere decem verbis* e coni. edidit Ern.

§. 328. *si consistitur*] Sic Lamb. atque ex Heusing. coni. Sch., Harl., Mueller, Olsh. — *si sic consistitur* Crat., Victor., Grut., Ern. et Or., qui *sic* uncinis inclusit. — Codd. et antiquiss. edd. in corrupto verbo *constituitur* consentiunt, sed *si* om. Pal. pr., sec., Guelf. A, Erl.; *sic* om. Havn. A, Pith., Memm., Z.

§. 329. *maiore etiam periculo*] Sic Z, β, ε, ψ, Ald., Iunt., Crat., Steph., Victor., Mueller, Or. — *maiore etiam ridiculo* duo Steph. codd., excerpt. δ, Erl. *(et)*. — *maiore etiam haec periculo pars* Lamb. — *maiore periculo* Havn. uterq., al., Med. utraq., Ven., Man., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh.

ratio, si verbis usitatis, si ordine temporum conservato, si non interrupte narrabitur.

LXXXI. 330. Sed quando utendum sit aut non sit narratione, id est consilii. Neque enim, si nota res est nec dubium, quid gestum sit, narrari oportet, nec si adversarius narravit, nisi si refellemus. Ac si quando erit narrandum, nec illa, quae suspicionem et crimen efficient contraque nos erunt, acriter persequamur, et quidquid poterit, detrahamus; ne illud, quod Crassus, si quando fiat, perfidia, non stultitia fieri putat, ut causae noceamus, accidat. Nam ad summam totius causae pertinet, caute an contra demonstrata res sit, quod omnis orationis reliquae fons est narratio.

331. Sequitur, ut causa ponatur, in quo videndum est, quid in controversiam veniat. Tum suggerenda sunt firmamenta causae coniuncte et infirmandis contrariis et tuis confirmandis. Namque una in causis ratio quaedam est eius orationis, quae ad probandam argumentationem valet. Ea autem et confirmationem et reprehensionem quaerit; sed quia neque reprehendi, quae contra dicuntur, possunt, nisi tua confirmes, neque haec confirmari, nisi illa reprehendas, idcirco haec et natura et utilitate et tractatione coniuncta sunt. 332. Omnia autem concludenda plerumque rebus augendis, vel inflammando,

---

Cap. LXXXI. §. 330. *nec dubium, quid*] Sic Pall., duo Gallicani, nonnulli Oxx., Guelf. A, Steph., Lamb., Grut., prob. Sch. — *nec dubium sit, quid δ* a pr. manu, Ald., Iunt., Victor. (teste Grutero, cui minus recte hanc lectionem tribuit Orell.). — *nec si dubium sit, quid* Havn. uterq. (*est* Havn. B), Cant., *α*, *ε*, *ψ*, Guelf. C, Waldarf., Man., unde Pearc. male *nec si dubium, quid* edidit. — *nec si dubium non sit, quid* Guelf. B. — *nec si non dubium sit, quid* edd. antiquiss., unde *nec si non dubium; quid* ediderunt recentt. post Ern.

iudice vel mitigando, omniaque quum superioribus orationis locis tum maxime extremo ad mentes iudicum quam maxime permovendas et ad utilitatem nostram vocandas conferenda sunt.

333. Neque sane iam causa videtur esse, cur secernamus ea praecepta, quae de suasionibus tradenda sunt aut laudationibus. Sunt enim pleraque communia; sed tamen suadere aliquid aut dissuadere gravissimae mihi videtur esse personae. Nam et sapientis est, consilium explicare suum de maximis rebus, et honesti et diserti, ut mente providere, auctoritate probare, oratione persuadere possit.

LXXXII. Atque haec in senatu minore apparatu agenda sunt; sapiens est enim consilium, multisque aliis dicendi relinquendus locus. Vitanda etiam ingenii ostentationis suspicio. 334. Concio capit omnem vim orationis et gravitatem varietatemque desiderat. Ergo in suadendo nihil est optabilius quam dignitas; nam qui utilitatem putat, non quid maxime velit suasor, sed quid interdum magis sequatur, videt. Nemo est enim, praesertim in tam clara civitate, quin putet expetendam maxime dignitatem; sed vincit utilitas plerumque, quum subest ille timor, ea neglecta ne dignitatem quidem posse retineri. 335. Controversia autem inter hominum sententias aut in illo est, utrum sit utilius, aut etiam, quum id convenit, certatur, utrum honestati potius an utilitati consulendum sit. Quae quia pugnare saepe inter se videntur, qui utilitatem defendet, enumerabit commoda pacis, opum, potentiae, vectigalium, praesidii militum,

---

Crp. LXXXII. §. 333. *sapiens est enim*] Sic Sch., Mueller, Or. Cfr. ad I. 2. 7. Vulgo: *sapiens enim est.*

§. 335. *potentiæ, vectigalium*] Vulgo: *potentiæ, pecuniæ, vectigalium;* sed voc. *pecuniæ*, quod glossema v. *vectigalium* esse videtur, om. Pal. pr., sec., Mem., Pith. (V. ST.),

ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. Qui ad dignitatem impellet, maiorum exempla, quae erunt vel cum periculo gloriosa, colliget; posteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude nasci defendet, semperque eam cum dignitate esse coniunctam. 336. Sed quid fieri possit aut non possit, quidque etiam sit necesse aut non sit, in utraque re maxime est quaerendum. Inciditur enim omnis iam deliberatio, si intelligitur non posse fieri, aut si necessitas affertur; et qui id docuit, non videntibus aliis, is plurimum vidit. 337. Ad consilium autem de re publica dandum, caput est nosse rem publicam; ad dicendum vero probabiliter, nosse mores civitatis; qui quia crebro mutantur, genus quoque orationis est saepe mutandum. Et quamquam una fere vis est eloquentiae, tamen, quia summa dignitas est populi, gravissima causa rei publicae, maximi motus multitudinis, genus quoque dicendi grandius quoddam et illustrius esse adhibendum videtur; maximaque pars orationis admovenda est ad animorum motus nonnunquam aut cohortatione aut commemora-

---

Z, Erl., Guelf. A, prob. Heusing.; delerunt Sch., Harl., Mueller, uncis inclusit Or.

ceterarum rerum] Vulgo: *utilitates ceterarum rerum.* Voc. *utilitates*, quod glossema esse vel sequens *utilitate* prodit, uncis incluserunt Ern., Harl., Or., delerunt Lamb., Sch., Mueller, Olsh., quos eo magis secutus sum, quum corrupti codd. interpolationis indicia præ se ferant; in aliis enim (Guelf. A) h. v. et ante et post *ceter. rerum* positum reperitur, in aliis (omnibus codd. Reg. ap. le Clerc. (duob. ST.), Mead.) exstat *utilitates et ceterarum* v. *ceterarumque* (δ) *rerum*, in aliis aliter turbatur.

impellet] Sic Havn. B, ψ, Guelf. B, C, edd. antiquiss., Ald., Iunt., Man., Steph., Sch. in ed. mai., Olsh., Or. — Vulgo codd. et edd. *impellit*. — Etiam suprà *defendet* cum Vet. Steph. et Man. edidimus pro vulg. *defendit*.

§. 336. *omnis iam deliberatio*] *Iam* om. Erl., Guelf. A et B (qui præterea om. *omnis*), Steph., Lamb., Sch., Olsh.

indice
oration
dicum
nostran
33
secerna
denda
commu
gravissi
pientis
bus, et
ritate p
L
ratu ag
que al
ingenii
omnem
siderat
dignit
velit s
Nemo
putet
litas
ne di
versi
est,
certa
lend
dent
pacis.

C
ler, O.
§.
niæ, ve
galium

saepe ab acerbitate commode ac breviter et acute et hilare dicto deducitur.

LXXXIV. Exposui fere, ut potui, vobis, in utroque genere causarum quae sequi solerem, quae fugere, quae spectare, quaque omnino in causis ratione versari. 341. Nec illud tertium laudationum genus est difficile, quod ego initio quasi a praeceptis nostris secreveram; sed et quia multa essent orationum genera et graviora et maioris copiae, de quibus nemo fere praeciperet, et quod nos laudationibus non ita multum uti soleremus, totum hunc segregabam locum. Ipsi enim Graeci magis legendi [et] delectationis aut hominis alicuius ornandi quam utilitatis huius forensis causa laudationes scriptitaverunt; quorum sunt libri, quibus Themistocles, Aristides, Agesilaus, Epaminondas, Philippus, Alexander aliique laudantur; nostrae laudationes, quibus in foro utimur, aut testimonii brevitatem habent nudam atque inornatam aut scribuntur ad funebrem concionem, quae ad orationis laudem minime accommodata est. Sed tamen, quoniam est utendum aliquando, nonnunquam etiam

---

Cap. LXXXIV. §. 341. *tertium laudationum genus*] Vide ad II. 27. 118. — *a præceptis nostris secreveram* cfr. II. 11 init.

quia multa essent] Sic e Pearcii et Ernestii coni. recte Sch. pro vulgato: *quia multa sunt.* Alia ratione locum sanare conati sunt Muellerus et Or., qui cum ed. s. l. et a., Med. utraq. et Lott. infra ediderunt *solemus* pro *soleremus*, quod omnes codd. exhibent; sed tum etiam *præciperet* mutandum fuit, quod inter hæc præsentia tempora positum vix defendi potest. — *præceperat* Havn. A, marg. *δ*, Steph.

legendi et delectationis] Sic plerique codd., Ald., Iunt., Grut., Ern., Olsh. — *et* delend. censuit Sch., delerunt Harl. et Mueller; uncis inclusit Or., quem secuti sumus. — *legendi, qui magis delectationis* Havn. A (*magis aut*), Vet. Steph., Harl. 1 ex emend., Lamb. — *Græci magis legendi, qui delectationis* Crat., Steph.; alii aliter.

orationis laudem] *oratoris laudem* cod. Reg. 7703 (cod. Lamb.), quemadmodum leg. coniecit Ern.

scribendum, velut Q. Tuberoni Africanum avunculum laudanti scripsit C. Laelius, [vel] ut nosmet ipsi, ornandi causa, Graecorum more, si quos velimus, laudare possimus, sit a nobis quoque tractatus is locus. 342. Perspicuum est igitur alia esse in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiae ceteraque, quae fortuna dat aut extrinsecus aut corpori, non habent in se veram laudem, quae deberi virtuti uni putatur; sed tamen, quod ipsa virtus in earum rerum usu ac moderatione maxime cernitur, tractanda etiam in laudationibus haec sunt naturae et fortunae bona; in quibus est summa laus, non extulisse se in potestate, non fuisse insolentem in pecunia, non se praetulisse aliis propter abundantiam fortunae; ut opes et copiae non superbiae videantur ac libidini, sed bonitati ac moderationi facultatem et materiam dedisse. 343. Virtus autem, quae est per se ipsa laudabilis, et sine qua nihil laudari potest, tamen habet plures partes, quarum alia est alia ad laudationem aptior. Sunt enim aliae vir-

---

Q. Tuberoni] Sic recte Verburg. Vulgo: *P. Tuberoni.* Cfr. III. 23. 87 et Beierum ad Cic. Læl. p. 165. De hoc Tuberone, Africani sororis filio, Cic. Brut. 31. 117: *Quoniam Stoicorum est facta mentio, Q. Ælius Tubero fuit illo tempore, L. Paulli nepos, nullo in oratorum numero, sed vita severus et congruens cum ea disciplina, quam colebat; paullo etiam durior; — sed ut vita, sic oratione durus, incultus, horridus. Itaque honoribus maiorum respondere non potuit. Fuit autem constans civis et fortis et in primis Graccho molestus, quod indicat Gracchi in eum oratio. Sunt etiam in Gracchum Tuberonis. Is fuit mediocris in dicendo, doctissimus in disputando.* Cfr. Cic. p. Murena 36. 75 ibiq. Matth., Valer. Max. VII. 5. 1, Aug. Maii prosopogr. dialogg. de republ. et Beierum ad Læl. l. c.

vel ut nosmet ipsi] Sic codd. et vulgo edd.; sed *vel* e superioribus repetitum esse suspicatus est Ern., uncis inclusit Or., quem secuti sumus. Supra pro *velut* divisim *vel ut* scribunt Lamb. in marg. repett. Lamb., Pearc., Sch., Mueller, Olsh.

§. 343. *alia est alia ad laudationem*] Sic Man., Pearc.,

tutes, quae videntur in moribus hominum et quadam comitate ac beneficentia positae; aliae, quae in ingenii aliqua facultate aut animi magnitudine ac robore. Nam clementia, iustitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus iucunda est auditu in laudationibus; 344. omnes enim hae virtutes non tam ipsis, qui eas in se habent, quam generi hominum fructuosae putantur. Sapientia et magnitudo animi, qua omnes res humanae tenues ac pro nihilo putantur, et in excogitando vis quaedam ingenii et ipsa eloquentia admirationis habet non minus, iucunditatis minus; ipsos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare ac tueri. Sed tamen in laudando iungenda sunt etiam haec genera virtutum. Ferunt enim aures hominum, quum illa, quae iucunda et grata, tum etiam illa, quae mirabilia sunt in virtute, laudari.

LXXXV. 345. Et quoniam singularum virtutum sunt certa quaedam officia ac munera, et sua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude iustitiae, quid cum fide, quid cum aequabilitate, quid cum eiusmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in ceteris res gestae ad cuiusque virtutis genus et vim et nomen accommo-

---

Sch., Mueller, Or. — Iam in Lott. exstat: *alia alia est ad laud.* — Vulgo: *alia est ad laud.*

§. 344. *eas in se habent*] *In se* om. Havn. uterq., Z α, γ, δ, Erl., Guelf. B, C, Steph., Lamb., Pearc.

res humanæ tenues ac pro nihilo putantur] Vulgo: *res hum. geruntur tenues et pro nih. put.*; sed *geruntur* om. Pith., Memm. membr. (V. ST., codd. Lamb.), Pal. pr, sec., Harl. 1, Z, excerpt. δ, Erl., et punctis subductum est h. verb. in Havn. A et Pal. sext.; delerunt Man., Lamb. et recentt. post Ern., præter Muellerum, qui e coni. edidit: *cernuntur tenues et pro nihilo put.* — Lambinus præterea edidit: *et prope pro nihilo*, et sic Vet. Steph. — *ac prope nihilo* excerpt. δ. — *ac pro nihilo*, quod exstat in Havn. utroq., Erl., Guelf. A, B, C, pro vulg. *et pro nih.* cum Orell. recepi.

dabuntur. 346. Gratissima autem laus eorum factorum habetur, quae suscepta videntur a viris fortibus sine emolumento ac praemio; quae vero etiam cum labore et periculo ipsorum, haec habent uberrimam copiam ad laudandum, quod et dici ornatissime possunt et audiri facillime. Ea enim denique virtus esse videtur praestantis viri, quae est fructuosa aliis, ipsi autem laboriosa aut periculosa aut certe gratuita. Magna etiam illa laus et admirabilis videri solet, tulisse casus sapienter adversos, non fractum esse fortuna, retinuisse in rebus asperis dignitatem. 347. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis praemia, res gestae iudiciis hominum comprobatae; in quibus etiam felicitatem ipsam deorum immortalium iudicio tribui laudationis est. Sumendae autem res erunt aut magnitudine praestabiles aut novitate primae aut genere ipso singulares. Neque enim parvae neque usitatae neque vulgares admiratione aut omnino laude dignae videri solent. 348. Est etiam cum ceteris praestantibus viris comparatio in laudatione praeclara. De quo genere libitum est mihi paullo plura, quam ostenderam, dicere, non tam propter usum forensem, qui est a me in omni hoc sermone tractatus, quam ut hoc videretis, si laudationes essent in oratoris officio, quod nemo negat, oratori virtutum omnium cognitionem, sine qua laudatio effici non possit, esse necessariam. 349. Iam vituperandi praecepta contrariis ex vitiis sumenda esse perspicuum est. Simul est illud ante oculos, nec bonum virum proprie et copiose laudari sine virtutum, nec

---

Cap. LXXXV. §. 347. *decreta virtutis praemia*] *Decreta virtuti praemia* Lamb. et Sch. in ed. mai. — *in quibus etiam felicitatem etc.* Exempli loco sit Cic. or. p. lege Man. 16. 47 sqq.

improbum notari ac vituperari sine vitiorum cognitione satis insignite atque aspere posse. Atque his locis et laudandi et vituperandi saepe nobis est utendum in omni genere causarum.

350. Habetis, de inveniendis rebus disponendisque quid sentiam. Adiungam etiam de memoria, ut labore Crassum levem neque ei quidquam aliud, de quo disserat, relinquam, nisi ea, quibus haec exornentur.

LXXXVI. Perge vero, inquit Crassus. Libenter enim te cognitum iam artificem aliquandoque evolutum illis integumentis dissimulationis tuae nudatumque perspicio; et quod mihi nihil aut quod non multum relinquis, percommode facis, estque mihi gratum.

351. Iam istuc quantum tibi ego reliquerim, inquit Antonius, erit in tua potestate. Si enim vere agere volueris, omnia tibi relinquo. Sin dissimulare, tu, quemadmodum his satisfacias, videris. Sed ut ad rem redeam, non sum tanto ego, inquit, ingenio, quanto Themistocles fuit, ut oblivionis artem quam memoriae malim; gratiamque habeo Simonidi illi Ceo,

---

Cap. LXXXVI. §. 351. *Simonidi illi Ceo*] *Simonides*, Leoprepis fil., Ceus, Iulide, Ceæ s. Cei, insulæ maris Ægæi, oppido, Ol. LVI (556 a. Chr.) natus (Suidas h. v. cfr. Niebuhr ad Cic. de repl. II. 10 p. 235 sq. Moser.), poetarum elegicorum princeps, neque solum poeta suavis, verum etiam ceteroqui doctus et sapiens (Cic. I. N. D. 22. 60), cum Hipparcho Atheniensium tyranno (Plato Hipparch. p. 228 C. Steph., Ælian. V. H. VIII. 2), Pausania Lacedæmoniorum rege (Wyttenb. ad Plutarch. consol. ad Apoll. p. 715) et Hierone I Syracus. tyranno (Plato epist. II. p. 311 B, Ælian. V. H. IX. 1, Cic. l. c.) multum versatus esse dicitur. Eius fragmenta exstant in Gaisfordii poett. minor. Vol. III. p. 159-216. ed. Lips. — Magna ipse fertur memoria fuisse (Cic. I. Tusc. 24. 59) primusque artem memoriæ protulisse; quamquam inveniendæ artis laudem alii aliis tribuunt, et Cicero ipse dubitanter de hac re loquitur infr. 87. 357. Cfr. Car. Morgenstern comment. de arte vett. mnemonica Part.

quem primum ferunt artem memoriae protulisse. 352. Dicunt enim, quum coenaret Cranone in Thessalia Simonides apud Scopam, fortunatum hominem et nobilem, cecinissetque id carmen, quod in eum scripsisset, in quo multa ornandi causa, poetarum more, in Castorem scripta et Pollucem fuissent, nimis illum sordide Simonidi dixisse, se dimidium eius ei, quod pactus esset pro illo carmine, daturum; reliquum a suis Tyndaridis, quos aeque laudasset, peteret, si ei videretur. 353. Paullo post esse ferunt nuntiatum Simonidi, ut prodiret; iuvenes stare ad ianuam duos quosdam, qui eum magno opere evocarent; surrexisse illum, prodisse, vidisse neminem. Hoc interim spatio conclave illud, ubi epularetur Scopas, concidisse; ea ruina ipsum oppressum cum suis interisse. Quos quum humare vellent sui neque possent obtritos internoscere ullo modo, Simonides dicitur ex eo, quod meminisset, quo eorum loco quisque cubuisset, demonstrator uniuscuiusque sepeliendi fuisse. Hac tum re admonitus invenisse fertur, ordinem esse maxime, qui memoriae lumen afferret; 354. itaque iis, qui hanc partem ingenii exercerent, locos esse capiendos, et ea, quae memoria tenere vellent, effingenda animo atque in his locis collocanda; sic fore, ut ordinem rerum locorum ordo conservaret, res autem ipsas rerum effigies no-

---

I, Dorpati 1805 fol. — De *arte memoriæ*, cuius ratio obscurior nobis est, cfr. Auct. ad Herenn. III. 16 sqq. et Quintil. XI. 2. 17 sqq.

§. 352. *Dicunt enim*] Eandem historiam narrant Phædrus IV. 24 et Quintil. XI. 2. 11 sqq. — *Dimidium eius, quod pactus esset.* Tertiam mercedis partem eum accepisse dicit Phædr. l. c. vs. 11. Simonidis avaritiam carpunt Athen. XIV. p. 656 C. D, Ælian. V. H. IX. 1, alii. — *Tyndaridæ* Castor et Pollux, Tyndarei et Ledæ filii.

§. 353. *interisse*] Sic Z, *s*, Guelf. A, B, C, edd. *antiquiss.*, Ald., Cockm. — Vulgo: *interiisse*. Cfr. ad I. 39. 176.

taret, atque ut locis pro cera, simulacris pro literis uteremur.

LXXXVII. 355. Qui sit autem oratori memoriae fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinct dicere? tenere, quae didiceris in accipienda causa, quae ipse cogitaris? omnes fixas esse in animo sententias? omnem descriptum verborum apparatum? ita audire vel eum, unde discas, vel eum, cui respondendum sit, ut illi non infundere in aures tuas orationem, sed in animo videantur inscribere? Itaque soli, qui memoria vigent, sciunt, quid et quatenus et quomodo dicturi sint, cui responderint, quid supersit; iidemque multa ex aliis causis aliquando a se acta, multa ab aliis audita meminerunt. 356. Quare confiteor equidem, huius boni naturam esse principem, sicut earum rerum, de quibus ante locutus sum, omnium; sed haec ars tota dicendi, sive artis imago quaedam est et similitudo, habet hanc vim, non ut totum aliquid, cuius in ingeniis nostris pars nulla sit, pariat et procreet, verum ut ea, quae sunt orta iam in nobis et procreata, educet atque confirmet. 357. Verumtamen neque tam acri memoria fere quisquam est, ut, non dispositis notatisque rebus, ordi-

---

§. 354. *ut locis pro cera*] Auct. ad Herenn. III. 17. 30: *Loci ceræ aut chartæ simillimi sunt; imagines litteris; dispositio et collocatio imaginum scripturæ; pronuntiatio lectioni;* cfr. ibid. 18. 31, Quintil. XI. 2. 21.

Cap. LXXXVII. §. 355. *cui responderint*] H. e. cui argumento ex iis, quæ ab adversario prolata sint, responderint. *Cui resp.* Havn. uterq., ψ, Guelf. B, C, ed. s. l. et a., Med. utraq., Ven., Ald., Iunt., Crat., Sch. in ed. mai., Olsh. — *quid cui responderint* Lott. — *qui responderint* Guelf. A. — *quid responderint* Erl., al., Man., Steph., Lamb. et vulgo post Gruterum. Si ipse orator solus h. l. respiceretur, potius scribendum foret *quid dixerint*, quia non omnis oratio habetur ad respondendum; sed quum verbum *responderint* etiam adversarii argumentationem respici ostendat, *cui* præferendum duxi.

nem verborum aut sententiarum complectatur; neque vero tam hebeti, ut nihil hac consuetudine et exercitatione adiuvetur. Vidit enim hoc prudenter sive Simonides, sive alius quis invenit, ea maxime animis affigi nostris, quae essent a sensu tradita atque impressa; acerrimum autem ex omnibus nostris sensibus esse sensum videndi; quare facillime animo teneri posse ea, quae perciperentur auribus aut cogitatione, si etiam oculorum commendatione animis traderentur; ut res caecas et ab adspectus iudicio remotas conformatio quaedam et imago et figura ita notaret, ut ea, quae cogitando complecti vix possemus, intuendo quasi teneremus. 358. His autem formis atque corporibus, sicut omnibus, quae sub adspectum veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur; sed locis opus est. Etenim corpus intelligi sine loco non potest. Quare, ne in re nota et pervulgata multus et insolens sim, locis est utendum multis, illustribus, explicatis, modicis intervallis,

---

§. 357. *animis affigi nostris*] Sic excerpt. δ, marg. Harl. 2, Ascens., Crat., Lamb., Pearc., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *an. affingi nostris* codd. aliquot ap. le Clerc. — *animis effingi nostris* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo inde ab antiquiss. edd.

vix possemus] Sic Havn. uterq., ψ, Guelf. A, B, C, al. et vulgo inde ab antiquiss. edd. usque ad Gruter.; restituerunt Sch., Olsh., Or. — *non possemus* Grut., Ern., Harl., Mueller.

§. 358. *veniunt, admonetur memoria nostra atque excitatur; sed locis opus est*] Sic, teste Or., codd. Regii ap. le Clerc., Ern., Harl., Sch. in ed. mai., Mueller, Or., et sic, mutato tamen ordine, *memoria nostra admonetur* Mead., Harl. 2, δ ex emend, edd. antiquiss., Steph., Lamb. (quorum uterque *movetur*). — *veniunt; sed locis opus est* (om. reliqq.) Guelf. C. — *veniunt; si opus est* Guelf. A. — *veniunt; sed opus est* Erl., Guelf. B. — *veniunt; sedes opus est* Havn. uterq., Oxx., al. et vulgo inde ab Aldo. Cfr. Orell. ad h. l.

locis est utendum — animum possint] Hunc locum citat Quintil. XI. 2. 22, — *Modicis intervallis* cfr. Auct. ad Herenn. III. 19. 32.

imaginibus autem agentibus, acribus, insignitis, quae occurrere celeriterque percutere animum possint. Quam facultatem et exercitatio dabit, ex qua consuetudo gignitur, et similium verborum conversa et immutata casibus aut traducta ex parte ad genus notatio, et unius verbi imagine totius sententiae informatio, pictoris cuiusdam summi ratione et modo, formarum varietate locos distinguentis.

LXXXVIII. 359. Sed verborum memoria, quae minus est nobis necessaria, maiore imaginum varietate distinguitur. Multa enim sunt verba, quae quasi articuli connectunt membra orationis, quae formari similitudine nulla possunt; eorum fingendae nobis sunt imagines, quibus semper utamur. Rerum memoria propria est oratoris; eam singulis personis bene positis notare possumus, ut sententias imaginibus, ordinem locis comprehendamus. 360. Neque verum est, quod ab inertibus dicitur, opprimi memoriam imaginum pondere, et obscurari etiam id, quod per se natura tenere potuisset. Vidi enim ego sum-

---

Cap. LXXXVIII. §. 359. *maiore imaginum var.* — *Multa enim sunt*] "Dicit Antonius, multa verba, ut adverbia, præpositiones etc., similitudine nulla significari posse; si igitur eorum meminisse velimus, necesse est in promptu habere quam plurimas quasi arbitrarias imagines, quæ, quamvis nihil simile habeant, longo tamen usu perceptæ ea verba, quibus opus est, ob oculos nostros ponant. Hanc autem veram esse interpretationem, confirmant verba Quintiliani XI. 2. 25 sq.: *Mitto, quod quædam nullis simulacris significari possunt, ut certe coniunctiones. Habeamus enim sane, ut qui notis scribunt, certas imagines omnium et loca scilicet infinita, per quæ verba, quot sunt in quinque contra Verrem secundæ actionis libris, explicentur, ut meminerimus etiam omnium quasi depositorum etc.*" Pearc.

§. 360. *Vidi enim ego etc.*] Vide ad I. 18. 82 et II. 1. 2. Cfr. infr. 90. 365. — *Charmadam* recte Erl., Guelf. C, Pearc. et recentt. post Ern. — *Carmadam* ψ, et sic vel *Carmadem* v. *Charniadam* plerique Oxx. — *Carniadam* Havn. A: — *Charneadam* Guelf. A, B. — *Charmidam* Gronovius, non Gruter., ut dicit Or. — *Carneadem* Grut., ut vulgo edd.

mos homines et divina prope memoria, Athenis Charmadam, in Asia, quem vivere hodie aiunt, Scepsium Metrodorum, quorum uterque, tamquam literis in cera, sic se aiebat imaginibus in iis locis, quos haberet, quae meminisse vellet, perscribere. Quare hac exercitatione non eruenda memoria est, si est nulla naturalis; sed certe, si latet, evocanda est.

361. Habetis sermonem bene longum hominis, utinam non impudentis, illud quidem certe non nimis verecundi; qui quidem, quum te, Catule, tum etiam L. Crasso audiente, de dicendi ratione tam multa dixerim. Nam istorum aetas minus me fortasse movere debuit. Sed mihi ignoscetis profecto, si modo, quae causa me ad hanc insolitam mihi loquacitatem impulerit, acceperitis.

LXXXIX. 362. Nos vero, inquit Catulus, (etenim pro me hoc et pro meo fratre respondeo) non modo tibi ignoscimus, sed te diligimus magnamque tibi habemus gratiam; et quum humanitatem et facilitatem agnoscimus tuam, tum admiramur istam scientiam et copiam. Equidem etiam hoc me assecutum puto, quod magno sum levatus errore et illa admiratione liberatus, quod multis cum aliis semper admirari solebam, unde esset illa tanta tua in causis divinitas. Nec enim te ista attigisse arbitrabar, quae diligentissime cognosse et undique collegisse usuque doctum partim correxisse video, partim comprobasse. 363. Neque

---

inde ab antiquiss. Vide ad I. 11. 45 et 18. 84. De Charmadae memoria cfr. Cic. I. Tusc. 24. 59. — *Metrodorus Scepsius*, Scepsi, Mysiae urbe, oriundus, rhetor et philosophus academicus (III. 20. 75), de cuius memoria atque in ea exercenda arte cfr. Cic. I. Tusc. 24. 59, Quintil. X. 6. 4, XI. 2. 26, Plin. H. N. VII. 24.

§. 361. *illud quidem certe*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *illud quidem* delend. censuit Ern., solum *quidem* eiiciend. putavit Sch. — *illum quidem certe* e coni. edidit Muellerus.

eo minus eloquentiam tuam et multo magis virtutem et diligentiam admiror, et simul gaudeo, iudicium animi mei comprobari, quod semper statui, neminem sapientiae laudem et eloquentiae sine summo studio et labore et doctrina consequi posse. Sed tamen quidnam est id, quod dixisti, fore, ut tibi ignosceremus, si cognossemus, quae te causa in sermonem impulisset? Quae est enim alia causa, nisi quod nobis et horum adolescentium studio, qui te attentissime audierunt, morem gerere voluisti?

364. Tum ille, Adimere, inquit, omnem recusationem Crasso volui, quem ego paullo sciebam vel pudentius vel invitius (nolo enim dicere de tam suavi homine fastidiosius) ad hoc genus sermonis accedere. Quid enim poterit dicere? consularem se esse hominem et censorium? eadem nostra causa est. An aetatem afferet? quadriennio minor est. An se haec nescire? quae ego sero, quae cursim arripui, quae subsicivis operis, ut aiunt, iste a puero, summo

---

Cap. LXXXIX. §. 364. *consularem — et censorium? eadem nostra*] *Crassus* cos. fuit a. U. 659 (95), censor a. U. 662 (92); cfr. ad II. 11. 45, 64. 257. *Antonius* cos. a. U. 655 (99), censor a. U. 657 (97); cfr. ad II. 11. 48, 64. 257. — *Quadriennio minor est* Cfr. ad I. 10. 40. Cic. in Brut. 43. 161 triennio minorem fuisse Crassum quam Antonium dicit.

An se hæc nescire] Sic Havn. uterq., Mead., Harl. 1, Erl., Guelf. B, C, Non. voc. *subsicivum* (II. 815 p. 583 Gothofr.), Steph., Lamb., Mueller, Or. — Vulgo omittitur *hæc*. — *Quæ ego sero etc.* Ita sæpe per pronomen relativum refutatio a Cicerone adiungitur; vid. Matth. ad or. p. Roscio Am. 37. 105 et Madvig Epist. ad Or. p. 86.

subsicivis operis] H. e. iis, quæ tempore a gravioribus vel publicis negotiis relicto fiunt. Cfr. Cic. II. Philipp. 8. 20: *Me nec rei publicæ nec amicis unquam defuisse et tamen omni genere monumentorum meorum perfecisse operis subsicivis, ut meæ vigiliæ meæque litteræ et iuventuti utilitatis et nomini Romano laudis aliquid afferrent.* Sic *subsicivum studium* Gell. XIII. 24, ipsumque *tempus subsicivum* Plin. ep. III. 15, Gell. XVIII. 10 (vel *tempora subsiciva* Cic. I. Legg. 4. 13, Plin. H. N. præfat.; *subsiciva temporum* Quintil. I. 12. 13), quod quasi *subsecatur* et detrahitur gravioribus

studio, summis doctoribus. Nihil dicam de ingenio, cui par nemo fuit. Etenim me dicentem qui audierit, nemo unquam tam sui despiciens fuit, quin speraret aut melius aut eodem modo se posse dicere; Crasso dicente nemo tam arrogans, qui similiter se unquam dicturum esse confideret. Quamobrem, ne frustra hi tales viri venerint, te aliquando, Crasse, audiamus.

XC. 365. Tum ille, Ut ita ista esse concedam, inquit, Antoni, quae sunt longe secus, quid mihi tu tandem hodie aut cuiquam homini, quod dici possit, reliquisti? Dicam enim vere, amicissimi homines, quod sentio. Saepe ego doctos homines — quid dico saepe? immo nonnunquam; saepe enim qui potui, qui puer in forum venerim, neque inde unquam diutius quam quaestor abfuerim? — sed tamen audivi, ut heri dicebam, et Athenis quum essem, doctissimos viros, et in Asia istum ipsum Scepsium Metrodorum, quum de his ipsis rebus disputaret. Neque vero mihi quisquam copiosius unquam visus est neque subtilius in hoc genere dicendi, quam iste hodie, esse versatus. Quod si esset aliter, et aliquid intelligerem ab Antonio praetermissum, non essem tam inurbanus ac paene inhumanus, uti eo gravarer, quod vos cupere sentirem.

366. Tum Sulpicius, An ergo, inquit, oblitus

---

et legitimis negotiis atque in alias res obiter impenditur. Cfr. Kraft ad Mureti epist. XI. p. 251. Alii hoc voc. a *succidendo* factum esse scribendumque *succisivus* putant. Vid. Harles ad Cellarii Orthogr. Lat. p. 364, Spalding ad Quintil. l. c. et præfat. Vol. I. p. LXXX, Goerenz ad Cic. de Legg. l. c.

Cap. XC. §. 365. *qui puer in forum venerim*] Crassus admodum adolescens C. Carbonem accusavit. Vide ad I. 10. 40, 26. 121, III. 20. 74. — *quæstor abfuerim* Vide ad I. 11. 45.

es, Crasse, Antonium ita partitum esse tecum, ut ipse instrumentum oratoris exponeret, tibi eius distinctionem atque ornatum relinqueret?

Hic ille, Primum, quis Antonio permisit, inquit, ut et partes faceret et, utram vellet, prior ipse sumeret? Deinde si ego recte intellexi, quum valde libenter audirem, mihi coniuncte est visus de utraque re dicere.

Ille vero, inquit Cotta, ornamenta orationis non attigit neque eam laudem, ex qua eloquentia nomen ipsum invenit.

Verba igitur, inquit Crassus, mihi reliquit Antonius, rem ipse sumpsit.

367. Tum Caesar, Si, quod difficilius est, id tibi reliquit, est nobis, inquit, causa, cur te audire cupiamus; sin, quod facilius, tibi causa non est, cur recuses.

Et Catulus, Quid? quod dixisti, inquit, Crasse, si hic hodie apud te maneremus, te morem nobis esse gesturum, nihilne ad fidem [tuam] putas pertinere?

Tum Cotta ridens, Possem tibi, inquit, Crasse, concedere; sed vide, ne quid Catulus attulerit religionis. Opus hoc censorium est. Id autem committere, vides, quam sit homini turpe censorio.

---

§. 367. *ad fidem tuam*] *Tuam* om. Guelf. B, C, prob. Heusing.; delerunt Sch., Harl., Mueller; uncis inclusit Or., quem secuti sumus.

Opus hoc censorium est] H. e. factum, in quo notando censoris munus versatur, factum nota censoria dignum. Sic Gell. IV. 12: *Si quis agrum suum passus fuerat sordescere, — non id sine poena fuit; sed erat opus censorium, censoresque ærarium faciebant;* et Varro ap. eund. XIV. 7: *Opus censorium fecisse existimatos, per quos eo tempore* (ante exortum aut post occasum solem) *senatusconsultum factum esset.* Cfr. Casaub. et Ern. ad Sueton. Iul. 41, Ellendt ad Brut. 54. 200 p. 144 sq.

vides, quam sit homini] Sic Havn. A, Z, δ, ε, ψ, Guelf.

Agite vero, ille inquit, ut vultis. Sed nunc quidem, quoniam id temporis est, surgendum censeo et requiescendum; post meridiem, si ita vobis est commodum, loquemur aliquid, nisi forte me in crastinum differre mavultis.

Omnes se vel statim vel, si ipse post meridiem mallet, quamprimum tamen audire velle dixerunt.

A, Sch., Mueller, Or. — Vulgo: *vide, quam sit hom.* — *vide, quam homini censorio conveniat* Steph., Lamb. Cfr. Or. ad h. l.

nisi forte me in crastinum] Sic Havn. uterq., *a*, *γ*, *δ* a pr. manu, Guelf. B, C, Ald., Iunt., Crat., Camerar., Or. — *me* om. edd. antiquiss., Man., Lamb. et vulgo edd. post Grut.

M. TULLII CICERONIS
DE ORATORE
LIBER TERTIUS.

Cap. I.

1. Instituenti mihi, Quinte frater, eum sermonem referre et mandare huic tertio libro, quem post Antonii disputationem Crassus habuisset, acerba sane recordatio veterem animi curam molestiamque renovavit. Nam illud immortalitate dignum ingenium, illa humanitas, illa virtus L. Crassi morte exstincta subita est vix diebus decem post eum diem, qui hoc et superiore libro continetur. 2. Ut enim Romam rediit extremo scenicorum ludorum die, vehementer commotus ea oratione, quae ferebatur habita esse in concione a Philippo, quem dixisse constabat: *videndum sibi aliud esse consilium; illo senatu se rem publicam gerere non posse:* mane Idibus Septembribus et ille et senatus frequens vocatu Drusi in

Cap. I. §. 2. *extremo scenicorum lud. die*] Vide ad I. 7. 24. — *a Philippo* Vide ad II. 54. 220.

Idibus Septembribus] Sic Havn. A, Lamb., Or. — Vulgatum *Septembris* jam in edd. antiquiss. atque in Aldina exstat.

vocatu Drusi] Cfr. ad. I. 7. 24. Varro in epist. ad Oppianum ap. Gell. XIV. 7 docet, *qui fuerint, per quos more maiorum senatus haberi soleret; eosque nominat dictatorem, consulem, prætores, tribunos plebi, interregem, præfectum urbi; neque alii præter hos ius fuisse dixit facere senatusconsultum; quotiesque usu venisset, ut omnes isti magistratus eodem tempore Romæ essent, tum quo supra ordine scripti essent, qui eorum prior aliis esset, ei potissimum senatus*

curiam venit. Ibi quum Drusus multa de Philippo questus esset, retulit ad senatum de illo ipso, quod consul in eum ordinem tam graviter in concione esset invectus. 3. Hic, ut saepe inter homines sapientissimos constare vidi, quamquam hoc Crasso, quum aliquid accuratius dixisset, semper fere contigisset, ut nunquam dixisse melius putaretur, tamen omnium consensu sic esse tum iudicatum, ceteros a Crasso semper omnes, illo autem die etiam ipsum a sese superatum. Deploravit enim casum atque orbitatem senatus, cuius ordinis a consule, qui quasi parens bonus aut tutor fidelis esse deberet, tamquam ab aliquo nefario praedone diriperetur patrimonium dignitatis; neque vero esse mirandum, si, quum suis

---

consulendi ius fuisse. De tribunis pl. cfr. Cic. ad Fam. X. 28, XI. 6, III. Legg. 4. 10, Dio Cass. XLI. 15, LVI. 47. Tribunis pl. vel tum, quum consul Romæ esset, atque adeo adversus consulis voluntatem senatum convocare licuisse, ex hoc loco perspicitur; cfr. Dionys. Halic. X. 31, qui hanc cogendi senatus potestatem primum Icilium trib. pl. a. U. 298 (456) sibi arrogasse tradit.

§. 3. *Hic, ut sæpe — esse tum iudicatum*] Sic multi codd. et vulgo edd. inde ab Aldo usque ad Ern.; tum Mueller, Olsh., Or., prob. Matth. in comment. de anacoluth. (Wolfii Analect. litt. II. p. 9), cuius hæc sunt verba: "*Sic esse tum iudicatum* pro *sic est tum iudicatum*; sed hæc ex enuntiatione secundaria *ut constare vidi* suspendit. *Audivi* post *iudicatum* addit editio vetus quædam, quod sequentes receperunt, codicibus, etiam Guelpherbb., refragantibus." Simile anacoluthon exstat I. de republ. 37. p. 152 Moser. atque I. Off. 7. 22, ubi vid. Beier p. 50 et Gernhard excurs. ad Cic. off. p. 449 sq.; cfr. etiam Herm. ad Viger. p. 745 ed. tert. — *Audivi* post *iudicatum* addunt Mead., edd. antiquiss., Ern., Sch., Harl. — *iudicatum audivimus* cod. Reg. 7703 ap. le Clerc.; utrumque e glossa natum videtur. — Particulam *ut* om. γ, Guelf. A (*hic et sæpe* Guelf. B) et codd. aliquot le Clerquii, fortasse recte.

cuius ordinis — patrimonium dignitatis] De duobus genitivis diversa ratione ab eodem nomine rectis vide quæ attulerunt Matth. ad Cic. I. Catil. 5. 12 et Gr. Gr. §. 380, Madvig Emendd. p. 199 sq. et Epist. ad Or. p. 125.

consiliis rem publicam profligasset, consilium senatus a re publica repudiaret. 4. Hic quum homini et vehementi et diserto et in primis forti ad resistendum, Philippo, quasi quasdam verborum faces admovisset, non tulit ille et graviter exarsit pignoribusque ablatis Crassum instituit coërcere. Quo quidem ipso in loco multa a Crasso divinitus dicta efferebantur, quum sibi illum consulem esse negaret, cui senator ipse non esset. *An tu, quum omnem auctoritatem universi ordinis pro pignore putaris eamque in conspectu populi Romani concideris, me his pignoribus existimas posse terreri? Non tibi*

---

consilium senatus a re publica repudiaret] Sic Havn. B, plerique Oxx., Guelf. B, al. et vulgo edd. inde ab Ald. — *a* om. Z et Guelf. A. — *cons. sen. rei publicæ rep.* β, ε, ψ, edd. antiquiss. — *cons. sen. in rem publicam rep.* Havn. A, Guelf. C, unde Sch. edidit: *cons. sen. in re publica rep.*, eumque secuti sunt Harl. et Mueller.

§. 4. *pignoribusque ablatis*] Varro in epist. ad Oppianum ap. Gell. XIV. 7: *de pignore quoque capiendo disserit, deque multa dicenda senatori, qui, quum in senatum venire deberet, non adesset.* Senatores aliique, qui magistratibus maioribus, si adesse iussi erant, non parebant, vel qui horum magistratuum dignitatem negligebant, pignoribus captis et multa coercebantur, quod ita intelligendum esse videtur, ut primum quidem pignora eius, qui magistratui dicto audiens non fuisset, ablata fuisse credamus, deinde, causa cognita, multam ei irrogatam, eaque soluta (interdum etiam iussu populi remissa, Liv. XXXVII. 51) pignus redditum, non soluta, concisum vel, ut alii volunt, venditum fuisse. Cfr. Cic. I. Philipp. 5. 12, III. Legg. 4. 11, Liv. III. 38, XXXVII. 51, XLIII. 16, Plin. epist. IV. 29, Sueton. Iul. 17 ibiq. intt.

quum sibi illum etc.] Cum iis, quæ h. cap. narrantur, cfr. Valer. Max. VI. 2. 2: *L. Philippus cos. adversus eundem* (senatorium) *ordinem libertatem exercere non dubitavit. Nam segnitiem pro Rostris exprobrans, alio sibi senatu opus esse dixit; tantumque a poenitentia dicti abfuit, ut etiam L. Crasso summæ dignitatis et eloquentiæ viro, id in curia graviter ferenti, manum iniici iuberet. Ille reiecto lictore, Non es, inquit, mihi, Philippe, consul, quia nec ego quidem tibi senator sum.* Cfr. etiam Quintil. VIII. 3. 89, XI. 1. 37.

illa sunt caedenda, si L. Crassum vis coërcere; haec tibi est excidenda lingua; qua vel evulsa, spiritu ipso libidinem tuam libertas mea refutabit.

II. 5. Permulta tum vehementissima contentione animi, ingenii, virium, ab eo dicta esse constabat; sententiamque eam, quam senatus frequens secutus est ornatissimis et gravissimis verbis: *Ut populo Romano satisfieret, nunquam senatus neque consilium rei publicae neque fidem defuisse*, ab eo dictam; et eundem (id quod in auctoritatibus praescriptis exstat) scribendo affuisse. 6. Illa tamquam cycnea fuit divini hominis vox et oratio, quam quasi exspectantes post eius interitum veniebamus in cu-

---

sunt cædenda] Sic Havn. uterq., Oxx. plerique, Guelf. A, B, C et vulgo inde ab Ald. — *sunt edenda* Erl. — *sunt concidenda* cod. Lamb.; ψ, edd. antiquiss., Ern., Harl.

si L. Crassum] Sic Vet. Steph., ψ, Guelf. A, edd. antiquiss., Sch. in ed. mai., Or. — Vulgo omittitur prænomen.

est excidenda] Sic plerique codd., ut videtur, et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *est cædenda* δ. — *est concidenda* β, marg. δ. — *est incidenda* Pal. pr., sec., Mem. membr. (V. ST., cod. Lamb.), Guelf. A, Sch., Harl., Mueller. Sed recte Or.: "Hoc putide et fere ridicule dictum equidem arbitror, *lingua incisa*; neque idem est *excidere* et *evellere*, ut putat Sch.; simili enim gradatione Cic. ep. ad Attic. XV. 4: *Arbor excisa, non evulsa.*"

Cap. II. §. 5. *auctoritatibus præscriptis*] Sic Borromei cod. a Manut. (comment. ad Cic. ep. ad Fam. V. 2) commemoratus, Mead., β, δ a sec. manu, Erl. (?), edd. antiquiss., Pearc. et recentt. post Ern. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab Ald. *auct. perscriptis*. — *Auctoritates præscriptæ* dicebantur nomina senatorum, qui adfuissent scribendo, quod eorum nomina ante senatusconsultum scribebantur; auctoritatum præscriptarum exemplum exstat in Cic. epist. ad Fam. VIII. 8. 5; cfr. Manut. l. c.

§. 6. *quam quasi exspectantes*] "Si hominem desideratissimum post eius mortem in curia quasi exspectabat Cicero, non, puto, ut forma corporis contemplanda delectaretur, sed ut eloquentia eius, haud dubie *vocem* etiam eius, si non *cycneam*, at vocem tamen simul et præcipue exspectabat, ut ex eius voce et eloquentia fructum caperet. Itaque non opus est cum Schuetzio [et Muellero, qui tamen postea in Seebodii Misc. Crit. II. p. 510 hanc coni. improbavit] scribere *quem* pro *quam*." Matth. in Seebod. Misc. Crit. I. p.

riam, ut vestigium illud ipsum, in quo ille postremum institisset, contueremur. Namque tum latus ei dicenti condoluisse sudoremque multum consecutum esse audiebamus; ex quo quum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo est lateris dolore consumptus. 7. O fallacem hominum spem fragilemque fortunam et inanes nostras contentiones! quae in medio spatio saepe franguntur et corruunt et ante in ipso cursu obruuntur, quam portum conspicere potuerunt. Nam quamdiu Crassi fuit ambitionis labore vita districta, tamdiu privatis magis officiis et ingenii laude floruit quam fructu amplitudinis aut rei publicae dignitate. Qui autem ei annus primus ab honorum perfunctione aditum omnium concessu ad summam auctoritatem dabat, is eius omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit. 8. Fuit hoc luctuosum suis, acerbum patriae, grave bonis omnibus; sed ii tamen rem publicam casus secuti sunt, ut mihi non erepta L. Crasso a diis immortalibus vita, sed donata mors esse videatur. Non vidit flagrantem bello Italiam, non ardentem invidia senatum, non sceleris nefarii principes civitatis reos,

---

682. — Veterum fabula de cycnis in morte suavissime canentibus notissima est; cfr. Voss Mythol. Br. II. p. 94 sqq. *est lateris dolore consumptus*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, al., Ald., Iunt., Crat., Man., Mueller, Or. — *lateris dol. consumptus est* edd. antiquiss., Lamb., Grut., Ern., Harl., Olsh. — *est* om. Erl. — *lateris est dol. consumptus* Schuetz.

§. 7. *rei publicae dignitate*] H. e. dignitate e republica administrata. Vid. Matth. ad Cic. p. lege Man. 15. 43, Beier ad III. Off. 8. 36 p. 243. — *Ab honorum perfunctione* Cfr. ad II. 89. 364.

§. 8. *flagrantem bello Italiam*] Bello Marsico s. sociali ob negatam sociis Italicis civitatem. Cfr. Liv. epit. 71 sq., Vell. Paterc. II. 15 sqq., Appian. B. C. I. 38 sqq. *ardentem invidia senatum etc.*] Lege Varia amplissimi senatores accusati sunt. Appian. I. 37. Cfr. Ascon. ad Cornel. p. 198 Sch. et quae attulimus ad I. 25. 117.

non luctum filiae, non exsilium generi, non acerbissimam C. Marii fugam, non illam post reditum eius caedem omnium crudelissimam, non denique in omni genere deformatam eam civitatem, in qua ipse florentissima multum omnibus gloria praestitisset.

III. 9. Sed quoniam attigi cogitatione vim varietatemque fortunae, non vagabitur oratio mea longius atque eis fere ipsis definietur viris, qui hoc sermone, quem referre coepimus, continentur. Quis enim non iure beatam L. Crassi mortem illam, quae

---

luctum filiæ — exsilium generi] Licinia, Crassi et Muciæ filia, *P. Scipioni*, Serapionis nepoti, nupserat (Cic. Brut. 58. 211). Hic Scipio, quem cum L. Cornel. Scipione cos. a. U. 671 (83) confundit Muellerus, eadem lege Varia damnatus atque in exsilium eiectus fuisse videtur.

acerbissimam C. Marii fugam] A. U. 666 (88) quum L. Cornelio Sullæ consuli Mithridaticum bellum decretum esset, P. Sulpicius trib. pl. auctore C. Mario rogationem tulit, ut Sullæ imperium abrogaretur, et C. Marius dux adversus Mithridatem crearetur. Tum Sulla contracto exercitu ad urbem rediit eamque armis occupavit; duodecim auctores novarum rerum, inter quos Marium cum filio et Sulpicium, urbe exturbavit ac lege lata exsules fecit. Sulpicius interfectus est; C. Marius filius in Africam traiecit; C. Marius pater, quum in paludibus Minturnensium lateret, extractus est ab oppidanis; et quum missus ad occidendum eum servus, natione Gallus, maiestate tanti viri perterritus recessisset, impositus publice in navim delatus est in Africam, ubi aliquamdiu inopem vitam in tugurio ruinarum Carthaginiensium toleravit. Liv. epit. 77, Vell. Paterc. II. 19, Plutarch. Mar. 35 sqq., Appian. B. C. I. 55 sqq.

illam post reditum eius cædem] A. U. 667 (87) L. Cornel. Cinna cos. quum perniciosas leges per vim atque arma ferret, pulsus urbe a Cn. Octavio collega, corruptum exercitum in suam potestatem redegit et bellum urbi intulit, arcessito C. Mario ex Africa cum aliis exsulibus. Optimatum factione victa, Cinna et Marius in urbem recepti sunt. Nihil illa victoria fuisset crudelius, nisi mox Sullana esset secuta; neque licentia in mediocres sævitum, sed excelsissimi quique atque eminentissimi civitatis viri variis suppliciorum generibus affecti; in iis Cn. Octavius cos., L. Corn. Merula, qui in eiecti Cinnæ locum consul suffectus fuerat, M. Antonius, Q. Catulus, L. et C. Iulii Cæsares, P. Crassus, al. Liv. epit. 79 et 80, Vell. Paterc. II. 20 sqq., Plutarch. Mar. 41 sqq., Appian. B. C. I. 64 sqq.

est a multis saepe defleta, dixerit, quum horum ipsorum sit, qui tum cum illo postremum fere collocuti sunt, eventum recordatus? Tenemus enim memoria, Q. Catulum, virum omni laude praestantem, quum sibi non incolumem fortunam, sed exsilium et fugam deprecaretur, esse coactum, ut vita se ipse privaret. 10. Iam M. Antonii in his ipsis rostris, in quibus ille rem publicam constantissime consul defenderat quaeque censor imperatoriis manubiis ornarat, positum caput illud fuit, a quo erant multorum civium capita servata. Neque vero longe ab eo C. Iulii caput, hospitis Etrusci scelere proditum, cum

---

Cap. III. §. 9. *Q. Catulum*] Cfr. ad II. 3. 12. Marius necessariis Catuli deprecantibus iratus non semel respondit, sed sæpe: *Moriatur* (Cic. V Tusc. 19. 56, Plutarch. Mar. 44). Catulus *quum ad mortem conquireretur, conclusit se loco nuper calce arenaque perpolito, illatoque igni, qui vim odoris excitaret, simul exitiali hausto spiritu, simul incluso suo, mortem magis voto quam arbitrio inimicorum obiit.* Vell. Paterc. II. 22; cfr. Valer. Max. IX. 12. 4, Plutarch. l. c., Appian. B. C. I. 74.

§. 10. *M. Antonii*] M. Antonius in agrum fugiens benigne exceptus est ab agricola ipsi familiari; sed cauponis alicuius indicio proditus, postquam ipsos milites, qui ad eum obtruncandum a Mario et Cinna missi erant, facundia sua moratus est, a P. Annio interfectus est. Eius caput abscissum C. Marii mensæ illatum, deinde in rostris positum est. Plutarch. Mar. 44, Appian. B. C. I. 72; cfr. Liv. epit. 80, Vell. Paterc. II. 22, Lucan. Phars. II. 122 sq., Valer. Max. VIII. 9. 2, IX. 2. 2, Flor. III. 21. — De Antonii consulatu vide ad II. 11. 48; de eius censura ad II. 64. 257.

imperatoriis manubiis] Gell. XIII. 24: *Aliud omnino præda est, ut in libris rerum verborumque veterum scriptum est, aliud manubiæ. Nam præda dicitur corpora ipsa rerum, quæ capta sunt, manubiæ vero appellatæ sunt pecunia a quæstore ex venditione prædæ redacta.* — Templa, simulacra, porticus aliaque monumenta de manubiis exstructa sæpe commemorantur, v. c. Cic. I. Verr. 59. 154, II. Agr. 22. 59, II. de rep. 17, Liv. X. 46, Gell. l. c. init., or. p. domo 38. 102, Valer. Max. VIII. 14. 2. Illæ autem *imperatoriæ* manubiæ ipsius Antonii fuisse videntur; vide ad I. 18. 82.

C. Iulii caput] De *C. Iul. Cæsare* vide ad II. 3. 12. Is quum in fundum Tarquiniensem fugisset, a Sextilio quodam, quem gravissimi criminis reum olim defenderat, proditus a

L. Iulii fratris capite iacuit, ut ille, qui haec non vidit, et vixisse cum re publica pariter et cum illa simul exstinctus esse videatur. Neque enim propinquum suum, maximi animi virum, P. Crassum, suapte interfectum manu, neque collegae sui, pontificis maximi, sanguine simulacrum Vestae respersum vidit; cui moerori, qua mente ille in patriam fuit, etiam C. Carbonis, inimicissimi hominis, eodem illo die

---

Marii satellitibus occisus est. Valer. Max. V. 3. 3; cfr. Liv. epit. 80, Ascon. ad Scaur. p. 145 sq. Beier., Appian. B. C. I. 72. — Eius frater *L. Iul. Cæsar* cos. a. U. 664 (90) belli socialis initio male adversus Samnites pugnavit; post tamen meliore fortuna adversus eosdem usus est (Liv. epit. 73). Idem in consulatu legem tulit de civitate sociis et Latinis danda (Cic. p. Balbo 8. 21; cfr. Ern. Ind. legg. *l. Iulia de civit.*). Censor a. U. 665 (89) fuit cum P. Licinio Crasso (Cic. p. Arch. 5. 11). A C. Mario apud Q. Varii bustum trucidatum esse Cæsarem tradit Valer. Max. IX. 2. 2.

P. Crassum] *P. Licinius Crassus* cos. fuit a. U. 657 (97) cum Cn. Cornel. Lentulo atque a. U. 661 (93) de Hispanis triumphavit (Ascon. ad Pison. 24. 58). Belli Italici initio legatus fuit L. Iul. Cæsaris (Cic. p. Font. 15. 33; cfr. Appian. B. C. I. 40), deinde a. U. 665 (89) eiusdem L. Iul. Cæsaris in censura collega (Cic. p. Arch. 5. 11). A. U. 667 (87), ne in manus incideret Cinnæ et Marii inimicorum, gladio se transfixit; cfr. Cic. p. Sest. 21. 48, p. Scaur. p. 141 sq. Beier. ibiq. Ascon., Liv. epit. 80. Appian. B. C. I. 72 eum a Cinnæ et Marii satellitibus interfectum esse tradit.

collegæ sui] *Q. Mucii Scævolæ* Pontif. Max., qui a. U. 659 (95) consul cum Crasso fuerat. Quum redux Sulla Norbanum et Scipionem vicisset atque a. U. 672 (82) cum C. Mario, C. sept. consulis filio, consule ad Sacriportum dimicaret, interea L. Damasippus prætor, ex voluntate C. Marii cos. quum senatum coegisset, omnem, quæ in urbe erat, nobilitatem trucidavit; e cuius numero Q. Mucius Scævola P. M. fugiens in vestibulo ædis Vestæ occisus est. Liv. epit. 86; cfr. Vell. Paterc. II. 26, Lucan. Phars. II. 126 sqq., Flor. III. 21, Appian. B. C. I. 88.

respersum vidit] Sic recte Lamb. prob. Schuetzio. — Vulgo: *respersum esse vidit.*

C. Carbonis, inimicissimi hominis] *C. Carbo Arvina*, non mediocris orator (Brut. 62. 221, 89. 305, 90. 308), prætorius eodem, quo Scævola, die a Damasippo in curia Hostilia interfectus est, eiusque truncum corpus patibulo affixum. Cic. ad Fam. IX. 21. 2 (qui præter hunc Carbonem civem e re publica Carbonum neminem fuisse dicit), Brut. 90. 311, Vell. Paterc. II. 26, Valer. Max. IX. 2. 3, Appian. B. C. I. 88;

mors nefaria fuisset. 11. Non vidit eorum ipsorum, qui tum adolescentes Crasso se dicarant, horribiles miserosque casus. Ex quibus C. Cotta, quem ille florentem reliquerat, paucis diebus post mortem Crassi depulsus per invidiam tribunatu, non multis ab eo tempore mensibus eiectus est e civitate. Sulpicius autem, qui in eadem invidiae flamma fuisset, quibuscum privatus coniunctissime vixerat, hos in tribunatu spoliare instituit omni dignitate; cui quidem ad summam gloriam eloquentiae efflorescenti ferro erepta vita est, et poena temeritatis non sine magno rei publicae malo constituta. 12. Ego vero te, Crasse, quum vitae flore tum mortis opportunitate divino consilio et ortum et exstinctum esse arbitror. Nam tibi aut pro virtute animi constantiaque tua civilis ferri subeunda fuit crudelitas, aut, si qua te fortuna ab atrocitate mortis vindicasset, eadem esse te fune-

cfr. Manut. ad Cic. ad Fam. l. c. et Wetzel ad Brut. 62. 221. *Inimicissimus* autem Crasso erat, propterea quod eius pater C. Carbo a Crasso accusatus fuerat; vide ad I. 10. 40; cfr. Valer. Max. III. 7. 6.

§. 11. *C. Cotta*] Vide ad I. 7. 25. — De *P. Sulpicio Rufo* cfr. quæ ibid. atque ad III. 2. 8 attulimus. Initio belli Italici parum eum abfuisse, quin lege Varia (de qua vide ad I. 25. 117) peteretur, perspicitur e verbis: *qui in eadem invidiæ flamma fuisset.* Secundo huius belli anno Cn. Pompeii Strabonis legatus (Brut. 89. 304) Marrucinos cecidit totamque eam regionem recepit. Liv. epit. 76. In tribunatu a. U. 666 (88) capitali odio a Q. Pompeio Rufo, qui eo anno cum Sulla consul erat, quocum coniunctissime atque amantissime vixerat, dissedit (Cic. Læl. 1. 2) atque consulibus vim inferre conatus est Pompeiique filium, eundem Sullæ generum, per emissarios factionis suæ interfecit. Liv. epit. 77, Vell. Paterc. II. 18, Appian. B. C. I. 56. A senatu, auctore Sulla, hostis iudicatus quum in quadam villa lateret, iudicio servi sui retractus et occisus est, caput in rostris positum; servus, ut præmium promissum indici haberet, manumissus et ob scelus proditi domini de saxo deiectus est. Liv. l. c., Vell. Paterc. II. 19, Plutarch. Sulla 10.

efflorescenti] Sic ex Ern. coniectura recentt. post Sch. — *florescenti* codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss. — *florenti* Guelf. C.

rum patriae spectatorem coëgisset; neque solum tibi improborum dominatus, sed etiam, propter admixtam civium caedem, bonorum victoria moerori fuisset.

IV. 13. Mihi quidem, Quinte frater, et eorum casus, de quibus ante dixi, et ea, quae nosmet ipsi ob amorem in rem publicam incredibilem et singularem pertulimus ac sensimus, cogitanti sententia saepe tua vera ac sapiens videri solet, qui propter tot, tantos tamque praecipites casus clarissimorum hominum atque optimorum virorum me semper ab omni contentione ac dimicatione revocasti. 14. Sed quoniam haec iam neque in integro nobis esse possunt, et summi labores nostri magna compensati gloria mitigantur: pergamus ad ea solatia, quae non modo sedatis molestiis iucunda, sed etiam haerentibus salutaria nobis esse possunt; sermonemque L. Crassi reliquum ac paene postremum memoriae prodamus atque ei, etsi nequaquam parem illius ingenio, at pro nostro tamen studio, meritam gratiam debitamque referamus. 15. Neque enim quisquam nostrum, quum libros Platonis mirabiliter scriptos legit, in quibus omnibus fere Socrates exprimitur, non, quamquam illa scripta sunt divinitus, tamen maius quiddam de illo, de quo scripta sunt, suspicatur. Quod item nos postulamus, non a te quidem, qui nobis omnia summa tribuis, sed a ceteris, qui haec in manus sument, ut maius quiddam de L. Crasso,

---

§. 12. *improborum*] Marii, Sulpicii, Cinnæ. — *Bonorum*. Sullæ, qui optimatum partes tuebatur. Verbis *propter admixtam civ. cædem* Cicero significat Sulpicii aliorumque Marianorum neces Sullanasque proscriptiones.

Cap. IV. §. 14. *neque in integro*] Sic Havn. A, Guelf. A, Med. 1 et vulgo inde ab Aldo. — *neque integro* Havn. B, Erl., Guelf. C. — *neque in integra* Med. 2. — *neque integra* Cant., Mead., marg. Harl. 2, Guelf. B, Ven., Lott., *Lamb.*, Pearc., Harl.

quam quantum a nobis exprimetur, suspicentur. 16. Nos enim, qui ipsi sermoni non interfuissemus, et quibus C. Cotta tantummodo locos ac sententias huius disputationis tradidisset, quo in genere orationis utrumque oratorem cognoveramus, id ipsum sumus in eorum sermone adumbrare conati. Quod si quis erit, qui ductus opinione vulgi aut Antonium ieiuniorem aut Crassum pleniorem fuisse putet, quam quomodo a nobis uterque inductus est, is erit ex iis, qui aut illos non audierint aut iudicare non possint. Nam fuit uterque, ut exposui antea, quum studio atque ingenio et doctrina praestans omnibus tum in suo genere perfectus, ut neque in Antonio deesset hic ornatus orationis neque in Crasso redundaret.

V. 17. Ut igitur ante meridiem discesserunt paullulumque requierunt, in primis hoc a se Cotta animadversum esse dicebat, omne illud tempus meridianum Crassum in acerrima atque attentissima cogitatione posuisse, seseque, qui vultum eius, quum ei dicendum esset, obtutumque oculorum in cogitando probe nosset atque in maximis causis saepe vidisset, tum dedita opera, quiescentibus aliis, in eam exhedram venisse, in qua Crassus lectulo posito recubuisset, quumque eum in cogitatione defixum esse sensisset, statim recessisse, atque in eo silentio duas horas fere esse consumptas. Deinde quum omnes, inclinato iam in pomeridianum tempus die, venissent

§. 16. *C. Cotta — tradidisset*] Cfr. I. c. 7 et 8.

pleniorem fuisse] Sic omnes codd., de quorum lectione aliquid h. l. adnotatum est (etiam Havn. uterq.), edd. antiquiss., Pearc. et recentt. post Ern. præter Orellium, qui edidit: *fuisse pleniorem*, quemadmodum exhibent Ald., Iunt., Man., Grut.

Cap. V. §. 17. *in eam exhedram*] Exhedræ erant aperta conclavia, sedibus instructa, in porticibus domuum et villarum. Vide impr. Vitruv. V. 11. 2, VII. 9. 2.

in pomeridianum] Cfr. Cic. Orat. 47. 157: *Impetratum*

ad Crassum, Quid est, Crasse, inquit Iulius, imusne sessum? etsi admonitum venimus te, non flagitatum.

18. Tum Crassus: An me tam impudentem esse existimatis, ut vobis hoc praesertim munus putem diutius posse debere?

Quinam igitur, inquit ille, locus? an in media silva placet? Est enim is maxime et opacus et frigidus.

Sane, inquit Crassus; etenim est in eo loco sedes huic nostro non inopportuna sermoni.

Quum placuisset idem ceteris, in silvam venitur et ibi magna cum audiendi exspectatione considitur.

19. Tum Crassus, Quum auctoritas atque amicitia vestra tum Antonii facilitas eripuit, inquit, mihi in optima mea causa libertatem recusandi. Quamquam in partienda disputatione nostra, quum sibi de iis, quae dici ab oratore oporteret, sumeret, mihi autem relinqueret, ut explicarem, quemadmodum illa ornari oporteret: ea divisit, quae seiuncta esse non possunt. Nam quum omnis ex re atque verbis constet oratio: neque verba sedem habere possunt, si rem subtraxeris, neque res lumen, si verba semoveris. 20. Ac mihi quidem veteres illi, maius quid-

---

est a consuetudine, ut peccare suavitatis causa liceret; et POMERIDIANAS QUADRIGAS quam POSTMERIDIANAS libentius dixerim.

§. 18. *diutius posse debere*] De omisso sæpe pronomine reciproco vide quæ attulit Madvig Emendatt. p. 111 sqq.; cfr. Beier ad Scaurian. p. 127. In his libris omissi pronominis exempla præter h. l. sunt I. 22. 101 et III. 36. 147. — *deberi* Ascens. prob. Pearc. — *me diutius posse debere* Lamb.

§. 20. *veteres illi*] Eleatici philosophi (Xenophanes, Parmenides, Melissus) omnia esse unum statuebant. Plato Sophist. p. 242 D: *Τὸ δὲ παρ' ἡμῖν Ἐλεατικὸν ἔθνος, ἀπὸ Ξενοφάνους τε καὶ ἔτι πρόσθεν ἀρξάμενον, ὡς ἑνὸς ὄντος τῶν πάντων καλουμένων, οὕτω διέρχεται τοῖς μύθοις.* Cfr. eiusd. Theæt. p. 180 D. E, Chr. Aug. Brandis comment. Eleatic. *P. I, p. 24 et* 137, Ritter Gesch. d. Philos. I. p. 443 sqq.

dam animo complexi, multo plus etiam vidisse videntur, quam quantum nostrorum ingeniorum acies intueri potest; qui omnia haec, quae supra et subter, unum esse et una vi atque una consensione naturae constricta esse dixerunt. Nullum est enim genus rerum, quod aut avulsum a ceteris per se ipsum constare, aut quo cetera si careant, vim suam atque aeternitatem conservare possint.

VI. 21. Sed si haec maior esse ratio videtur, quam ut hominum possit sensu aut cogitatione comprehendi: est etiam illa Platonis vera et tibi, Catule, certe non inaudita vox: Omnem doctrinam harum ingenuarum et humanarum artium uno quodam societatis vinculo contineri. Ubi enim perspecta vis est rationis eius, qua causae rerum atque exitus cognoscuntur, mirus quidam omnium quasi consensus doctrinarum concentusque reperitur. 22. Sed si hoc quoque videtur esse altius, quam ut id nos humi strati suspicere possimus, illud certe tamen, quod amplexi sumus, quod profitemur, quod suscepimus, nosse et tenere debemus. Una est enim, quod et ego hesterna die dixi, et aliquot locis antemeridiano sermone significavit Antonius, eloquentia, quascunque in oras disputationis regionesve delata est. 23. Nam sive de coeli natura loquitur, sive de terrae, sive de divina vi, sive de humana, sive ex inferiore loco,

---

Cap. VI. §. 21. *Sed si hæc*] Sic Havn. uterq., Norf., Mead., Harl. 2, *α*, *β*, *γ*, *δ*, Guelf. B, C, Erl., Lott., Ald., Iunt., Crat., Lamb., Pearc. et recentt. post Ern. — *si* om. Med. utraq., Ven., Man., Grut., prob. Matth. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 682, qui particulam e §. 22 huc illatam esse putat.

illa Platonis — vox] Plato Epinom. p. 992 A: *Δεσμὸς γὰρ πεφυκὼς πάντων τούτων εἷς ἀναφανήσεται διανοουμένοις κ. τ. λ.*; cfr. Cic. p. Arch. 1. 2.

§. 22. *hesterna die*] Vide I. 14 sqq. — *Aliquot locis — Antonius* Vide II. 9.

sive ex aequo, sive ex superiore, sive ut impellat homines, sive ut doceat, sive ut deterreat, sive ut concitet, sive ut reflectat, sive ut incendat, sive ut leniat, sive ad paucos, sive ad multos, sive inter alienos, sive cum suis, sive secum: rivis est diducta oratio, non fontibus, et, quocunque ingreditur, eodem est instructu ornatuque comitata. 24. Sed quoniam oppressi iam sumus opinionibus non modo vulgi, verum etiam hominum leviter eruditorum, qui, quae complecti tota nequeunt, haec facilius divulsa et quasi discerpta contrectant, et qui, tamquam ab animo corpus, sic a sententiis verba seiungunt, quorum sine interitu fieri neutrum potest: non suscipiam oratione mea plus, quam mihi imponitur. Tantum significabo brevi, neque verborum ornatum inveniri posse non partis expressisque sententiis, neque esse ullam sententiam illustrem sine luce verborum. 25. Sed priusquam illa conor attingere, quibus orationem ornari atque illuminari putem, proponam breviter, quid sentiam de universo genere dicendi.

VII. Natura nulla est, ut mihi videtur, quae non habeat in suo genere res complures dissimiles inter se, quae tamen consimili laude dignentur. Nam et auribus multa percipimus, quae, etsi nos vocibus delectant, tamen ita sunt varia saepe, ut id, quod proximum audias, iucundissimum esse videatur; et oculis colliguntur paene innumerabiles voluptates,

---

§. 23. *sive secum*] Hoc potissimum ad *μονολογίας* tragicas et comicas referendum esse observat Orellius. Suspectum tamen fuit Pearcio et Schuetzio, uncis inclusit Muellerus.

§. 24. *non partis*] Sic e coni. V. D. a Lambino commemorata ediderunt Sch. et Muellerus, quum omnes codd. et vulgo edd. vitiose exhibeant *non partitis*. — Lamb. coni. *repertis*. — *paratis* alii ap. Lamb.

quae nos ita capiunt, ut unum sensum dissimili genere delectent; et reliquos sensus voluptates oblectant dispares, ut sit difficile iudicium excellentis maxime suavitatis. 26. At hoc idem, quod est in naturis rerum, transferri potest etiam ad artes. Una fingendi est ars, in qua praestantes fuerunt Myro, Polycletus, Lysippus; qui omnes inter se dissimiles fuerunt, sed ita tamen, ut neminem sui velis esse dissimilem. Una est ars ratioque picturae, dissimillimique tamen inter se Zeuxis, Aglaophon, Apelles;

Cap. VII. §. 26. *Myro, Polycletus, Lysippus*] *Myro*, Eleutheris, Boeotiæ urbe, natus, statuarius et sculptor celeberrimus, Ageladæ discipulus, Ol. LXXXVII (432) floruit. Operum multitudine et varietate excelluit (Plin. H. N. XXXIV. 19. 3), ex quibus maxime nobilitata est eius bucula, quæ Ciceronis tempore adhuc Athenis erat (IV Verr. 60. 135), postea vero Romam translata est, ubi Procopii ætate in foro Pacis posita conspiciebatur (Procop. de bell. Goth. IV. 21). De hoc artifice cfr. Winkelm. Werke VI. 1. 64 sqq., Boettiger Andeutungen p. 129 sqq., H. Meyer Gesch. d. bild. Künste bei d. Gr. I. p. 72 sqq., Sillig catalog. artif. p. 281 sqq. — De *Polycleto* vide ad II. 16. 70. — *Lysippus*, Sicyonius, nobilissimus statuarius, Alexandri Magni æqualis, initio faber ærarius fuisse dicitur, magisque naturam quam præceptorem artis ducem secutus esse videtur; ipse tamen Polycleti Doryphorum magistrum sibi fuisse dicebat (Cic. Brut. 86. 296). Alexandrum Magnum, qui se ab hoc uno fingi patiebatur (Cic. ad Fam. V. 12. 3, Horat. ep. II. 1. 240 sq.), multis operibus fecit, a pueritia eius orsus; vide Plin. H. N. XXXIV. 19. 6, qui præstantissima eius opera recenset. *Statuariæ arti plurimum traditur contulisse, capillum exprimendo, capita minora faciendo, quam antiqui, corpora graciliora siccioraque, per quæ proceritas signorum maior videretur. Non habet Latinum nomen symmetria, quam diligentissime custodivit, nova intactaque ratione quadratas veterum statuas permutando, vulgoque dicebat: ab illis factos, quales essent homines, a se, quales viderentur esse.* Plin. l. c. Cfr. Winkelm. VI. 1. p. 98, Boettiger Andeut. p. 183 sqq., Meyer p. 122 sqq., Sillig p. 252 sqq.

Zeuxis, Aglaophon, Apelles] *Zeuxis*, Heracleæ, Magnæ Græciæ urbe, natus, teste Plinio (H. N. XXXV. 36) Ol. XCV. 4 (397) floruit. Inter eius picturas, quas commemorat Plin. l. c., maxime excelluit Helena, Crotoniatibus facta, de qua tabula vide Cic. II. Invent. init. Quintil. XII. 10. 4 eum luminum umbrarumque tradit invenisse rationem, quod in-

neque eorum quisquam est, cui quidquam in arte sua deesse videatur. Et si hoc in his quasi mutis artibus est mirandum et tamen verum, quanto admirabilius in oratione atque in lingua? quae quum in iisdem sententiis verbisque versetur, summas habet dissimilitudines; non sic, ut alii vituperandi sint, sed ut ii, quos constet esse laudandos, in dispari tamen genere laudentur. 27. Atque id primum in poëtis cerni licet, quibus est proxima cognatio cum oratoribus, quam sint inter sese Ennius, Pacuvius

---

ventum Plin. XXXV. 36. 3 et Plutarch. de Glor. Athen. 2 Apollodoro Atheniensi tribuunt. Eodem Quintiliano teste Zeuxis plus membris corporis dedit, id amplius atque augustius ratus, atque, ut existimant, Homerum secutus, cui validissima quæque forma etiam in feminis placet. De hoc pictore cfr. Winkelm. VI. 1. p. 89 sqq., 2. p. 175, Meyer p. 151 sqq., Sillig p. 459 sqq. — *Aglaophon maior*, Thasius, Polygnoti et Aristophontis pater (Plato Gorg. 448. B, Ion p. 532 E, Pausan. X. 27 extr.), Ol. LXX (500) vixit: *Agl. minor*, maioris nepôs, teste Plinio H. N. XXXV. 36 Ol. XC (420) floruit. Cfr. Athen. XII. p. 534 D, Quintil. XII. 10. 3 ibiq. Spalding, Boettiger Archæol. d. Mal. I. p. 269, Meyer p. 55 sq. et 147 sq., Sillig p. 22 sqq. — *Apelles* pictorum omnium facile princeps, quem Ovidius A. A. III. 401, Pont. IV. 1. 29, et Plin. H. N. XXXV. 36. 10 Coum, Suidas Colophonium, Strabo XIV p. 642 et Lucian. Calumn. non tem. cred. c. 2 (Vol. III. p. 127 Reiz.) Ephesium appellant, Alexandri Magni, qui ab hoc solo artifice se pingi passus est (Cic. ad Fam. V. 12. 3, Horat. ep. II. 1. 239, Valer. Max. VIII. 11 ext. 2), ætate floruit. *Picturæ plura solus prope quam ceteri omnes contulit, voluminibus etiam editis, quæ doctrinam eam continerent.* Plin. l. c. Præstantissimæ eius tabulæ fuere Venus Anadyomene et Coa Venus, quam imperfectam reliquit, quamque nemo absolvere ausus est, Cic. III. Off. 2. 10 ibiq. Beier. Cfr. Meyer p. 178 sqq., Sillig p. 60 sqq.

et tamen verum] Hæc verba, quæ in omnibus codd. exstant, spuria esse censuit Goerenz ad II. Acad. 12. 37, deleruut Sch. et Muellerus; sine causa. — Paullo post pro vulg. *ut alii vituperandi sint* Lamb. e coni., ut videtur, edidit: *ut alii laudandi, alii vituperandi sint.* Pearc. leg. censuit: *ut aliqui vituperandi sint.*

§. 27. *Ennius, Pacuvius, Accius*] De *Ennio* vide ad I. 34. 154; de *Pacuvio* ad I. 58. 246. — *L. Accius* (s. *Attius*), tragoediarum scriptor, libertinis parentibus natus a. U. 584

Acciusque dissimiles, quam apud Graecos Aeschylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par paene laus in dissimili scribendi genere tribuatur. 28. Adspicite nunc eos homines atque intuemini, quorum de facultate quaerimus, quid intersit inter oratorum studia atque naturas. Suavitatem Isocrates, subtilitatem Lysias, acumen Hyperides, sonitum Aeschines, vim Demosthenes habuit. Quis eorum non egregius? tamen quis cuiusquam nisi sui similis? Gravitatem Africanus, lenitatem Laelius, asperitatem

---

(170) A. Hostilio Mancino, M. Atilio Serrano coss. (Hieronym. Chron. Euseb. Ol. CLX), triginta annos natus cum Pacuvio octogenario tragoedia certavit (Cic. Brut. 64. 229), eidemque Pacuvio Tarenti Atreum suum recitavit (Gell. XIII. 2; cfr. ad I. 58. 246). Accio familiarissime usus est Decimus Iun. Brutus (cfr. Brut. 28. 107) cos. 616 (138), qui huius poetæ versibus templorum aditus, quæ ex manubiis consecraverat, exornavit (Cic. p. Arch. 11. 27, Valer. Max. VIII. 14. 2). Admodum senem eum obiisse inde patet, quod Cicero se cum eo collocutum esse dicit Brut. 28. 107. — *Virium Accio plus tribuitur, Pacuvium videri doctiorem, qui esse docti affectant, volunt.* Quintil. X. 1. 97; cfr. Horat. ep. II. 1. 56, Ovid. Amor. I. 15. 19.

Æschylus, Sophocles, Euripides] *Æschylus*, Euphorionis fil., Eleusinius, nat. Ol. LXIII. 4 (525), proeliis apud Marathona, ad Salaminem et Platæas interfuit. Obiit Syracusis Ol. LXXXI. 1 (456). E LXXV fabulis, quæ olim ferebantur, hodie non nisi septem exstant. — *Sophocles*, Sophili fil., Atheniensis ex pago Colono, natus Ol. LXXI. 2. (495), ad summam senectutem tragoedias fecit (cfr. Cic. de Sen. 7. 22); decessit Ol. XCIII. 3 (406). Hodie septem Sophoclis tragoediæ supersunt. — *Euripides*, Mnesarchi Atheniensis fil., Salamine Ol. LXXV. 1 (480) eodem die, quo Græci ad Salaminem Persas vicerunt, natus esse dicitur. Extremum vitæ tempus Pellæ apud Archelaum, Macedonum regem, transegit ibique mortuus est Ol. XCIII. 3 (406). Hodie Euripidis nomine feruntur octodecim tragoediæ et Cyclops, drama satyricum. De his tragoediæ Græcæ principibus cfr. Quintil. X. 1. 66 sqq.

§. 28. *Isocrates*] Vide ad II. 3. 10; de *Lysia* ad I. 54. 231, de *Hyperide* et *Demosthene* ad I. 13. 58, de *Æschine* ad II. 23. 94. — De *P. Corn. Scipionis* et *C. Lælii* eloquentia vide Brut. 21, Ellendt. prolegg. p. XXIX sqq.; de *Serv. Sulp. Galba* ad I. 10. 40 et 53. 227, de *C. Carbone* ad I. 10. 40.

Galba, profluens quiddam habuit Carbo et canorum. Quis horum non princeps temporibus illis fuit? et suo tamen quisque in genere princeps.

VIII. 29. Sed quid ego vetera conquiram, quum mihi liceat uti praesentibus exemplis atque vivis? Quid iucundius auribus nostris unquam accidit huius oratione Catuli? quae est pura sic, ut Latine loqui paene solus videatur, sic autem gravis, ut in singulari dignitate omnis tamen adsit humanitas ac lepos. Quid multa? istum audiens equidem sic iudicare soleo, quidquid aut addideris aut mutaveris aut detraxeris, vitiosius et deterius futurum. 30. Quid? noster hic Caesar nonne novam quandam rationem attulit orationis et dicendi genus induxit prope singulare? Quis unquam res praeter hunc tragicas paene comice, tristes remisse, severas hilare, forenses scenica prope venustate tractavit, atque ita, ut neque iocus magnitudine rerum excluderetur, nec gravitas facetiis minueretur? 31. Ecce praesentes duo prope aequales Sulpicius et Cotta. Quid tam inter se dis-

---

Cap. VIII. §. 29. *huius oratione Catuli*] De Catuli et Cæsaris dicendi genere cfr. locos ad II. 3. 12 allatos.

§. 30. *tragicas pæne comice*] Hunc locum citat Non. v. *remissum* (IV. 398 p. 700 Gothofr.) et v. *hilare* (XI. 36 p. 773).

§. 31. *Sulpicius et Cotta*] Cfr. Cic. Brut. 55. 202 sq.: *Inveniebat acute Cotta, dicebat pure ac solute, et ut ad infirmitatem laterum perscienter contentionem omnem remiserat, sic ad virium imbecillitatem dicendi accommodabat genus. Nihil erat in eius oratione nisi sincerum, nihil nisi siccum atque sanum; illudque maximum, quod, quum contentione orationis flectere animos iudicum vix posset nec omnino eo genere diceret, tractando tamen impellebat, ut idem facerent a se commoti, quod a Sulpicio concitati. Fuit enim Sulpicius vel maxime omnium, quos quidem ego audiverim, grandis et, ut ita dicam, tragicus orator. Vox quum magna tum suavis et splendida; gestus et motus corporis ita venustus, ut tamen ad forum, non ad scenam institutus videretur; incitata et volubilis, nec ea redundans tamen nec circumfluens oratio. Crassum hic volebat imitari, Cotta malebat Antonium; sed ab hoc vis aberat Antonii, Crassi ab illo lepos.*

simile? quid tam in suo genere praestans? Limatus alter et subtilis, rem explicans propriis aptisque verbis. Haeret in causa semper et, quid iudici probandum sit, quum acutissime vidit, omissis ceteris argumentis in eo mentem orationemque defigit. Sulpicius autem fortissimo quodam animi impetu, plenissima et maxima voce, summa contentione corporis et dignitate motus, verborum quoque ea gravitate et copia est, ut unus ad dicendum instructissimus a natura esse videatur.

IX. 32. Ad nosmet ipsos iam revertor, quoniam sic fuimus semper comparati, ut hominum sermonibus quasi in aliquod contentionis iudicium vocaremur; quid tam dissimile quam ego in dicendo et Antonius? quum ille is sit orator, ut nihil eo possit esse praestantius; ego autem, quamquam memet mei poenitet, cum hoc maxime tamen in comparatione coniungar. Videtisne, genus hoc quod sit Antonii? forte, vehemens, commotum in agendo, praemunitum et ex omni parte causae saeptum, acre, acutum, enucleatum, in unaquaque re commorans, honeste cedens, acriter insequens, terrens, supplicans, summa orationis varietate, nulla nostrarum aurium satietate. 33. Nos autem, quicunque in dicendo sumus, quoniam esse aliquo in numero vobis videmur, certe tamen ab huius multum genere distamus; quod quale sit, non est meum dicere, propterea quod minime sibi quisque notus est, et difficillime de se quisque sentit; sed tamen dissimilitudo intelligi potest et ex motus mei mediocritate et ex eo, quod, quibus

---

Cap. IX. §. 32. *quam ego in dicendo et Antonius*] De Crassi et Antonii genere dicendi vide Cic. Brut. 37 sqq.; de Antonio cfr. II. Orat. 72.

§. 33. *ex motus mei mediocritate*] De Crassi actione

vestigiis primum institi, in iis fere soleo perorare, et quod aliquanto me maior in verbis [quam in sententiis] eligendis labor et cura torquet, verentem, ne, si paullo obsoletior fuerit oratio, non digna exspectatione et silentio fuisse videatur. 34. Quod si in nobis, qui adsumus, tantae dissimilitudines, tam certae res cuiusque propriae, et in ea varietate fere melius a deteriore facultate magis quam genere distinguitur, atque omne laudatur, quod in suo genere perfectum est: quid censetis, si omnes, qui ubique sunt aut fuerunt, oratores amplecti voluerimus? nonne fore, ut, quot oratores, totidem paene reperiantur genera dicendi? Ex qua mea disputatione forsitan occurrat illud, si paene innumerabiles sint quasi formae figuraeque dicendi, specie dispares, genere laudabiles, non posse ea, quae inter se discrepant, iisdem praeceptis atque in una institutione formari. 35. Quod non est ita; diligentissimeque hoc

---

cfr. Brut. 43. 158: *Non multa iactatio corporis, non inclinatio vocis, nulla inambulatio, non crebra supplosio pedis.*

in verbis quam in sententiis eligendis labor] Sic Norf., Ald., Iunt., Crat., Steph., Lamb., Pearc., Ern., Harl., Olsh. Verba *quam in sententiis* a glossatoris manu profecta esse bene ostendit Sch., qui ea delevit, eumque secutus est Muellerus; nos cum Orellio uncis inclusimus. Interpolationis suspicionem augent codicum et antiquiss. edd. in his verbis discrepantiae: *in verbis eligendis quam in sententiis labor* Havn. A. — *in verbis et in sent. elig. quam labor* Havn. B, Vet. Steph., Cant., *α*, *ε*, *ψ* (unde Melanchthon, quem sequitur le Clerc: *in verbis et in sent. elig. labor*). — *in verbis et in sent. eligendis hinc labor δ.* — *in verbis et in s. elig. quam Antonium labor* edd. antiquiss., marg. Crat., unde Man. et Grut. fecerunt: *in verbis et in s. elig. quam eum labor.* — De re iam Pearcius contulit Brut. 37. 140.

§. 34. *facultate magis quam genere*] "Sensus est: quum dicimus, alium oratorem meliorem esse, alium deteriorem, eo iudicio non significamus, illius oratoris genus dicendi potius esse quam huius; in dispari enim genere possunt esse aeque laudabiles; sed intelligi volumus, illum oratorem facultate excellere, id est, plus in suo genere valere quam hunc in eo, quod sibi proprium habet." Pearc.

est eis, qui instituunt aliquos atque erudiunt, videndum, quo sua quemque natura maxime ferre videatur. Etenim videmus, ex eodem quasi ludo summorum in suo cuiusque genere artificum et magistrorum exisse discipulos dissimiles inter se ac tamen laudandos, quum ad cuiusque naturam institutio doctoris accommodaretur. 36. Cuius est vel maxime insigne illud exemplum (ut ceteras artes omittamus), quod dicebat Isocrates, doctor singularis, se calcaribus in Ephoro, contra autem in Theopompo frenis uti solere. Alterum enim exsultantem verborum audacia reprimebat, alterum cunctantem et quasi verecundantem incitabat. Neque eos similes effecit inter se, sed tantum alteri affinxit, de altero limavit, ut id conformaret in utroque, quod utriusque natura pateretur.

X. 37. Haec eo mihi praedicenda fuerunt, ut, si non omnia, quae proponerentur a me, ad omnium vestrum studium et ad genus id, quod quisque vestrum in dicendo probaret, adhaerescerent, id a me genus exprimi sentiretis, quod maxime mihi ipsi probaretur.

Ergo haec et agenda sunt ab oratore, quae explicavit Antonius, et dicenda quodam modo. Quinam igitur dicendi est modus melior (nam de actione post videro), quam ut Latine, ut plane, ut ornate, ut ad id, quodcunque agetur, apte congruenterque dicamus? 38. Atque eorum quidem, quae duo prima

---

§. 35. *ac tamen*] Vide ad II. 59. 240.
§. 36. *quod dicebat Isocrates*] Cic. Brut. 56. 204: *Doctoris intelligentis est, videre, quo ferat natura sua quemque, et ea duce utentem sic instituere, ut Isocratem in acerrimo ingenio Theopompi et lenissimo Ephori dixisse traditum est, alteri se calcaria adhibere, alteri frenos.* Cfr. ibid. Ellendt, Cic. Attic. VI. 1. 9, Quintil. II. 8. 11, X. 1. 74. — De *Theopompo* et *Ephoro* vide ad II. 13. 57.

dixi, rationem non arbitror exspectari a me, puri dilucidique sermonis. Neque enim conamur docere eum dicere, qui loqui nesciat, nec sperare, qui Latine non possit, hunc ornate esse dicturum, neque vero, qui non dicat, quod intelligamus, hunc posse, quod admiremur, dicere. Linquamus igitur haec, quae cognitionem habent facilem, usum necessarium. Nam alterum traditur literis doctrinaque puerili; alterum adhibetur ob eam causam, ut intelligatur, quid quisque dicat; quod videmus ita esse necessarium, ut tamen eo minus nihil esse possit. 39. Sed omnis loquendi elegantia quamquam expolitur scientia literarum, tamen augetur legendis oratoribus et poëtis. Sunt enim illi veteres, qui ornare nondum poterant ea, quae dicebant, omnes prope praeclare locuti; quorum sermone assuefacti qui erunt, ne cupientes quidem poterunt loqui nisi Latine. Neque tamen erit utendum verbis iis, quibus iam consuetudo nostra non utitur, nisi quando ornandi causa parce, quod ostendam; sed usitatis ita poterit uti, lectissimis ut utatur, is, qui in veteribus erit scriptis studiose et multum volutatus.

XI. 40. Atque ut Latine loquamur, non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat, et ea sic et casibus et temporibus et genere et numero conservemus, ut ne quid perturbatum ac discrepans aut praeposterum sit; sed

---

Cap. X §. 38. *docere eum dicere*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *dicere eum docere* Sch. e coni., eumque secutus est Muellerus. — *Nec sperare* "*Speramus* Lamb.; sed ex v. *conamur* ad v. *sperare* eliciendum est *audemus.*" Orell.

Cap. XI. §. 40. *conservemus*] Sic omnes fere codd. et vulgo edd. — *construemus* cod. Reg. 7753, unde *construamus* placet Orellio, qui comparat c. 31. 125: *quemadmodum verba struat et illuminet.* Sed *construere verba casibus, temporibus etc.* vix Latine dicitur. — *conseramus* e coni. edidit Sch., quem sequitur Muellerus.

etiam lingua et spiritus et vocis sonus est ipse moderandus. 41. Nolo exprimi literas putidius, nolo obscurari negligentius; nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius. Nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis, sed hoc, quod mihi cum sermone quasi coniunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quae nemo est quin effugere cupiat: mollis vox ut muliebris aut quasi extra modum absona atque absurda. 42. Est autem vitium, quod nonnulli de industria consectantur. Rustica vox et agrestis quosdam delectat, quo magis antiquitatem, si ita sonet, eorum sermo retinere videatur; ut tuus, Catule, sodalis L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae sonoque vocis agresti, et illud, quod loquitur, priscum visum iri putat, si plane fuerit rusticanum. Me autem tuus sonus et suavitas ista delectat; omitto verborum, quamquam est caput; verum id affert ratio, docent literae, confirmat consuetudo et legendi et loquendi; sed hanc dico suavitatem,

---

§. 41. *nolo exprimi literas etc.*] Cic. I. Off. 37. 133 de Catulorum oratione loquens, *sonus*, inquit, *erat dulcis; literae neque expressae neque oppressae, ne aut obscurum esset aut putidum.* Cfr. Quintil. XI. 3. 33.

exiliter exanimata] Sic codd. et vulgo edd. (nisi quod Havn. uterq., ψ, Crat. exhibent *examinata*), et sic etiam C. Iul. Victor Art. Rhet. p. 112 Maii hunc locum imitatus. — *exiliter animata* ex Ern. coni. ediderunt Sch. et Mueller. — *exilia et quasi exanimata* coni. Schneider.

§. 42. *L. Cotta gaudere mihi videtur gravitate linguae*] Cic. Brut. 36. 137: *L. Cotta, praetorius, in mediocrium oratorum numero, dicendi non ita multum laude processerat, sed de industria quum verbis tum etiam ipso sono quasi subrustico prosequebatur atque imitabatur antiquitatem;* et 74. 259: *Cotta, quia se valde dilatandis literis a similitudine Graecae locutionis abstraxerat sonabatque contrarium Catulo, subagreste quiddam planeque subrusticum, alia quidem quasi inculta et silvestri via ad eandem laudem pervenerat.* — De *gravitate linguae* cfr. II. 22. 91.

quae exit ex ore, quae quidem, ut apud Graecos Atticorum, sic in Latino sermone huius est urbis maxime propria. 43. Athenis iamdiu doctrina ipsorum Atheniensium interiit, domicilium tantum in illa urbe remanet studiorum, quibus vacant cives, peregrini fruuntur, capti quodammodo nomine urbis et auctoritate; tamen eruditissimos homines Asiaticos quivis Atheniensis indoctus non verbis, sed sono vocis, nec tam bene quam suaviter loquendo facile superabit. Nostri minus student literis quam Latini. Tamen ex istis, quos nostis, urbanis, in quibus minimum est literarum, nemo est, quin literatissimum togatorum omnium, Q. Valerium Soranum, lenitate vocis atque ipso oris pressu et sono facile vincat.

XII. 44. Quare quum sit quaedam certa vox Romani generis urbisque propria, in qua nihil offendi, nihil displicere, nihil animadverti possit, nihil sonare aut olere peregrinum: hanc sequamur, neque solum rusticam asperitatem, sed etiam peregrinam insolentiam fugere discamus. 45. Equidem quum audio socrum meam Laeliam (facilius enim mulieres incorruptam

---

ut apud Græcos Atticorum etc.] De *urbanitate*, de qua librum scripserat Domitius Marsus, cfr. Cic. Brut. 46. 171 sq., Quintil. VI. 3. 102 sqq., Wachsmuth in Athenæo I. 2. p. 276 sqq.

§. 43. *homines Asiaticos*] Asiaticos oratores *inclinata ululantique voce canere* dicit Cic. Orat. 8. 27.

literatissimum togatorum — Q. Valer. Soranum] Cic. Brut. 46. 169 inter sociorum et Latinorum oratores commemorat *Q. et D. Valerios Soranos, vicinos* (nam *Sora*, Romanorum colonia ad Lirim amnem sita, Arpino vicina erat; cfr. Cic. p. Planc. 9. 22, Cellar. orb. antiq. lib. II. 9. p. 657, Mannert Geogr. Vol. IX. P. I. p. 677) *et familiares suos, non tam in dicendo admirabiles quam doctos et Græcis literis et Latinis.* Ex his Quintus videtur esse is, qui h. l. togatorum (h. e. civium Romanorum, cfr. V. Verr. 60. 157) omnium literatissimus dicitur. Cfr. Schneiderum in ep. ad Langerum præfix. Brut. Wetzel. p. XXXII. atque Ellendt ad Brut. l. c.

Cap. XII. §. 45. *socrum meam Læliam*] C. Lælii Sa-

antiquitatem conservant, quod multorum sermonis expertes ea tenent semper, quae prima didicerunt), sed eam sic audio, ut Plautum mihi aut Naevium videar audire; sono ipso vocis ita recto et simplici est, ut nihil ostentationis aut imitationis afferre videatur; ex quo sic locutum esse eius patrem iudico, sic maiores; non aspere, ut ille, quem dixi, non vaste, non rustice, non hiulce, sed presse et aequabiliter et leniter. 46. Quare Cotta noster, cuius tu illa lata, Sulpici, nonnunquam imitaris, ut *Iota* literam tollas et *E* plenissimum dicas, non mihi oratores antiquos, sed messores videtur imitari.

---

pientis filiam, quæ Q. Mucio Scævolæ Auguri nupserat. De re cfr. Brut. 58. 211.

Plautum — aut Nævium] *M. Accius Plautus* poeta comicus, Sarsinæ, Umbriæ urbe, natus, belli Punici secundi temporibus floruit. Quum Romæ fabulis docendis opes sibi peperisset, mercaturam exercere coepit, sed adversa fortuna usus, postquam pecunia omni perdita inops Romam rediit, propter annonæ difficultatem ad circumagendas molas, quæ trusatiles appellantur, operam pistori locavit; in ipso tamen pistrino tres fabulas scripsit (Gell. III. 3, Hieronym. Chron. Euseb. Ol. CXLV). Decessit a. U. 570 (184) P. Claudio Pulchro, L. Porcio Licino coss., Catone censore (Cic. Brut. 15. 60). Olim Plauti nomine centum triginta fabulæ ferebantur, ex quibus L. Ælius Stilo solas quinque et viginti eius esse existimavit, Varro non nisi unam et viginti Plauti esse iudicavit, quæ fabulæ inde Varronianæ vocatæ sunt (Gell. l. c.). Hodie viginti exstant. Plauti orationem magnis laudibus efferunt veteres scriptores; vide Varronis vel potius Ælii Stilonis iudicium ap. Quintil. X. 1. 99, Gell. I. 7, VII. 17. — De *Nævio* vide ad II. 63. 255. — *Ut ille, quem dixi* Q. Valerius Soranus.

§. 46. *Cotta noster*] Significatur idem L. Cotta, quem 11. 42 commemoravit. Cfr. Pearc. et Sch. ad h. l.

ut Iota literam tollas et E pleniss. dicas] Schuetzius et Muellerus hunc locum silentio prætereunt; Harlessius, quem sequitur Wolffius, ita interpretatur: "*Iota literam tollas* e. g. filium ut filum, dominum ut domnum aspere pronuntiando, *et E plenissimum dicas* dilatando ut *ae* diphthongum." Equidem non duas his verbis res significari puto, sed latam illam antiquam eandem et rusticam loquendi rationem, qua E loco I pronuntietur, cuius generis exempla *Menerva*, *leber*, *magester*, alia affert Quintil. I. 4. 17. Rusticos *veam* pro via,

Hic quum arrisisset ipse Sulpicius, Sic agam vobiscum, inquit Crassus, ut, quoniam me loqui voluistis, aliquid de vestris vitiis audiatis.

Utinam quidem! inquit ille; id enim ipsum volumus, idque si feceris, multa, ut arbitror, hic hodie vitia ponemus.

47. At enim non sine meo periculo, Crassus inquit, possum, Sulpici, te reprehendere, quoniam Antonius mihi te simillimum dixit sibi videri.

Tu vero, inquit ille, quoniam monuit idem, ut ea, quae in quoque maxima essent, imitaremur; ex quo vereor, ne nihil sim tui nisi supplosionem pedis imitatus et pauca quaedam verba et aliquem, si forte, motum.

Ergo ista, inquit Crassus, quae habes a me, non reprehendo, ne me ipsum irrideam (sunt autem mea multo et plura et maiora, quam dicis); quae autem sunt aut tua plane aut imitatione ex aliquo expressa, de iis te, si qui me forte locus admonuerit, commonebo.

XIII. 48. Praetereamus igitur praecepta Latine loquendi, quae puerilis doctrina tradit et subtilior cognitio ac ratio literarum alit aut consuetudo ser-

---

specam pro spica dixisse tradit Varro de R. R. I. 48. 2, quem locum indicavit Spalding ad Quintil. l. c.

§. 47. *Antonius mihi te simillimum dixit*] Vide II. 21. 89. Cfr. Brut. 55. 203.

Tu vero, inquit ille, quoniam monuit] Sic codicis unius auctoritate emendavit Lamb., quem secuti sunt Muellerus et Or. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd.: *Tum ille, Tum quod monuit.* — *Tum ille, Tum quum monuit* Man. — *Tum ille, Tu vero; quod monuit* Sch., Harl. et, qui Lambini hanc emendationem esse opinatus est, Olsh.

supplosionem pedis] Ea non crebra esse usum Crassum dicit Cic. Brut. 43. 158. — *Aliquem, si forte* Gr. εἰ τύχοι: vide Garaton. ad Milonian. p. 329 ed. Orell. Exemplis Ciceronianis ab eo allatis adde II. Off. 20. 70 ex Orellii emendatione.

monis quotidiani ac domestici, libri confirmant et lectio veterum oratorum et poëtarum. Neque vero in illo altero diutius commoremur, ut disputemus, quibus rebus assequi possimus, ut ea, quae dicamus, intelligantur: 49. Latine scilicet dicendo, verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volemus, sine ambiguo verbo aut sermone, non nimis longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causa ex aliis rebus transferuntur, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus, non confusis personis, non perturbato ordine. Quid multa? Tam facilis est tota res, ut mihi permirum saepe videatur, quum difficilius intelligatur, quid patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui patronum adhibet, de re sua diceret. 50. Isti enim, qui ad nos causas deferunt, ita nos plerumque ipsi docent, ut non desideres planius dici. Easdem res autem simulac Fufius aut vester aequalis Pomponius agere coepit, non aeque, quid dicant, nisi admodum attendi, intelligo; ita confusa est oratio, ita perturbata, nihil ut sit primum, nihil ut secundum, tantaque insolentia ac turba verborum, ut oratio, quae lumen adhibere rebus debet, ea obscuritatem et tenebras afferat, atque ut quodammodo ipsi sibi in dicendo obstrepere videantur. 51. Verum, si placet, quoniam haec satis spero vobis quidem certe maioribus molesta et putida videri, ad reliqua aliquanto odiosiora pergamus.

Cap. XIII. §. 50. *Fufius aut vester aequalis Pomponius*] De *Fufio* vide ad I. 39. 179 et II. 22. 91. — *Cn. Pomponius*, Cottae et Sulpicii aequalis (Brut. 49. 182), *lateribus pugnans*, *incitans animos*, *acer*, *acerbus*, *criminosus* dicitur Brut. 62. 221, cfr. ibid. 57. 207. Periit bello Sullano; vide ibid. 90. 311.

XIV. Atqui vides, inquit Antonius, quam alias res agamus, quam te inviti audiamus, qui adduci possimus (de me enim coniicio), relictis ut rebus omnibus te sectemur, te audiamus; ita de horridis rebus nitida, de ieiunis plena, de pervulgatis nova quaedam est oratio tua.

52. Faciles enim, inquit, Antoni, partes eae fuerunt duae, quas modo percucurri, vel potius paene praeterii, Latine loquendi planeque dicendi; reliquae sunt magnae, implicatae, variae, graves, quibus omnis admiratio ingenii, omnis laus eloquentiae continetur. Nemo enim unquam est oratorem, quod Latine loqueretur, admiratus; si est aliter, irrident, neque eum oratorem tantummodo, sed hominem non putant. Nemo extulit eum verbis, qui ita dixisset, ut, qui adessent, intelligerent, quid diceret, sed contempsit eum, qui minus id facere potuisset. 53. In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem deum, ut ita dicam, inter homines putant? Qui distincte, qui

---

Cap. XIV. §. 51. *quam alias res agamus*] Sic Man., Lamb. et recentt. post Sch. — *quum alias res ag.* codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss.

quam te inviti audiamus, qui adduci possimus] Nisi quod pro *possumus* coniunctivum *possimus* post *qui* causale (*quum potius*) ex edd. antiquiss. recepi, in reliquis vulgatam post Aldum lectionem exhibui; sed eam ex interpolatione ortam esse, codicum quamvis corruptissimorum vestigia indicant: *quam te in vitia qui adduci possumus* Havn. uterq., plerique Gruteri codd., Oxx. omnes, etiam ψ (*abduci α, ψ*). — *quanta in vitia qui adduci possumus* Pal. oct. — *quam te inviti qui adducti possumus* Erl. — *quam abs te non inviti quidem adduci possimus* edd. antiquiss. (unde Pearc. edidit: *quam non inviti quidem adduci possumus*). Ex his patet, voc. *audiamus*, quod paucis interiectis recurrit, huc ab Aldo, ut videtur, interpolatum esse, ut codicum corruptelis mederetur. Fortasse leg. est: *quam a te inviti adduci possimus* vel (ut coniecit Madvigius) *qui a te non inviti adduci possimus.*

§. 52. *Latine loquendi planeque dicendi*] De hoc genitivo vide ad II. 27. 118.

explicate, qui abundanter, qui illuminate et rebus et verbis dicunt et in ipsa oratione quasi quendam numerum versumque conficiunt; id est, quod dico ornate. Qui idem ita moderantur, ut rerum, ut personarum dignitates ferunt, ii sunt in eo genere laudandi laudis, quod ego aptum et congruens nomino. 54. Qui ita dicerent, eos negavit adhuc se vidisse Antonius, et iis hoc nomen dixit eloquentiae solis esse tribuendum. Quare omnes istos, me auctore, deridete atque contemnite, qui se horum, qui nunc ita appellantur, rhetorum praeceptis omnem oratorum vim complexos esse arbitrantur neque adhuc, quam personam teneant aut quid profiteantur, intelligere potuerunt. Verum enim vero oratori, quae sunt in hominum vita, quandoquidem in ea versatur orator, atque ea est ei subiecta materies, omnia quaesita, audita, lecta, disputata, tractata, agitata esse debent.

---

§. 53. *id est, quod dico ornate*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *id est, qui dicunt ornate* Sch. e coni., eumque secuti sunt Harl. et Mueller. — Matthiae in Seebod. Miscell. Crit. I. p. 682 hæc verba glossema esse putat; sine causa. Crassus ad ea, quæ interrogavit, respondens non nude ponit: "qui ornate et apte dicit," sed has oratoris virtutes primum aliis verbis circumloquitur, deinde ipsas addit. Sed posterior sententia *qui idem* (vel fortasse *iidem*, ut voluit Ern.) — *ii sunt* definitionis formam induit, quum exspectaretur responsum; præstat igitur cum Schuetzio et Muellero legere: *et sunt*, quo facto bene sibi respondent utriusque membri partes: *qui distincte — qui idem*, et, *id est quod dico ornate — et sunt in eo gen. laud.*

in eo genere laudandi laudis] Ern. aut *laudandi* aut *laudis* spurium atque eiiciendum esse putavit; *laudis* delerunt Sch. et Muellerus; sed potius delendum videtur *laudandi*, quod voc. a librariis rariorem locutionem *esse in aliquo genere laudis* non intelligentibus additum esse probabile est.

§. 54. *negavit adhuc se vidisse Ant.*] Cfr. I. 21. 94.

verum enim vero] Sic Guelf. C, Sch., Mueller, Or. — *verum enim* vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. — *vero enim oratori* Erl., Waldarf., Lamb.

55. Est enim eloquentia una quaedam de summis virtutibus; quamquam sunt omnes virtutes aequales et pares, sed tamen est species alia magis alia formosa et illustris, sicut haec vis, quae scientiam complexa rerum sensa mentis et consilia sic verbis explicat, ut eos, qui audiunt, quocunque incubuerit, possit impellere; quae quo maior est vis, hoc est magis probitate iungenda summaque prudentia; quarum virtutum expertibus si dicendi copiam tradiderimus, non eos quidem oratores effecerimus, sed furentibus quaedam arma dederimus.

XV. 56. Hanc, inquam, cogitandi pronuntiandique rationem vimque dicendi veteres Graeci sapientiam nominabant. Hinc illi Lycurgi, hinc Pittaci, hinc Solones, atque ab hac similitudine Coruncanii nostri, Fabricii, Catones, Scipiones fuerunt, non tam fortasse docti, sed impetu mentis simili et voluntate. Eadem autem alii prudentia, sed consilio ad vitae studia dispari, quietem atque otium secuti, ut Pythagoras, Democritus, Anaxagoras, a regendis

---

§. 55. *Est enim eloquentia*] Cfr. I. 18. 83, III. 18. 65, Quintil. II. 20. 9.

qui audiunt] Sic Iunt., Grut., Sch., Or. Vide ad II. 77. 312. — Vulgo codd. et edd. *qui audiant*.

Cap. XV. §. 56. *sapientiam nominabant*] Cum h. l. cfr. III. Off. 4. 16 ibiq. Beier, III. de republ. 4. — *Lycurgus* Spartanorum, *Pittacus* Mitylenæorum, *Solon* Atheniensium legislatores. — De plurali numero vide ad I. 48. 210.

Coruncanii nostri] *Ti. Coruncanius*, qui primus ex plebe pontifex Max. creatus est (Liv. epit. 18), a. U. 474 (280) cos. fuit cum P. Valerio Lævino. Cfr. III. 33. 134. De *C. Fabricio* vide ad II. 66. 268.

Pythagoras, Democritus, Anaxagoras] De *Pythagora* et *Democrito* vide ad I. 10. 42. — *Anaxagoras* Clazomenius, natus Ol. LXXI. 1 (496), Ionicæ scholæ philosophus, Archelai philosophi (Cic. V. Tusc. 4. 10) et Periclis (cfr. ad I. 50. 216) præceptor fuit; etiam Empedocles et Euripides eius auditores fuisse dicuntur (Diog. Laert. II. 10, VIII. 56). Impietatis accusatus, quod solem massam s. lapidem candentem (μύδρον, λίθον διάπυρον cfr. Xenoph. Mem. IV. 7. 7, Plato

civitatibus totos se ad cognitionem rerum transtulerunt; quae vita propter tranquillitatem et propter ipsius scientiae suavitatem, qua nihil est hominibus iucundius, plures, quam utile fuit rebus publicis, delectavit. 57. Itaque ut ei studio se excellentissimis ingeniis homines dediderunt, ex ea summa facultate vacui ac liberi temporis multo plura, quam erat necesse, doctissimi homines, otio nimio et ingeniis uberrimis affluentes, curanda sibi esse ac quaerenda et investiganda duxerunt. Nam vetus quidem illa doctrina eadem videtur et recte faciendi et bene dicendi magistra; neque disiuncti doctores, sed iidem erant vivendi praeceptores atque dicendi: ut ille apud Homerum Phoenix, qui se a Peleo patre Achilli iuveni comitem esse datum dicit ad bellum, ut illum efficeret *oratorem verborum actoremque rerum.* 58. Sed ut homines labore assiduo et quotidiano assueti, quum tempestatis causa opere prohibentur, ad pilam se aut ad talos aut ad tesseras conferunt aut etiam novum sibi ipsi aliquem excogitant in otio ludum: sic illi a negotiis publicis, tamquam ab opere, aut temporibus exclusi aut voluntate sua feriati, totos se alii ad poëtas, alii ad geometras, alii ad musicos

---

Apol. Socr. 14) esse docuerat, deinde etiam Medismi arcessitus, exsilio damnatus est; Lampsaci, quo migraverat, Ol. LXXXVIII. 1 (428) obiit. De eius vita vide Diog. Laert. lib. II.; cfr. Tennemann in Erschii et Gruberi encycl. Vol. IV. init.; I. T. Hemsen de Anax. vita atque philosophia, Gotting. 1821. 8; 'Ed. Schaubach Anaxagoræ Claz. fragmm. Lips. 1827. cap. I.; Ritter Gesch. d. Philos. I. p. 289 sqq.

§. 57. *ille apud Homerum Phoenix*] Locus Homericus est Iliad. ι. 438 sqq.

— σοὶ δέ μ' ἔπεμπε γέρων ἱππηλάτα Πηλεὺς
— διδασκέμεναι τάδε πάντα,
μύθων τε ῥητῆρ' ἔμεναι, πρηκτῆρά τε ἔργων.

§. 58. *ad talos aut ad tesseras*] De his ludis vide Ern. clav. v. *talus.*

contulerunt, alii etiam, ut dialectici, novum sibi ipsi studium ludumque pepererunt atque in iis artibus, quae repertae sunt, ut puerorum mentes ad humanitatem fingerentur atque virtutem, omne tempus atque aetates suas consumpserunt.

XVI. 59. Sed quod erant quidam iique multi, qui aut in re publica propter ancipitem, quae non potest esse seiuncta, faciendi dicendique sapientiam florerent, ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes, aut qui minus ipsi in re publica versarentur, sed huius tamen eiusdem sapientiae doctores essent, ut Gorgias, Thrasymachus, Isocrates: inventi sunt, qui, quum ipsi doctrina et ingeniis abundarent, a re autem civili et a negotiis animi quodam iudicio abhorrerent, hanc dicendi exercitationem exagitarent atque contemnerent; quorum princeps Socrates fuit. 60. Is, qui omnium eruditorum testimonio totiusque iudicio Graeciae quum prudentia et acumine et venustate et subtilitate tum vero eloquentia, varietate,

---

ut dialectici] Dialecticæ auctorem fuisse Zenonem Eleaticum, Parmenidis discipulum, tradit Aristoteles ap. Diog. Laert. IX. 25. — De *dialectica* cfr. ad II. 38. 157.

Cap. XVI. §. 59. *ut Themistocles, ut Pericles, ut Theramenes*] Cfr. Brut. 7. 28: *Themistoclem constat quum prudentia tum etiam eloquentia præstitisse.* — De *Pericle* vide ad I. 50. 216; de *Theramene* ad II. 22. 93.

Gorgias, Thrasymachus, Isocrates] De *Gorgia* vide ad I. 22. 103. — *Thrasymachus* Chalcedone, Bithyniæ urbe, oriundus, Sophista, Socratis temporibus floruit. Is primus arte quadam verba vinxisse orationisque numeros invenisse dicitur. Cic. Orat. 12. 39, 13. 40, 52. 175, Suidas h. v. Cfr. Stallbaum ad Plat. de rep. I. p. 8 et p. 55. — De *Isocrate* vide ad II. 3. 10.

§. 60. *fuit. Is, qui — princeps, iis, qui hæc*] Sic codd. (nisi quod nonnulli: *his qui hæc*), edd. antiquiss., Man., Pearc., Mueller, Olsh., Orell., quem etiam in interpungendo hoc loco secutus sum. — *fuit is, qui — princeps. Is, qui hæc* vulgo post Ald. — *fuit is, qui — princeps. Hic iis, qui hæc* Lamb. — *fuit is, qui — princeps. Is iis, qui hæc* Ern., Sch., Harl.

copia, quam se cunque in partem dedisset, omnium fuit facile princeps, iis, qui haec, quae nos nunc quaerimus, tractarent, agerent, docerent, quum nomine appellarentur uno, quod omnis rerum optimarum cognitio atque in iis exercitatio *philosophia* nominaretur, hoc commune nomen eripuit sapienterque sentiendi et ornate dicendi scientiam, re cohaerentes, disputationibus suis separavit; cuius ingenium variosque sermones immortalitati scriptis suis Plato tradidit, quum ipse literam Socrates nullam reliquisset. 61. Hinc discidium illud exstitit quasi linguae atque cordis absurdum sane et inutile et reprehendendum, ut alii nos sapere, alii dicere docerent. Nam quum essent plures orti fere a Socrate, quod ex illius variis et diversis et in omnem partem diffusis disputationibus alius aliud apprehenderat: proseminatae sunt quasi familiae dissentientes inter se et multum disiunctae et dispares, quum tamen omnes se philosophi Socraticos et dici vellent et esse arbitrarentur.

XVII. 62. Ac primo ab ipso Platone Aristoteles et Xenocrates, quorum alter Peripateticorum, alter Academiae nomen obtinuit; deinde ab Antisthene,

---

§. 61. *philosophi Socraticos*] Voc. *philosophi* Ernestio suadente delerunt Sch. et Muellerus.

Cap. XVII. §. 62. *Aristoteles et Xenocrates*] Cfr. I. Acad. 4. 17: *Quum Speusippum, sororis filium, Plato philosophiæ quasi heredem reliquisset, duos autem præstantissimo studio atque doctrina, Xenocratem Chalcedonium et Aristotelem Stagiritem: qui erant cum Aristotele, Peripatetici dicti sunt, quia disputabant inambulantes in Lycio; illi autem, qui Platonis instituto in Academia (quod est alterum gymnasium) coetus erant et sermones habere soliti, e loci vocabulo nomen habuerunt.* De *Aristotele* cfr. ad I. 13. 55. — *Xenocrates* Chalcedonius, Platonis auditor, Speusippi in academia successor fuit. Eius libros de natura deorum commemorat Cic. I. N. D. 13. 24; libros de ratione loquendi II. Acad. 46. 143. Cfr. Diog. Laert. IV. 6 sqq.

ab Antisthene] Antisthenes primum Gorgiæ, deinde Socratis auditor, et patientiæ temperantiæque, quam Socrates

qui patientiam et duritiam in Socratico sermone maxime adamarat, Cynici primum, deinde Stoici; tum ab Aristippo, quem illae magis voluptariae disputationes delectarant, Cyrenaica philosophia manavit, quam ille et eius posteri simpliciter defenderunt, ii, qui nunc voluptate omnia metiuntur, dum verecundius id agunt, nec dignitati satisfaciunt, quam non aspernantur, nec voluptatem tuentur, quam amplexari volunt. Fuerunt etiam alia genera philosophorum, qui se omnes fere Socraticos esse dicebant, Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum;

---

sermonibus suis commendaverat, tum vita tum institutis tenacissimus, auctor fuit Cynicæ scholæ, quæ a Cynosarge gymnasio suburbano nomen invenit. Diog. Laert. VI. 13. — *Zeno* Citieus, Citii, Cypri urbe, natus, a Cynicis profectus (Cratetis enim Cynici discipulus fuit; deinde vero etiam Polemonem audivit academicum, Suidas voc. *Ζήνων;* cfr. Cic. I. Acad. 9. 34, Diog. Laert. VII. 2), stoicam sectam condidit, a Stoa poecile, Athenarum porticu, in qua docebat Zeno, appellatam. Diog. Laert. VII. 5,

ab Aristippo] Eorum, qui voluptatem finem bonorum esse voluerunt, princeps fuit *Aristippus*, qui Socratem audiverat, Cyrenis ortus, unde Cyrenaici philosophi nominati sunt, qui finem bonorum esse volebant simplicem voluptatem s. voluptatem eam, qua sensus dulciter ac iucunde moveretur, virtutemque censebant ob eam rem esse laudandam, quod efficiens esset voluptatis. Cic. II. Fin. 6. 18, 11. 34, 13. 39, III. Off. 33. 116 ibiq. intt., Athen. XII. p. 544 A. De Aristippo vide Diog. Laert. II. 65 sqq. — Post *Epicurus*, Gargetti, Atticæ pago, Ol. CIX. 4 (341) natus, in hortis, quos Athenis emerat, scholam condidit (Suidas v. *Ἐπίκ.*), quæ inde *κῆπος*, *ἡ ἐν τῷ κήπῳ διατριβή* dicta est, eiusque sectatores *οἱ ἀπὸ* vel *οἱ ἐκ τῶν κήπων*, *κηπολόγοι* appellati. Is non, ut Cyrenaici, voluptatem *in motu* (*ἡδονὴν ἐν κινήσει*) h. e. singulas voluptates, quæ maxima dulcedine sensum moverent, sed *stantem* s. *stabilem* voluptatem (*ἡδονὴν ἐν στάσει* s. *καταστηματικήν*) h. e. voluptatem non dolendi s. privationem doloris indeque natam tranquillam conditionem summum bonum esse censuit. Cic. II. Fin. 10. 30 sqq., 13. 39, 23. 75. Cfr. Diog. Laert. X. 1 sqq.

Socraticos esse dicebant] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *Socr. esse dicerent* Ern. e coni., eumque secuti sunt Sch., Harl., Mueller, Olsh.

Eretricorum, Herilliorum, Megaricorum, Pyrrhoneorum] *Eretrici* s. *Eretriaci* (quemadmodum h. l. ediderunt Lott.,

sed ea horum vi et disputationibus sunt iamdiu fracta et exstincta. 63. Ex illis autem, quae remanent, ea philosophia, quae suscepit patrocinium voluptatis, etsi cui vera videatur, procul abest tamen ab eo viro, quem quaerimus et quem auctorem publici consilii et regendae civitatis ducem et sententiae atque eloquentiae principem in senatu, in populo, in causis publicis esse volumus. Nec ulla tamen ei philosophiae fiet iniuria a nobis. Non enim repelletur inde, quo aggredi cupiet, sed in hortulis quiescet suis, ubi

---

Lamb. et Pearc.) *philosophi a Menedemo, quod is Eretria fuit, appellati; quorum omne bonum in mente positum et mentis acie, qua verum cerneretur.* Cic. II. Acad. 42. 129. De Menedemo cfr. Diog. Laert. II. 125 sqq. — *Herillii* ab Herillo Carthaginiensi, Zenonis Stoici auditore, dicti, qui in cognitione et scientia summum bonum posuit. Cic. II. Acad. l. c., Fin. II. 13. 43, IV. 15. 40, V. 8. 23, 25. 73, Diog. Laert. VII. 165. — De *Megaricis* Cic. II. Acad. l. c.: *Megaricorum fuit nobilis disciplina, cuius, ut scriptum video, princeps Xenophanes, — deinde eum secuti Parmenides et Zeno; itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus* (cfr. Gell. VI. 10), *a quo iidem illi Megarici dicti, qui id bonum solum esse dicebant, quod esset unum et simile et idem semper.* Cfr. Diog. Laert. II. 106: *Οὗτος ἓν τὸ ἀγαθὸν ἀπεφαίνετο πολλοῖς ὀνόμασι καλούμενον, ὁτὲ μὲν γὰρ φρόνησιν, ὁτὲ δὲ θεόν, καὶ ἄλλοτε νοῦν καὶ τὰ λοιπά.* Iidem deinde *Eristici*, post *Dialectici* appellati sunt. Diog. Laert. l. c. De his philosophis et de necessitudine, quae iis cum Eleaticis intercesserit, vid. Ferd. Deycks de Megaricorum doctrina eiusque apud Platonem et Aristotelem vestigiis, Bonnae 1827; cfr. H. Ritter Bemerkungen ueber die Philosophie der Megarischen Schule in Rhein. Mus. II. fasc. 3 p. 295 sqq. — *Pyrrhonei s. Sceptici* (*Σκεπτικοί, Ἐφεκτικοί, Ἀπορητικοί*) a Pyrrhone Eleo, qui Alexandri Magni temporibus florebat, originem duxerunt. Pyrrho *ἀκαταληψίας* et *ἐποχῆς* genus inducens nihil neque pulchrum esse dixit nec turpe nec iustum, nec iniustum, omniumque rerum fidem veritatemque mixtis confusisque signis veri atque falsi imprehensibilem videri; unde eius dictum: *οὐ μᾶλλον οὕτως ἔχει τόδε ἢ ἐκείνως ἢ οὐδετέρως.* Vide Diog. Laert. IX. 61 sqq., Gell. XI. 5. Cfr. Beierum ad I. Off. 2. 6 p. 15.

§. 63. *quo aggredi cupiet*] Matthiaeum, qui in Seebodii Misc. Crit. I. p. 682 leg. suspicatur: *quo* (ad remp. tractandam) *aggredi non cupiet*, bene refutavit Muellerus ad Cic. orat. p. Sestio p. 36.

vult, ubi etiam recubans molliter et delicate nos avocat a rostris, a iudiciis, a curia, fortasse sapienter, hac praesertim re publica. 64. Verum ego non quaero nunc, quae sit philosophia verissima, sed quae oratori coniuncta maxime. Quare istos sine ulla contumelia dimittamus; sunt enim et boni viri et, quoniam sibi ita videntur, beati; tantumque eos admoneamus, ut illud, etiam si est verissimum, tacitum tamen, tamquam mysterium, teneant, quod negant versari in re publica esse sapientis. Nam si hoc nobis atque optimo cuique persuaserint, non poterunt ipsi esse, id quod maxime cupiunt, otiosi.

XVIII. 65. Stoicos autem, quos minime improbo, dimitto tamen nec eos iratos vereor, quoniam omnino irasci nesciunt, atque hanc iis habeo gratiam, quod soli ex omnibus eloquentiam virtutem ac sapientiam esse dixerunt. Sed utrumque est in his, quod ab hoc, quem instruimus, oratore valde abhorreat, vel quod omnes, qui sapientes non sint, servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt, neque tamen quemquam esse sapientem. Valde autem est absurdum, ei concionem aut senatum aut ullum coetum hominum committere, cui nemo illorum, qui adsint, sanus, nemo civis, nemo liber esse videatur. 66. Accedit, quod orationis etiam genus habent fortasse subtile et certe acutum, sed, ut in oratore, exile, inusitatum, abhorrens ab auribus vulgi, obscurum, inane, ieiunum, ac tamen

---

Cap. XVIII. §. 65. *virtutem ac sapientiam esse*] Cfr. ad III. 14. 55. — *Vel quod omnes* "Non sequitur aliud *vel*, sed tamen alterum sensu est in verbis *Accedit quod orationis genus etc.* Sunt enim duo, quae reprehendat, primum in rebus, alterum in verbis. Mutavit formam orationis propter longiorem interpositionem." Ernesti. — *Servos, latrones, hostes, insanos esse dicunt* Cfr. Cic. p. Muren. 29. 61, II. Acad. 44. 136, 47. 144, IV Fin. 27. 74.

§. 66. *abhorrens ab auribus vulgi*] Cfr. Paradox. init. — *ac tamen* Havn. A, δ, et sic e Goerenzii coni. (ad II.

eiusmodi, quo uti ad vulgus nullo modo possit. Alia enim et bona et mala videntur Stoicis et ceteris civibus vel potius gentibus; alia vis honoris, ignominiae, praemii, supplicii; vere, an secus, nihil ad hoc tempus; sed ea si sequamur, nullam unquam rem dicendo expedire possimus. 67. Reliqui sunt Peripatetici et Academici; quamquam Academicorum no-

---

Fin. 18. 57 et 27. 85) Muellerus et Or. pro vulg. *attamen*. Cfr. ad II. 69. 240. — *aut tamen* coni. Olsh. — Voc. *tamen* molestum est h. l., magisque placet coni. Ernestii *ac totum* a Schuetzio in ed. mai. recepta. — Lambinus ipse edidit *et tandem*; in marg. repett. L. exstat *ac tandem*; sed *tandem* pro *postremo* barbarum est.

§. 67. *Reliqui sunt Peripatetici et Acad. etc.*] Inter Peripateticos, quorum princeps Aristoteles Platonem audierat, et veterem Academiam nihil fere differre sæpe significat Cicero (v. c. I. Acad. 4. 17 sqq., I. Legg. 13. 38, IV Fin. 2. 5, III. Off. 4. 20). *Abundantia quadam ingenii præstabat Aristoteles, sed idem fons erat utrisque et eadem rerum expetendarum fugiendarumque partitio* (I. Acad. 4. 18); *utrisque hic bonorum finis, adipisci, quæ essent prima natura quæque ipsa per sese expetenda, aut omnia aut maxima* (ibid. 6. 22; cfr. II. Acad. 42. 131, II. Fin. 11. 34). *Speusippus autem et Xenocrates, qui primi Platonis rationem auctoritatemque susceperant, et post hos Polemo et Crates unaque Crantor* (Solensis) *in Academia congregati diligenter ea, quæ a superioribus acceperant, tuebantur* (I. Acad. 9. 34). — Ab hac ratione primus discessit *Arcesilas*, Pitanæus (Pitane, Æolidis urbe, natus), Polemonis auditor, summo ingenii acumine et admirabili quodam lepore dicendi (II. Acad. 6. 16), *qui negabat esse quidquam, quod sciri posset, ne illud quidem ipsum, quod Socrates sibi reliquisset* (id unum, se nihil scire, cfr. I. Acad. 4. 16); *sic omnia latere in occulto; neque esse quidquam, quod cerni aut intelligi posset; quibus de causis nihil oportere neque profiteri neque affirmare quemquam neque assensione approbare, cohibereque semper et ab omni lapsu continere temeritatem; — unde illa nata est ἐποχή, id est assensionis retentio. — Hanc Academiam novam appellant.* I. Acad. 12. 45 sq., coll. c. II. Acad. 18. 59, Diog. Laert. IV. 28 sqq., Gell. XI. 5. Restat, ut observemus, Ciceronem non nisi duas academias commemorare, *veterem* illam Platonis et *novam s. recentiorem* hanc ab Arcesila conditam. Alii tres numerant, veterem, mediam Arcesilæ, novam Carneadis, quibus alii addunt quartam Philonis et Charmidæ, quintam Antiochi. Vide Sext. Empirico. Pyrrhon. Hypotyp. I. 33 init. p. 56 Fabr.

men est unum, sententiae duae. Nam Speusippus, Platonis sororis filius, et Xenocrates, qui Platonem audierat, et, qui Xenocratem, Polemo et Crantor nihil ab Aristotele, qui una audierat Platonem, magno opere dissensit; copia fortasse et varietate dicendi pares non fuerunt. Arcesilas primum, qui Polemonem audierat, ex variis Platonis libris sermonibusque Socraticis hoc maxime arripuit, nihil esse certi, quod aut sensibus aut animo percipi possit; quem ferunt, eximio quodam usum lepore dicendi, aspernatum esse omne animi sensusque iudicium primumque instituisse (quamquam id fuit Socraticum maxime), non quid ipse sentiret, ostendere, sed contra id, quod quisque se sentire dixisset, disputare. 68. Hinc haec recentior Academia emanavit, in qua exstitit divina quadam celeritate ingenii dicendique copia Carneades; cuius ego etsi multos auditores cognovi Athenis, tamen auctores certissimos laudare possum et socerum meum Seaevolam, qui eum Romae audivit adolescens, et Q. Metellum L. F. familiarem meum, clarissimum virum, qui illum a se adolescente Athenis, iam affectum senectute, multos dies auditum esse dicebat.

XIX. 69. Haec autem, ut ex Apennino fluminum,

---

magno opere dissensit] Vide ad II. 7. 26. Hoc tamen loco non sine causa singularis numerus nonnullos VV. DD. offendit, quum sequatur: *pares non fuerunt*. Lambinus in marg. repett. L. correxit *dissenserunt*, alii aliter.

§. 68. *multos auditores cognovi Athenis*] Charmadam, Clitomachum, Metrodorum, alios. Vide I. 11. 45. — *qui eum Romae audivit* a. U. 599 (155); vide ad II. 37. 155.

Q. Metellum] *Q. Caecil. Metell. Numidicum*, de quo vide ad II. 40. 167.

Cap. XIX. §. 69. *ut ex Apennino fluminum*]. "Similitudo rectissime adhibetur ad declarandum distinctas professiones philosophiae et eloquentiae civilis, ubi philosophi comparantur fluviis in Adriaticum mare labentibus, quietum et pacatum, propterea quod vitam otiosam et quietam degunt, oratores fluviis in mare Tyrrhenum decurrentibus, quod pro-

sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta divortia, ut philosophi tamquam in superum mare Ionium defluerent, Graecum quoddam et portuosum, oratores autem in inferum hoc Tuscum et barbarum, scopulosum atque infestum, laberentur, in quo etiam ipse Ulixes errasset. 70. Quare si hac eloquentia atque hoc oratore contenti sumus, qui sciat aut negare oportere, quod arguare, aut, si id non possis, tum ostendere, quod is fecerit, qui insimuletur, aut recte factum aut alterius culpa aut iniuria aut ex lege aut non contra legem aut imprudentia aut necessario, aut non eo nomine usurpandum, quo arguatur, aut non ita agi, ut debuerit ac licuerit; et si satis esse putatis ea, quae isti scriptores artis docent, discere, quae multa tamen ornatius, quam ab illis dicuntur, et uberius explicavit Antonius; sed si his contenti estis atque iis etiam, quae dici voluistis a me: ex ingenti quodam oratorem immensoque campo in exiguum sane gyrum compellitis. 71. Sin veterem illum Periclem aut hunc etiam, qui familiarior nobis propter scriptorum multitudinem est, Demosthenem sequi vultis, et si illam praeclaram et eximiam speciem oratoris perfecti et pulchritudinem adamastis: aut vobis haec Carneadia aut illa Aristotelia vis comprehendenda est. 72. Namque, ut ante dixi, veteres illi usque ad Socratem omnem omnium rerum, quae ad mores hominum, quae ad vitam, quae ad virtutem, quae ad rem publicam pertinebant,

---

cellosum est, quia assidue versantur in mediis fluctibus et tempestatibus rei publicae." Talæus.

§. 71. *Periclem*] Vide ad I. 50, 216, II. 22. 93. — *Demosthenem* v. ad I. 13. 58. — *haec Carneadia* cfr. II. 38. 161, III. 18. 68; *illa Aristotelia vis* cfr. II. 38. 160, III. 21. 80, V Fin. 4. 10.

cognitionem et scientiam cum dicendi ratione iungebant; postea dissociati, ut exposui, a Socrate diserti a doctis, et deinceps a Socraticis item omnibus, philosophi eloquentiam despexerunt, oratores sapientiam; neque quidquam ex alterius parte tetigerunt, nisi quod illi ab his aut ab illis hi mutuarentur, ex quo promiscue haurirent, si manere in pristina communione voluissent. 73. Sed ut pontifices veteres propter sacrificiorum multitudinem tres viros epulones esse voluerunt, quum essent ipsi a Numa, ut etiam illud

---

§. 72. *dissociati — diserti a doctis — philosophi — oratores*] Sic omnes codd. et vulgo edd. "Græca est constructio: *χωρισθέντες οἱ ῥήτορες ἀπὸ τῶν φιλοσόφων, οἱ μὲν φιλόσοφοι — οἱ δὲ ῥήτορες* pro *χωρισθέντων δὲ τῶν φιλοσόφων*" [immo *χωρ. τῶν ῥητόρων καὶ τῶν φιλ.*]. Matth. in Seebodii Misc. Crit. I. p. 683. Eiusmodi constructio, in qua generale subiectum deinceps dividitur, non infrequens est Græcis; cfr. Xenoph. Anab. I. 8. 27 ibiq. intt., Memor. I. 2. 24. Simile est illud Livii XXXII. 23: *Postquam uno animo omnes, et Macedones tamquam communem patriam tuebantur, et Corinthii ducem præsidii Androsthenem — imperio in se uti patiebantur.* Hoc loco communi participio adiungitur accuratior distinctio *diserti a doctis* (h. e. diserti et docti inter se); illud tamen molestum est, quod voc. *dissociati* grammatice non ad utrosque, sed tantum ad disertos referri potest. Hoc imprimis moti VV. DD. varie locum correxerunt: *dissociatis — a Socrate disertis a doctis* Lamb. in marg. repett. L. — *dissociatis — a S. disertis et doctis* coni. Pearc., prob. Ern., et sic ediderunt Sch. et Harl. — Vocc. *diserti a doctis* temere delevit Muellerus.

§. 73. *ut pontifices veteres*] Pontifices a Numa rege e patribus creati sunt quattuor vel quinque, qui sacris præessent (Liv. I. 20, coll. c. X. 6, Cic. II. de rep. 14). Ad hunc numerum a. U. 454 (300) quattuor e plebe accesserunt (Liv. X. 6). Sulla Pontificum collegium auxit, ut essent quindecim (Liv. epit. 89). His inter alia initio demandata erat cura epularum, quæ ludorum causa fiebant (Liv. XXV. 2, XXVII. 36, XXIX. 38, XXX. 39, XXXI. 4, XXXII. 7 al.). Sed propter sacrificiorum multitudinem a. U. 558 (196) ad ludorum epulare sacrificium faciendum Triumviri epulones creati sunt, quibus, ut Pontificibus, lege datum est togæ prætextæ habendæ ius (Liv. XXXIII. 42). Iidem, postquam auctus est numerus, Septemviri epulones s. epulonum appellati sunt. Gell. I. 12, Plin. ep. II. 11; cfr. Ruhnk. in antiqq. R. lection. acad. ed. Eichstaedt. VII. p. 13, Orellii inscriptt. I. p. 386.

ludorum epulare sacrificium facerent, instituti; sic Socratici a se causarum actores et a communi philosophiae nomine separaverunt, quum veteres dicendi et intelligendi mirificam societatem esse voluissent.

XX. 74. Quae quum ita sint, paullulum equidem de me deprecabor et petam a vobis, ut ea, quae dicam, non de memet ipso, sed de oratore dicere putetis. Ego enim sum is, qui, quum summo studio patris in pueritia doctus essem et in forum ingenii tantum, quantum ipse sentio, non [tantum] quantum [ipse] forsitan vobis videar, detulissem, non possim dicere, me haec, quae nunc complector, perinde ut dicam discenda esse, didicisse; quippe qui omnium maturrime ad publicas causas accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocarim; cui disciplina fuerit forum, magister usus et leges et instituta populi Romani mosque maiorum. 75. Paullum sitiens istarum artium, de quibus loquor, gustavi, quaestor in Asia quum essem, aequalem fere meum ex Aca-

---

Cap. XX. §. 74. *non tantum, quantum ipse forsitan*] Voce. *tantum* et *ipse* Ernestio suspecta cum Orellio uncis inclusi; utrumque voc. eiecerunt Sch. et Mueller, posterius Olsh.

annosque natus unum et viginti] Scriptor dialogi de causis corruptæ eloq. c. 34 L. Crassum nono decimo ætatis anno C. Carbonem insecutum esse dicit, eoque auctore Lamb. h. l. correxit: *annosque natus undeviginti*, prob. Orellio. Sed sana est vulgata lectio. Crassus enim a. U. 614 = 140 a. Chr. natus (Brut. 43. 161) a. U. 635 (119), quo anno Carbonem accusavit, vicesimum primum annum egit. Cfr. ad I. 10. 40, 26. 121, Ellendt prolegg. p. LXX sq.

§. 75. *quæstor in Asia quum essem*] Vide ad I. 11. 45; de *Metrodoro* ad II. 88. 360. — De *mysteriis* Atheniensium, quibus ipse Cicero initiatus erat, cfr. II. Legg. 14. 36. Horum mysteriorum ἐπιμελητής erat Archon βασιλεύς (Harpocr. voc. ἐπιμελ.); de ipsa initiatione, μυήσεως gradibus et doctrina Eleusiniis tradita multa fabulati sunt VV. DD. Vide Lobeckii Aglaophamum s. de theol. mystica Græcor. causis Vol. I.

demia rhetorem nactus, Metrodorum illum, de cuius memoria commemoravit Antonius, et inde decedens, Athenis, ubi ego diutius essem moratus, nisi Atheniensibus, quod mysteria non referrent, ad quae biduo serius veneram, succensuissem. Quare hoc, quod complector tantam scientiam vimque doctrinae, non modo non pro me, sed contra me est potius (non enim, quid ego, sed, quid orator possit, disputo) atque hos omnes, qui artes rhetoricas exponunt, perridiculos. Scribunt enim de litium genere et de principiis et de narrationibus. 76. Illa vis autem eloquentiae tanta est, ut omnium rerum, virtutum, officiorum omnisque naturae, quae mores hominum, quae animos, quae vitam continet, originem, vim mutationesque teneat; eadem mores, leges, iura describat, rem publicam regat omniaque, ad quamcunque rem pertineant, ornate copioseque dicat. 77. In quo genere nos quidem versamur tantum, quantum possumus, quantum ingenio, quantum mediocri doctrina, quantum usu valemus; neque tamen istis, qui in una philosophia quasi tabernaculum vitae suae collocarunt, multum sane in disputatione concedimus.

XXI. 78. Quid enim meus familiaris C. Velleius

---

§. 76. *mores — describat*] *morem — describat* e coni. edidit Sch., eumque secuti sunt Harl., Mueller, Or. Equidem omnium codd. et vulgatam editionum lectionem restitui cum Olsh., qui tamen minus apte confert Cic. III. de rep. 10; ibi enim verbum *describere* est i. q. explicare; h. l. *mores describere* videtur esse i. q. m. constituere, ordinare, et sic bene eloquentia s. eloquens vir dicitur *mores*, leges, iura describere; *morem* describere quid sit, nescio.

§. 77. *quasi tabernaculum — collocarunt*] Cfr. II. 38. 160: *Habitarunt in hac una ratione tractanda.*

Cap. XXI. §. 78. *C. Velleius etc.*] Cicero, qui lib. I. de N. D. Velleium Epicureorum, lib. II. Q. Balbum Stoicorum sententiam de natura deorum explicantes inducit, I. N. D. 6. 15 se, quum feriis Latinis ad C. Cottam venisset, offen-

afferre potest, quamobrem voluptas sit summum bonum, quod ego non copiosius possim vel tutari, si velim, vel refellere ex illis locis, quos exposuit Antonius, hac dicendi exercitatione, in qua Velleius est rudis, unusquisque nostrum versatus? Quid est, quod aut Sex. Pompeius aut duo Balbi aut meus amicus, qui cum Panaetio vixit, M. Vigellius de virtute, homines Stoici, possint dicere, qua in disputatione ego his debeam aut vestrum quisquam concedere? 79. Non est enim philosophia similis artium reliquarum. Nam quid faciet in geometria, qui non didicerit? quid in musicis? Aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem iudicetur. Haec vero, quae sunt in philosophia, ingeniis eruuntur ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum acutis atque acribus, eaque exercitata oratione poliuntur. Hic noster vulgaris orator, si minus erit doctus, attamen in dicendo exercitatus, hac ipsa exercitatione communi istos quidem verberabit neque se ab iis contemni ac

---

disse ait cum disputantem cum C. Velleio senatore, ad quem tum Epicurei primas ex Romanis deferrent; adfuisse etiam Q. Lucilium Balbum, qui tantos progressus haberet in Stoicis, ut cum excellentibus in eo genere Græcis compararetur. — Alter Balbus putatur esse L. Lucilius Balbus, Ser. Sulpicii ICti magister, qui commemoratur a Cic. in Brut. 42, 154. — De *Sex. Pompeio* vide ad I. 15, 67. — De *M. Vigellio* non constat.

de virtute, homines Stoici] Sic Ascens., Man., Pearc., Mueller, Olsh., Or. — *de virtute hominum Stoici* vulgo codd. et edd. — *de virt. hominum Stoice* ex Heusingeri coni. ediderunt Sch. et Harl.

§. 79. *eaque exercitata oratione*] Sic codd. omnes et vulg. edd. "*Exercitatam orationem* explicare licet: orationem hominis bene exercitati." Orell. — *eaque excogitata, oratione* e coni. ed. Sch., quem secuti sunt Harl. et Mueller.

Hic noster] Sic Havn. B, Caut., Harl. 2, α, δ, ε, Erl., Ven., Waldarf., Lamb., Ern., Sch., Harl., Olsh., Or. — *Hic hic noster* multi codd. (etiam Havn. A), pleræque edd. antiquiss. et vulgo post Ald. — *Hinc hic noster* coni. Pearc. prob. Orell. — *Hinc noster* edidit Muellerus.

istos quidem verberabit] Vulgo: *istos quidem nostros*

despici sinet. 80. Sin aliquis exstiterit aliquando, qui Aristotelio more de omnibus rebus in utramque partem possit dicere et in omni causa duas contrarias orationes, praeceptis illius cognitis, explicare, aut hoc Arcesilae modo et Carneadi contra omne, quod propositum sit, disserat, quique ad eam rationem adiungat hunc [rhetoricum] usum † moremque exercitationemque dicendi: is sit verus, is perfectus, is solus orator. Nam neque sine forensibus nervis satis vehemens et gravis, nec sine varietate doctrinae satis politus et sapiens esse orator potest. 81. Quare Coracem istum vestrum patiamur nos quidem pullos

---

verberabit; sed manifestum glossema *nostros (hic noster* (orator) — *istos nostros* (philosophos) *verberabit)* eiecerunt Sch., Harl., Mueller, Olsh.; uncis incluserunt Ern. et Or. — *istos quidem vestros verb.* duo codd. Regii. Vide Or.

§. 80. *in utramque partem possit*] Sic Lambin. et Or. — *in utramque partem sententiam p.* duo Lambini codd., Pal. tert. et non., Mead., Harl. 2, β, ψ, Erl., edd. antiquiss., Pearc. — *in utramque sententiam possit* Havn. uterq., al., et vulgo edd. inde ab Aldo. — *Carneadi* Vide ad II. 38. 161.

hunc rhetoricum usum moremque exercitationemque] Sic codd. et vulgo edd.; sed hæc corrupta esse patet. Nam primum *disciplina* erat rhetorum, non *usus*, qui in foro comparabatur; deinde *mos dicendi* nunquam est i. q. exercitatio dicendi, neque tamen quidquam aliud h. l. significare potest, idque ipsum statim adiungitur; nullo enim iure Orell. voc. *exercitationemque* uncis inclusit. Recte autem Sch. *rhetoricum* eiecit, idemque et Harl., Lambinum secuti, expunxerunt *moremque.* Magnopere placet emendatio Madvigii, qui sic leg. esse putat: *hunc usum forensem exercitationemque* v. *hunc usum forensemque exercitationem dic.*, idemque recte observat, ut h. l. *rhetoricum* vocabuli *hunc*, sic §. 81 *oratorum* manifestum esse glossema voc. contemptum significantis *istorum; istos* enim esse Coracem et Pamphilum, h. e. homines scholasticos et umbratiles, doctores, rhetores, quos Crassus *oratores* neque existimet neque unquam dicat.

§. 81. *Coracem istum vestrum*] *Vestrum* h. e. heri a vobis commemoratum; vide I. 20. 91 et quæ ibi adnotata sunt. — *Pullos suos excludere* Crassus alludit ad propriam significationem coracis (κόρακος), i. e. corvi. Similis lusus inest in dicto illo, quod a iudicibus iactatum fuisse dicitur in Coracem præceptorem et Tisiam discipulum de mercede dilemmate altercantes; κακοῦ κόρακος κακὰ ᾠά; Sext. Empir.

suos excludere in nido, qui evolent clamatores odiosi ac molesti, Pamphilumque nescio quem sinamus in infulis tantam rem tamquam pueriles delicias aliquas depingere; nosque ipsi hac tam exigua disputatione hesterni et hodierni diei totum oratoris munus explicemus; dummodo illa res tanta sit, ut omnibus philosophorum libris, quos nemo [oratorum] istorum unquam attigit, comprehensa esse videatur.

XXII. 82. Tum Catulus, Haudquaquam hercle, inquit, Crasse, mirandum est, esse in te tantam dicendi vel vim vel suavitatem vel copiam; quem quidem antea natura rebar ita dicere, ut mihi non solum orator summus, sed etiam sapientissimus homo viderere; nunc intelligo illa te semper etiam potiora duxisse, quae ad sapientiam spectarent, atque ex his hanc dicendi copiam fluxisse. Sed tamen, quum omnes gradus aetatis recordor tuae quumque vitam tuam ac studia considero, neque, quo tempore ista didiceris, video, nec magno opere te istis studiis, hominibus, libris intelligo deditum. Neque tamen possum statuere, utrum magis mirer, te illa, quae mihi

---

advers. Rhetor. p. 307 Fabr., Prolegg. in Hermog. ap. Spengel. artium scriptt. p. 27.

Pamphilumque — sinamus in infulis — depingere] Pamphili cuiusdam τέχνην commemorat Aristot. Rhet. II. 23. 21. Huius Pamphili mentionem facere Quintil. III. 6. 34 putat Spaldingius ad h. l.; Spengel (p. 149) qua re motus multo inferiorem Aristotelis Pamphilo esse contendat, nescio. Pictorem eundem et rhetorem a Cicerone fuisse existimatum, ex h. l. patet. Pictorem autem Pamphilum Macedonem, Amphipoli natum, Apellis præceptorem, qui *primus in pictura omnibus litteris eruditus* fuerit, commemorat Plin. H. N. XXXV. 36. 8.; cfr. Quintil. XII. 10. 6, Aristoph. Plut. 385 ibiq. Schol., Suidas v. *Ἀπελλῆς*, Sillig catalog. artif. p. 312 sqq.; sed utrum hic pictor h. l. significetur, an alius, incertum est, neque magis constat, quid per infulas, quæ proprie sunt sacerdotum, supplicum, hostiarum velamenta, intelligendum sit; cfr. Spalding ad Quintil. l. c. VV. DD. de his infulis commenta congessit Muellerus.

persuades maxima esse adiumenta, potuisse in tuis tantis occupationibus perdiscere, an, si non potueris, posse isto modo dicere.

83. Hic Crassus, Hoc tibi, inquit, Catule, primum persuadeas velim, me non multo secus facere, quum de oratore disputem, ac facerem, si esset mihi de histrione dicendum. Negarem enim, posse eum satisfacere in gestu, nisi palaestram, nisi saltare didicisset; neque, ea quum dicerem, me esse histrionem necesse esset, sed fortasse non stultum alieni artificii existimatorem. 84. Similiter nunc de oratore vestro impulsu loquor, summo scilicet. Semper enim, quacunque de arte aut facultate quaeritur, de absoluta et perfecta quaeri solet. Quare si iam me vultis esse oratorem, si etiam sat bonum, si bonum denique, non repugnabo. Quid enim nunc sim ineptus? ita me existimari scio. Quod si ita est, summus tamen certe non sum. Neque enim apud homines res est ulla difficilior neque maior neque quae plura adiumenta doctrinae desideret. 85. Attamen quoniam de oratore nobis disputandum est, de summo oratore dicam necesse est. Vis enim et natura rei, nisi perfecta ante oculos ponitur, qualis et quanta sit, intelligi non potest. Me autem, Catule, fateor neque hodie in istis libris et cum istis hominibus vivere, nec vero, id quod tu recte commeministi, ullum unquam habuisse sepositum tempus ad discendum, ac tantum tribuisse doctrinae temporis, quantum mihi puerilis aetas, forenses feriae concesserint.

XXIII. 86. Ac si quaeris, Catule, de doctrina

Cap. XXIII. §. 86. *Ac si quaeris*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, ed. s. l. et a., Ven., Sch., Olsh., Or. — Vulgo: *at si quaeris.*

ista quid ego sentiam, non tantum ingenioso homini et ei, qui forum, qui curiam, qui causas, qui rem publicam spectet, opus esse arbitror temporis, quantum sibi ii sumpserunt, quos discentes vita defecit. Omnes enim artes aliter ab iis tractantur, qui eas ad usum transferunt, aliter ab iis, qui ipsarum artium tractatu delectati nihil in vita sunt aliud acturi. Magister hic Samnitium summa iam senectute est et quotidie commentatur; nihil enim curat aliud. At Q. Velocius puer addidicerat; sed quod erat aptus ad illud totumque cognorat, fuit, ut est apud Lucilium,

— — — quamvis bonus ipse
Samnis in ludo ac rudibus cuivis satis asper;

sed plus operae foro tribuebat, amicis, rei familiari. Valerius quotidie cantabat; erat enim scenicus. Quid faceret aliud? 87. At Numerius Furius, noster familiaris, quum est commodum, cantat. Est enim paterfamilias, est eques Romanus; puer didicit, quod

---

Magister hic Samnitium] *Magister* ut ap. Valer. Max. II. 3. 2 *doctor gladiatorum* de lanista dicitur. — *Summa iam senect.* codd. et vulgo edd. — *et summa iam senect.* ex Waldarf. ed. edidit Ern., quem secuti sunt Harl., Mueller, Olsh. Cfr. Ellendt ad Brut. 29. 110. — *Commentari* h. l. dici videtur lanista, qui in arte docenda et excolenda versatur. Artis gladiatoriæ subtiliorem rationem legibus s. præceptis (quæ *dictata* dicebantur) a lanistis traditam fuisse, intelligitur e Valer. Max. l. c., Sueton. Iul. 26, Iuvenal. Sat. V. 122 coll. c. XI. 8. Cfr. Lipsii Saturn. serm. I. 15 et intt. ad Sueton. l. c. — De *Samnitibus* vide ad II. 80. 325.

At Q. Velocius] Sic e coniect. Victorii et Turnebi vulgo editur post Lambinum; *atque velocius* plerique codd., Ald., Iunt., Crat., Camer., Man. — *atque Volocius* β. — *atque ea quæ velocius* edd. antiquiss. — *at Q. Venonius* liber Ursini. Quid mirum de homine non constare, cuius ne nomen quidem certum? — De *Lucilio* vide ad I 16. 72.

quamvis bonus ipse Samnis in ludo] H. e. quamvis artis gladiatoriæ peritissimus. Cfr. Ern. ad h. l. — De *rudibus* vide ad II. 78. 316. — De *Valerio* et *Numerio Furio* nihil traditum est.

discendum fuit. Eadem ratio est harum artium maximarum. Dies et noctes virum summa virtute et prudentia videbamus, philosopho quum operam daret, Q. Tuberonem. At eius avunculum vix intelligeres id agere, quum ageret tamen, Africanum. Ista discuntur facile, si et tantum sumas, quantum opus sit, et habeas, qui docere fideliter possit, et scias etiam ipse discere. 88. Sed si tota vita nihil velis aliud agere, ipsa tractatio et quaestio quotidie ex se gignit aliquid, quod cum desidiosa delectatione vestiges. Ita fit, ut agitatio rerum sit infinita, cognitio facilis, si usus doctrinam confirmet, mediocris opera tribuatur, memoria studiumque permaneat. Libet autem semper discere, ut si velim ego talis optime ludere aut pilae studio tenear, etiam fortasse, si assequi non possim. At alii, quia praeclare faciunt, vehementius, quam causa postulat, delectantur, ut Titius pila, Brulla talis. 89. Quare nihil est, quod quisquam magnitudinem artium ex eo, quod senes discunt, pertimescat. Namque aut senes ad eas accesserunt, aut usque ad senectutem in studiis detinentur, aut sunt tardissimi. Res quidem se mea sententia sic habet, ut, nisi quod quisque cito potuerit, nunquam omnino possit perdiscere.

---

§. 87. *Q. Tuberonem*] Vide ad II. 84. 341. Philosophus, cui operam dabat, est Panætius Stoicus, cuius epistolam ad Tuberonem commemorat Cic. IV Tusc. 2. 4; cfr. IV Fin. 9. 23, Maium ad I. de rep. 10. — De *Africano* philosophiæ studioso cfr. ad II. 37. 154.

§. 88. *gignit aliquid*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *gignat aliquid* e coni. Ern., quem secuti sunt Sch., Harl. et Mueller.

ut agitatio rerum — cognitio fac., si usus] Sic e coni. Muellerus, quem secutus est Or. — Vulgo codd. et edd.: *ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis usus doctrinam confirmet, mediocris etc.* — Sch. et Harl. ediderunt: *ut agitatione rerum sit infinita cognitio, facilis, si usus etc.*

Titius pila, Brulla talis] De *Titio* cfr. II. 62. 253 et quæ ad II. 11. 48 attulimus. — *Brulla* quis sit, ignoratur.

XXIV. 90. Iam, iam, inquit Catulus, intelligo, Crasse, quid dicas, et hercule assentior. Satis video tibi, homini ad perdiscendum acerrimo, ad ea cognoscenda, quae dicis, fuisse temporis. Pergisne, inquit Crassus, me, quae dicam, de me, non de re putare dicere? Sed iam, si placet, ad instituta redeamus. Mihi vero, Catulus inquit, placet.

91. Tum Crassus, Quorsum igitur haec spectat, inquit, tam longa et tam alte repetita oratio? Hae duae partes, quae mihi supersunt, illustrandae orationis ac totius eloquentiae cumulandae, quarum altera dici postulat ornate, altera apte, hanc habent vim, ut sit quam maxime iucunda, quam maxime in sensus eorum, qui audiunt, influat et quam plurimis sit rebus instructa. 92. Instrumentum autem hoc forense, litigiosum, acre, tractum ex vulgi opinionibus, exiguum sane atque mendicum est. Illud rursus ipsum, quod tradunt isti, qui profitentur se dicendi magistros, non multum est maius quam illud vulgare ac forense. Apparatu nobis opus est et rebus exquisitis, undique collectis, arcessitis, comportatis, ut tibi, Caesar, faciendum est ad annum; ut ego in aedi-

---

Cap. XXIV. §. 91. *dici postulat ornate*] *Ornate dici postulat* edd. antiquiss., Sch., Harl., Mueller. — *dici ornate postulat* Erl.

§. 92. *undique collectis*] Sic Havn. B, ε, ψ, Erl., edd. antiquiss., Sch. (e coni.), Harl., Mueller, Or. — Vulgo: *undique et collectis*.

tibi, Cæsar, faciendum est ad annum] Cfr. Cic. Attic. V. 2: *Confirmavi ad eam causam etiam Furnium nostrum, quem ad annum tribunum plebis videbam fore.* — Cæsar anno U. 664 (90) ædilis curulis fuit; vide ad II. 3, 12. Ædiles erant curatores ludorum et spectaculorum atque his magnifice apparandis ad maiores honores a populo obtinendos viam sibi muniebant. Cfr. Cic. II. Off. 16, 57: *Quamquam intelligo, in nostra civitate inveterasse iam bonis temporibus, ut splendor ædilitatum ab optimis viris postuletur. Itaque et P. Crassus, quum cognomine dives tum copiis, functus est ædilicio maximo munere, et paullo post L. Crassus*

litate laboravi, quod quotidianis et vernaculis rebus satisfacere me posse huic populo non putabam. 93. Verborum eligendorum et collocandorum et concludendorum facilis est vel ratio vel sine ratione ipsa exercitatio. Rerum est silva magna, quam quum Graeci iam non tenerent, ob eamque causam iuventus nostra dedisceret paene discendo, etiam Latini, si diis placet, hoc biennio magistri dicendi exstiterunt; quos ego censor edicto meo sustuleram, non quo (ut nescio quos dicere aiebant) acui ingenia adolescentium nollem, sed contra ingenia obtundi nolui, corroborari impudentiam. 94. Nam apud Graecos, cuicuimodi essent, videbam tamen esse, praeter hanc exer-

---

cum omnium hominum moderatissimo, Q. Mucio, magnificentissima ædilitate functus est etc. Cfr. ibid. Beierum.

§. 93. *si diis placet*] "Est formula indignantium et contemnentium, in qua est ironia. Nam semper de re mala, quæ diis placere non potest, dicitur." Ruhnk. ad Terent. Eun. V. 3. 10. Cfr. Manut. ad Cic. or. p. Rosc. Amer. 36. 102.

Latini — magistri dicendi exstiterunt] Quintilianus II. 4. 42 hunc locum respiciens Latinorum dicendi præceptorum tum florentium insignem maxime Plotium (de quo vide Sueton. de clar. Rhet. c. 2) fuisse dicit. Cfr. Scriptorem dialogi de oratt. 35. — L. Crassi et Cn. Domitii Ahenobarbi censorum (vide ad II. 11. 45) edictum de coercendis rhetoribus Latinis exstat ap. Sueton. de claris rhetor. init. et Gell. N. A. XV. 11 his verbis: *Renuntiatum est nobis, esse homines, qui novum genus disciplinæ instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos Rhetoras; ibi homines adulescentulos totos dies desidere. Maiores nostri, quæ liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. Hæc nova, quæ præter consuetudinem ac morem maiorum fiunt, neque placent neque recta videntur. Quapropter et iis, qui eos ludos habent, et iis, qui eo venire consuerunt, visum est faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam, nobis non placere.* Cfr. Ellendt prolegg. p. XIV sq.

§. 94. *cuicuimodi essent*] Sic Man., Lamb., Pearc., Sch., Mueller, Olsh., Or. — Vid. Gronov. ad Gell. N. A. II. 8; cfr. Goerenz ad II. Legg. 5. 13; Kuehner ad III. Tusc. 34. 83. — *qui eiusmodi essent* Havn. B, γ, edd. antiquiss., Ern., Harl. — *qui cuiusmodi essent* Havn. A, Guelf. C, ψ, al. et vulgo post Ald. — *qui quum huiusmodi essent* Guelf. B. —

citationem linguae, doctrinam aliquam et humanitatem dignam scientia; hos vero novos magistros nihil intelligebam posse docere, nisi ut auderent; quod etiam cum bonis rebus coniunctum per se ipsum est magno opere fugiendum. Hoc quum unum traderetur, et quum impudentiae ludus esset, putavi esse censoris, ne longius id serperet, providere. 95. Quamquam non haec ita statuo atque decerno, ut desperem, Latine ea, de quibus disputavimus, tradi ac perpoliri; patitur enim et lingua nostra et natura rerum, veterem illam excellentemque prudentiam Graecorum ad nostrum usum moremque transferri; sed hominibus opus est eruditis, qui adhuc, in hoc quidem genere, nostri nulli fuerunt; sin quando exstiterint, etiam Graecis erunt anteponendi.

XXV. 96. Ornatur igitur oratio genere primum et quasi colore quodam et succo suo. Nam ut gravis, ut suavis, ut erudita sit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut sensus, ut dolores habeat, quantum opus sit, non est singulorum articulorum; in toto spectantur haec corpore. Ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus, id non debet esse fusum aequabiliter per omnem orationem, sed ita distinctum, ut sint quasi in ornatu disposita quaedam insignia et lumina. 97. Genus igitur dicendi est eli-

---

cuiusmodi essent solus Sch. in ed. mai. (ne quis cum Orellio hanc vulg. lectionem putet), et sic iam coniecit Gulielmius.

Cap. XXV. §. 96. *quasi in ornatu disposita etc.*] Interpretes comparant Cic. Brut. 79. 275: *Erant autem et verborum et sententiarum illa lumina, quæ vocant Græci σχήματα, quibus tamquam insignibus in ornatu distinguebatur omnis oratio*; et Orat. 39. 134 sq.: *Et reliqua ex collocatione verborum quæ sumuntur quasi lumina, magnum afferunt ornatum orationi. Sunt enim similia illis, quæ in amplo ornatu scenæ aut fori appellantur insignia, non quod sola ornent, sed quod excellant. Eadem ratio est horum, quæ sunt orationis lumina et quodammodo insignia etc.*

gendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, et quod non solum delectet, sed etiam sine satietate delectet; — non enim a me iam exspectari puto, ut moneam, ut caveatis, ne exilis, ne inculta sit vestra oratio, ne vulgaris, ne obsoleta; aliud quiddam maius et ingenia me hortantur vestra et aetates; — 98. difficile enim dictu est, quaenam causa sit, cur ea, quae maxime sensus nostros impellunt voluptate et specie prima acerrime commovent, ab iis celerrime fastidio quodam et satietate abalienemur. Quanto colorum pulchritudine et varietate floridiora sunt in picturis novis pleraque quam in veteribus? quae tamen, etiamsi primo adspectu nos ceperunt, diutius non delectant; quum iidem nos in antiquis tabulis illo ipso horrido obsoletoque teneamur. Quanto molliores sunt et delicatiores in cantu flexiones et falsae voculae quam certae et severae? quibus tamen non modo austeri, sed, si saepius fiunt, multitudo ipsa reclamat. 99. Licet hoc videre in reliquis sensibus; unguentis minus diu nos delectari summa et acerrima suavitate conditis quam his moderatis; et magis laudari, quod ceram, quam quod crocum olere videatur; in ipso tactu esse modum et mollitudinis

---

§. 98. *cur ea, quæ*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *ea* om. Wetzel et Harl. — *cur etiam quæ* e conj. Muellerus.

flexiones et falsæ voculæ] Cfr. Cic. II. Legg. 15. 39: *Illa quidem, quæ solebant quondam compleri severitate iucunda Livianis et Nævianis modis, nunc ut eadem exsultant! cervices oculosque pariter cum modorum flexionibus torquent!* — *Flexiones* (καμπαί Pherecrates ap. Plutarch. de Mus. 30), interprete Ernestio, sunt modi fracti et varie crispati voce, quibus mollis et suavis cantus efficitur (Manerer, Triller). — *Falsæ voculæ* (Falset - v. Fistel - Toner?) "toni tam minuti, ut, crebro percursante διὰ πασῶν voce, pæne fallant audientem." Strebæus.

§. 99. *quod ceram, quam quod crocum olere videatur*] Plin. H. N. XVII. 3: *Certe Cicero, lux doctrinarum altera, meliora, inquit, unguenta sunt, quæ terram, quam quæ crocum sapiunt. Hoc enim maluit dixisse, quam redolent.* Cfr. eund. XIII. 4. *Quod terram* h. l. exhibent nonnulli Lamb.

et laevitatis. Quin etiam gustatus, qui est sensus ex omnibus maxime voluptarius quique dulcitudine praeter ceteros sensus commovetur, quam cito id, quod valde dulce est, aspernatur ac respuit? Quis potione uti aut cibo dulci diutius potest? quum utroque in genere ea, quae leviter sensum voluptate moveant, facillime fugiant satietatem. 100. Sic omnibus in rebus voluptatibus maximis fastidium finitimum est; quo hoc minus in oratione miremur, in qua vel ex poëtis [vel ex oratoribus] possumus iudicare, concinnam, distinctam, ornatam, festivam, sine intermissione, sine reprehensione, sine varietate, quamvis claris sit coloribus picta [vel poësis vel oratio], non posse in delectatione esse diuturna. Atque eo citius in oratoris aut in poëtae cincinnis ac fuco offenditur, quod sensus in nimia voluptate natura, non mente

---

codd., Cant., δ, Med. 2, Lott., Melanchthon, Victor., Camer., Man. — *quæ terram, quam quæ crocum olere videantur* edidit Lamb., qui in adnot. ad h. l. etiam *sapere* pro *olere* Ciceroni restituendum esse censet, adsentiente Spaldingio ad Quintil. VI. 3, 107. Recentiores recte vulgatam plurimorum codd. lectionem *ceram* retinuerunt, quum, hunc an alium quendam Ciceronis locum respexerit Plinius, et, si hunc locum, de scripto an memoriter retulerit, dubium sit.

fugiant satietatem] Sic omnes codd. et vulgo edd. Cfr. Goerenz ad I. Fin. 10. 36. — *effugiant sat.* e coni. Ern., quem secuti sunt Sch., Harl., Olsh.

§. 100. *vel ex oratoribus*] Sic Havn. uterq., edd. antiquiss., Ald., Sch. in ed. mai., Olsh. Cfr. ad I. 9. 36. Vulgo om. *ex*. Neque tamen sine causa verba *vel ex oratoribus* et infra *vel poësis vel oratio* suspecta sunt Schuetzio, cuius hæc sunt verba: "Cicero sic argumentatur: Si ne poetæ quidem, a quibus omnia ad voluptatem referuntur, fastidium effugiunt, si sine varietate et intermissione dulces esse velint, multo minus ista perpetua festivitas et concinnitas in oratoribus feretur." Accedit, quod coniunctio illa *poëseos* et *orationis* non solum adversus sententiam esse videtur, ut observavit Sch., sed etiam adversus loquendi usum est; neque Latine dicitur *poësis* concinna, ornata, festiva etc., sed *poëma*. — In voc. *reprehensione*, si sanum est (Lamb. legit *respiratione*), non vituperationis, sed moræ s. intermissionis notio inest. Cfr. Ern. in clav. et Scheller Lex. h. v.

satiantur, in scriptis et in dictis non aurium solum, sed animi iudicio etiam magis infucata vitia noscuntur.

XXVI. 101. Quare *bene* et *praeclare* quamvis nobis saepe dicatur; *belle* et *festive* nimium saepe nolo. Quamquam illa ipsa exclamatio, *Non potest melius*, sit velim crebra; sed habeat tamen illa in dicendo admiratio ac summa laus umbram aliquam et recessum, quo magis id, quod erit illuminatum, exstare atque eminere videatur. 102. Nunquam agit hunc versum Roscius eo gestu, quo potest:

Nam sapiens virtuti honorem praemium, haud praedam petit;

sed abiicit prorsus, ut in proximos:

Ecquid video? ferro saeptus possidet sedes sacras,

incidat, adspiciat, admiretur, stupescat. Quid? ille alter:

Quid petam praesidi?

quam leniter? quam remisse? quam non actuose? instat enim

O pater, o patria, o Priami domus!

Cap. XXVI. §. 102. *Ecquid video*] Sic Ald., Iunt., Crat., Lamb., Grut., Ern., Sch., Harl., Olsh., Or. — *Et quid video* codd., edd. antiquiss., Muellerus. Bothius vero Tragic. Latin. fragm. p. 286 *et* ex *ei* ortum esse putans scribit: *Hei quid video?* — *In proximo: sed quid* Man. probb. Grut. et Pearcio. Ex quanam tragoedia hi versus desumpti sint, non constat. — *Agere versum* est cum motu gestuque aliquo pronuntiare; cfr. Hermanni opusc. I. p. 300, cuius verba, celato auctore, exscripsit Muellerus.

Quid? ille alter] Int. *histrio;* fortasse significatur Æsopus. — *Quid petam præsidi* recte exhibent Cant., Pearc., Sch., Mueller, Olsh., Or. — Vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. *præsidii.* Versus integer, qui recurrit infra 47. 183 et III. Tusc. 19. 44, est creticus tetrametrus; cfr. Bentl. ad l. l. Tusc. — *O pater etc.* Hic versus etiam infra 58. 217 et Tusc. l. c. exstat. Uterque ex Ennii Andromacha desumptus est. Pater Andromachæ fuit Eetion, Thebarum Hypoplaciarum, Ciliciæ oppidi, rex. Homer. Il. α. 366, ζ. 395 sqq.

in quo tanta commoveri actio non posset, si esset consumpta superiore motu et exhausta. Neque id actores prius viderunt quam ipsi poëtae, quam denique illi etiam, qui fecerunt modos, a quibus utrisque summittitur aliquid, deinde augetur, extenuatur, inflatur, variatur, distinguitur. 103. Ita sit nobis igitur ornatus et suavis orator (nec tamen potest aliter esse), ut suavitatem habeat austeram et solidam, non dulcem atque decoctam. Nam ipsa ad ornandum praecepta quae dantur, eiusmodi sunt, ut ea quamvis vitiosissimus orator explicare possit. Quare, ut ante dixi, primum silva rerum [ac sententiarum] comparanda est, qua de parte dixit Antonius. Haec formanda filo ipso et genere orationis, illuminanda verbis, varianda sententiis.

104. Summa autem laus eloquentiae est amplificare rem ornando, quod valet non solum ad augendum aliquid et tollendum altius dicendo, sed etiam ad extenuandum atque abiiciendum.

XXVII. Id desideratur omnibus iis in locis,

---

qui fecerunt modos] H. e. qui leges musicas præscripserunt, quas tibicen in cantando, actor in agendo observaret, ut ait Ruhnk. Dict. in Terent. Andr. init. Cfr. Donat. in lib. de tragoedia et comoed.: *Diverbia histriones pronuntiabant; cantica vero temperabantur modis non a poeta, sed a perito artis musicae factis.* Eorum, qui *modos fecerunt* a. *modulati sunt* fabulas (ἐμελοποίησαν), nomina simul cum actorum nominibus Terentii comoediis præscripta inveniuntur. Cfr. Hermanni opusc. I. p. 294 sq.

§. 103. *ut ante dixi*] Cfr. c. 24 sq., ubi primum commemoratur *rerum silva magna*, deinde de his rebus oratione formandis et ornandis agitur c. 25: *Ornatur — oratio genere primum et quasi colore quodam et succo suo. — Ut porro conspersa sit quasi verborum sententiarumque floribus etc.* H. l. vulgo legitur: *silva rerum ac sententiarum*; sed voce. *ac sententiarum*, quæ glossatori deberi videntur (sequitur enim *varianda sententiis*), delerunt Sch., Harl., Mueller, Olsh., uncis inclusit Or., quem secutus sum.

quos ad fidem orationis faciendam adhiberi dixit Antonius, vel quum explanamus aliquid, vel quum conciliamus animos, vel quum concitamus. 105. Sed in hoc, quod postremum dixi, amplificatio potest plurimum, eaque una laus oratoris est et propria maxime. Etiam maior est illa exercitatio, quam extremo sermone instruxit Antonius (primo reiiciebat), laudandi et vituperandi. Nihil est enim ad exaggerandam et amplificandam orationem accommodatius, quam utrumque horum cumulatissime facere posse. 106. Consequentur etiam illi loci, qui, quamquam proprii causarum et inhaerentes in earum nervis esse debent, tamen, quia de universa re tractari solent, *communes* a veteribus nominati sunt; quorum partim habent vitiorum et peccatorum acrem quandam cum amplificatione incusationem aut querelam, contra quam dici nihil solet nec potest, ut in depeculatorem, in proditorem, in parricidam; quibus uti, confirmatis criminibus, oportet; aliter enim ieiuni sunt atque inanes; 107. alii autem habent deprecationem aut miserationem; alii vero ancipites disputationes, in quibus de universo genere in utramque partem disseri copiose licet. Quae exercitatio nunc propria duarum philosophiarum, de quibus ante dixi, puta-

Cap. XXVII. §. 104. *ad fidem orationis*] *Ad fidem orationi* non Pearcii, ut putat Or., sed aliorum est coni. a Pearcio improbata, a Schuetzio recte, ut mihi quidem videtur, commendata; certe qui locus similis putatur II. Acad. 7. 19: *Dum aspectus ipse fidem faciat sui iudicii*, eius loci alia est ratio. — *ad fidem oratione* cod. Reg. 7703 et Lamb.

§. 105. *oratoris est et propria*] Sic omnes fere codd. et vulgo inde ab antiquiss. edd. usque ad Ern.; restituit Or. — *oratoris et propria* Cant., unde Pearc. coni. *oratoris est propria*. Hanc coni. receperunt Ern., Sch., Harl., Mueller, Olsh.

extremo sermone instruxit] Vide II. 84. 341. — *Primo reiiciebat* v. II. 11 init. — *Laudandi et vituperandi* De hoc genitivo vide ad II. 27. 118.

§. 107. *de quibus ante dixi*] Cfr. I. 62. 263, III. 18. 67.

tur; apud antiquos erat eorum, a quibus omnis de rebus forensibus dicendi ratio et copia petebatur. De virtute enim, de officio, de aequo et bono, de dignitate, utilitate, honore, ignominia, praemio, poena, similibusque de rebus in utramque partem dicendi, animos et vim et artem habere debemus. 108. Sed quoniam de nostra possessione depulsi in parvo et eo litigioso praediolo relicti sumus et aliorum patroni nostra tenere tuerique non potuimus, ab iis, quod indignissimum est, qui in nostrum patrimonium irruperunt, quod opus est nobis mutuemur.

XXVIII. 109. Dicunt igitur [illi], nunc quidem qui ex particula parva urbis ac loci nomen habent et Peripatetici philosophi aut Academici nominantur, olim autem, propter eximiam rerum maximarum scientiam a Graecis politici philosophi appellati, universarum rerum publicarum nomine vocabantur, omnem civilem orationem in horum alterutro genere versari, aut definitae controversiae certis temporibus ac reis, hoc modo: *Placeatne a Carthaginiensibus captivos*

---

dicendi, animos] "Sic distinxi cum Iunt., Crat., Camer., ut iungatur: *animos*, i. e. naturalem quendam impetum et fiduciam (Muth, coraggio), *habere debemus:* qua tamen in ratione dubius hæreo, an non *et vim* sit e gloss. formulæ rarioris *animos* hoc sensu accipiendæ. — *dicendi, omnino et vim* Man., Mueller, emendatione speciosiore quam veriore. — *dicendo ducendi animos, et vim* Walchii coni. Emendatt. Liv. p. 175. — *dicendo alliciendi animos et vim* Purgoldi coni. recepta a Sch. in ed. mai. [et Harl.]. In minore idem del. censet *animos*." Orell.

Cap. XXVIII. §. 109. *Dicunt igitur illi, nunc quidem qui*] Hunc ordinem exhibuit Orell., quem secutus sum, licet voc. *illi* eiiciendum putem. — *dicunt igitur illi, qui nunc quidem* Sch., Harl., Olsh., Mueller. — Vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss.: *Dicunt igitur nunc quidem illi qui.* — *Ex particula parva urbis ac loci* Cfr. ad c. 17 init.

definitæ controversiæ] Sic ex excerpt. δ leg. censuit Pearc. in ed. sec., et sic ediderunt recentt. post Ern., præter Olsh., qui vulg. *definita controversia* retinuit. — Infra *quæstio — proposita* est Gr. θέσις.

nostros, redditis suis, recuperari? aut infinite de universo genere quaerentis: *Quid omnino de captivo statuendum ac sentiendum sit?* Atque horum superius illud genus causam aut controversiam appellant, eamque tribus, lite aut deliberatione aut laudatione, definiunt; haec autem altera quaestio infinita et quasi proposita consultatio nominatur. Atque hactenus loquuntur [illi; **110.** quamquam rhetores] etiam hac in instituendo divisione utuntur, sed ita, non ut iure aut iudicio, vi denique recuperare amissam possessionem, sed ut ex iure civili surculo defringendo usurpare videantur. Nam illud alterum

---

§. 110. *illi; quamquam rhetores*] Hæc verba, quæ ab Hotomanno coniectura suppleta sunt, receperunt recentt. post Sch. — Vulgo: *loquuntur. Etiam.* — *loquantur. Etiam* Vet. Steph., *a*, *ψ*, marg. *δ*, edd. antiquiss., Ald., Iunt.

in instituendo] *In*, quod om. codd. et vulgo edd., addidit Ern. e coni., eumque secuti sunt recentt.

aut iudicio, vi denique] Sic Madvigio auctore edidi. — *aut iudicio, ut vi denique* Orellius; sed tum esse debebat: *non ut iure, non ut iudicio, non ut vi denique.* Idem minus recte *ut vi denique* Iunt., Man., Grut., Ern. exhibere dicit; nam hi cum plerisque codd. et antiquiss. edd. *aut iud.*, *ut denique*, om. *vi*, quod in nullo cod. exstat. — *aut iud.*, *aut denique* Havn. B, nonnulli Lamb. codd., unde *aut vi denique* edidit Lamb., quem secuti sunt Sch., Mueller, Olsh.

surculo defringendo usurpare] Opponuntur inter se verba *recuperare* et *usurpare*, h. e. vindicare, vindicias agere; "similitudine ducta ab iis, qui in fundo, cuius possessionem sibi vindicare volebant, surculum defringebant, vindiciarum causa. Ita significat Crassus, istos philosophos [rhetores] sibi istam partem rhetorices [philosophiæ] ut suam vindicare, sed parum ea uti." Ern. in clav. v. *defringere.* — Morem illum partem pro tota re in iudicium afferendi pluribus exponit Gaius IV. 17: *Si qua res talis erat, ut non sine incommodo posset in ius adferri vel adduci, velut si columna aut grex alicuius pecoris esset, pars aliqua inde sumebatur, deinde in eam partem, quasi in totam rem præsentem, fiebat vindicatio. Itaque ex grege vel una ovis aut capra in ius adducebatur, vel etiam pilus inde sumebatur et in ius adferebatur; ex nave vero et columna aliqua pars defringebatur. Similiter — ex fundo gleba sumebatur, et ex ædibus tegula etc.* Cfr. I. 10. 41 et quæ ibi attulimus, Savigny ueber die lis vindiciarum in Zeitschr. für gesch. Rechtswiss. III. 5. p. 421 sqq.

genus, quod est temporibus, locis, reis definitum, obtinent, atque id ipsum lacinia. Nunc enim apud Philonem, quem in Academia maxime vigere audio, etiam harum iam causarum cognitio exercitatioque celebratur. Alterum vero tantummodo in prima arte tradenda nominant et oratoris esse dicunt; sed neque vim neque naturam eius nec partes nec genera proponunt, ut praeteriri omnino fuerit satius quam attentatum deseri. Nunc enim inopia reticere intelliguntur, tum iudicio viderentur.

XXIX. 111. Omnis igitur res eandem habet naturam ambigendi, de qua quaeri et disceptari potest, sive in infinitis consultationibus disceptatur, sive in iis causis, quae in civitate et in forensi disceptatione versantur; neque est ulla, quae non aut ad cognoscendi aut ad agendi vim rationemque referatur. 112. Nam aut ipsa cognitio rei scientiaque perquiritur, ut: *Virtus suamne propter dignitatem an propter fructus aliquos expetatur?* aut agendi consi-

---

apud Philonem] *Philo* Larissæus, qui a nonnullis quartæ academiæ auctor dicitur (cfr. ad III. 18. 67), Clitomachi auditor (II. Acad. 6. 17), cum Atheniensium optimatibus Mithridatico bello domo profugit Romamque venit, ubi Cicero adolescens totum se ei dedit. Cic. Brut. 89. 306; cfr. I. N. D. 3. 6; Plutarch. Cic. 3. Philonem alio tempore rhetorum præcepta tradere, alio philosophorum instituisse dicit Cic. II. Tusc. 3. 9. — *In prima arte* h. e. in principio artis rhetoricæ.

naturam eius nec partes nec genera] Sic codd., nisi quod Guelf. A *naturam eius partis nec genera* exhibet. Schuetzius, quem magnopere offendit illud *alterius generis* — *genera*, in mai. edit. *nec genera* del. esse, vel scribendum: *neque naturam eius generis nec partes* censuit, atque hanc coni. in ed. min. recepit; sed Goerenz ad II. Fin. 11. 33 idem voc. *genus* duplici vi a Cic. sæpe poni ostendit.

Cap. XXIX. §. 111. *naturam ambigendi*] Vide ad II. 58. 237. Minus recte Ellendt ad Brut. 35. 135 hoc exemplum affert eius genitivi, de quo ad II. 27. 118 diximus. — Paullo post *disceptatur* delerunt Sch. et Mueller. — *disceptetur* Vet. Steph., quemadmodum coni. Ern.

lium exquiritur, ut: *Sitne sapienti capessenda res publica?* 113. Cognitionis autem tres modi, coniectura, definitio et, ut ita dicam, consecutio. Nam, quid in re sit, coniectura quaeritur, ut illud: *Sitne in humano genere sapientia?* Quam autem vim quaeque res habeat, definitio explicat; ut si quaeratur, *quid sit sapientia?* Consecutio autem tractatur, quum, quid quamque rem sequatur, anquiritur; ut illud: *Sitne aliquando mentiri boni viri?* 114. Redeunt rursus ad coniecturam eamque in quatuor genera dispertiunt. Nam aut, quid sit, quaeritur, hoc modo: *Naturane sit ius inter homines an opinionibus?* aut quae sit origo cuiusque rei, ut: *quod sit initium legum aut rerum publicarum?* aut causa et ratio: ut si quaeratur, *cur doctissimi homines de maximis rebus dissentiant?* aut de immutatione: ut si disputetur, *num interire virtus in homine, aut num in vitium possit converti?* 115. Definitionis autem sunt disceptationes, aut quum quaeritur, quid in communi mente quasi impressum sit: ut si disseratur, *idne sit ius, quod maximae parti sit utile?* aut quum, quid cuiusque sit proprium, exquiritur: ut, *ornate dicere propriumne sit oratoris, an id etiam aliquis*

---

§. 113. *quid in re sit*] Vulgatam lectionem, quamquam non satis accurate respondet exemplo, quod sequitur, cum Olsh. retinui. — *ecquid in re sit* e coni. edidit Sch., quem secuti sunt Harl., Mueller, Or.; sed ne hoc quidem exemplo respondet, cui præcedere debebat: *sitne aliquid?* Qui, *ecquid in re sit*, interrogat, non, *resne* insit necne, quærit, sed id tantum scire cupit, utrum omnino *aliquid* an *nihil* in re insit.

anquiritur] Sic Havn. uterq., Z, Guelf. B et vulgo post Sch. — *an quæritur* α, β, ψ. — *anqueritur* Erl. — *exquiritur* edd. antiquiss. — *inquiritur* vulgo edd. post Ald.

§. 115. *aut quum quæritur*] Sic Pearc. et recentt. post Ern. — Vulgo codd. et edd. *ut quum quæritur.* In hoc ipso cap. *ut* et *aut* fere semper in MSS. confunduntur. — *aut* om. Havn. B.

praeterea possit? aut quum res distribuitur in partes: ut si quaeratur, *quot sint genera rerum expetendarum, et sintne tria, corporis, animi externarumque rerum?* aut quum, quae forma et quasi naturalis nota cuiusque sit, describitur: ut si quaeratur *avari species, seditiosi, gloriosi.* 116. Consecutionis autem duo prima quaestionum genera ponuntur. Nam aut simplex est disceptatio: ut si disseratur, *expetendane sit gloria?* aut ex comparatione: *laus an divitiae magis expetendae sint?* Simplicium autem sunt tres modi: de expetendis fugiendisve rebus: ut, *expetendine honores sint? num fugienda paupertas?* de aequo aut iniquo: ut *aequumne sit ulcisci iniurias etiam propinquorum?* de honesto aut turpi: ut hoc, *sitne honestum gloriae causa mortem obire?* 117. Comparationis autem duo sunt modi: unus, quum, idemne sit, an aliquid intersit, quaeritur, ut *metuere* et *vereri*, ut *rex* et *tyrannus*, ut *assentator* et *amicus*; alter, quum, quid praestet aliud alii, quaeritur: ut illud, *optimine cuiusque sapientes an populari laude ducantur?* Atque eae quidem disceptationes, quae ad cognitionem referuntur, sic fere a doctissimis hominibus describuntur.

XXX. 118. Quae vero referuntur ad agendum, aut in officii disceptatione versantur, quo in genere,

---

et sintne tria] Sic e coni. edidit Sch. pro vulg. *aut sintne tria*, quum h. l. non novum disceptationum genus proponatur, sed verba *sintne tria* uberius explicent illa *quot sint.* Schuetzium secuti sunt Harl., Mueller et Or. — *ut sintne tria* Mead., Harl. 1, Guelf. A, C, Erl., Med. utraq., Lott., Ald., Iunt., Man., prob. Pearcio.

§. 116. *duo prima — genera*] H. e. duo primaria genera, quæ aut fontes sunt reliquorum aut gravissima. Apte Or. confert Topic. 5. 26: *Definitionis autem duo sunt genera prima*, ubi c. 6 iuit. sequitur: *Sunt et alia genera definitionum.*

ut æquumne sit] Sic e Pearcii coni. recentt. post Ern. præter Olsh., qui *ut* cum codd. et vulg. edd. omisit.

quid rectum faciendumque sit, quaeritur; cui loco omnis virtutum et vitiorum est silva subiecta; aut in animorum aliqua permotione aut gignenda aut sedanda tollendave tractantur. Huic generi subiectae sunt cohortationes, obiurgationes, consolationes, miserationes, omnisque ad omnem animi motum et impulsio et, si ita res feret, mitigatio. 119. Explicatis igitur his generibus ac modis disceptationum omnium, nihil sane ad rem pertinet, si qua in re discrepuit ab Antonii divisione nostra partitio. Eadem sunt membra in utriusque disputatione, sed paullo secus a me atque ab illo partita ac distributa. Nunc ad reliqua progrediar meque ad meum munus pensumque revocabo. Nam ex illis locis, quos exposuit Antonius, omnia sunt ad quaeque genera quaestionum argumenta sumenda; sed aliis generibus alii loci magis erunt apti; de quo, non tam quia longum est, quam quia perspicuum, dici nihil est necesse.

120. Ornatissimae sunt igitur orationes eae, quae latissime vagantur et a privata ac singulari controversia se ad universi generis vim explicandam conferunt et convertunt, ut ii, qui audiunt, natura et genere et universa re cognita, de singulis reis et criminibus et litibus statuere possint. 121. Hanc ad consuetudinem exercitationis vos, adolescentes, est

---

Cap. XXX. §. 119. *discrepuit*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, Regii duo, Non. h. v. (XVII. 99 p. 754 Gothofr.), Sch., Mueller, Or. — Vulgo: *discrepavit*. — Deinde *eadem sunt* Vet. Steph., ψ, Guelf. A, Erl., edd. antiquiss. (de ed. s. l. et a. nihil adnot. est). — Vulgo *eadem enim sunt*; sed tum esse debebat: *eadem sunt enim*. — Statim *in utriusque disputatione* Cant., Harl. 1, Z, γ, ε, marg. δ, Guelf. A, Erl., Steph., Pearc., Sch., Harl., Mueller, Or. — *in utriusque disputationibus* Havn. B, edd. antiquiss., Ern., Olsh. — *in utrisque disputationibus* Havn. A et vulgo inde ab Aldo usque ad Ern. — *Quos exposuit Anton.* Vide II. 27. 116 sqq.

§. 120. *qui audiunt*] Sic Sch., Mueller, Or. — Vulgo: *qui audiant*. Vide supra ad II. 77. 312, III. 14. 54.

cohortatus Antonius atque a minutis angustisque concertationibus ad omnem vim varietatemque [vos] disserendi traducendos putavit. Quare non est paucorum libellorum hoc munus, ut ii, qui scripserunt de dicendi ratione, arbitrati sunt, neque Tusculani atque huius ambulationis antemeridianae aut nostrae pomeridianae sessionis. Non enim solum acuenda nobis neque procudenda lingua est, sed onerandum complendumque pectus maximarum rerum et plurimarum suavitate, copia, varietate.

XXXI. 122. Nostra est enim (si modo nos oratores sumus, si in civium disceptationibus, si in periculis, si in deliberationibus publicis adhibendi auctores et principes sumus), nostra est, inquam, omnis ista prudentiae doctrinaeque possessio, in quam homines, quasi caducam atque vacuam, abundantes otio, nobis occupatis, involaverunt, atque etiam aut irridentes oratorem, ut ille in Gorgia Socrates, cavillantur, aut aliquid de oratoris arte paucis praecipiunt libellis eosque *rhetoricos* inscribunt; quasi non illa

---

§. 121. *est cohortatus Antonius*] Vide imprimis II. 27. 118 et 32. 140. — Deinde *varietatemque vos disserendi* vulgo editur; sed *vos* om. Guelf. B, Mueller; uncis inclusit Or., quem secutus sum. — *variet. diss. vos* Havn. B, Sch. — *var. diss. nos* Guelf. C.

sed onerandum] Sic plerique codd. et vulgo edd. — *sed ornandum* δ atque ex Heusingeri coni. Schuetz.

Cap. XXXI. §. 122. *quasi caducam atque vacuam*] Ulpian. fragm. Tit. XVII. 1: *Quod quis sibi testamento relictum, ita ut iure civili capere possit, aliqua ex causa non ceperit, caducum appellatur, velut cecidit ab eo: verbi gratia, si coelibi vel Latino Iuniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel coelebs legi paruerit, vel Latinus ius Quiritium consecutus sit; aut si ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit vel pereger factus sit.* Cfr. Cic. Philipp. X. 5. 11, Iustin. XIX. 3, Gaius II. 150. — *Vacua* possessio dicitur ea, quae sine domino est, vel cuius traditionem nemo adest qui impediat. Cfr. Beier in Iahnii Annal. I. p. 214 sq. — *In Gorgia Socrates* Cfr. I. 11. 47.

rhetoricos inscribunt] Cfr. I. 13. 55. — Pro *rhetorum* Schuetzius e coni. edidit *oratorum*, sed h. l. vere illae dis-

sint propria rhetorum, quae ab iisdem de iustitia, de officio, de civitatibus instituendis et regendis, de omni vivendi, denique etiam de naturae ratione dicuntur. 123. Quae quoniam iam aliunde non possumus, sumenda sunt nobis ab iis ipsis, a quibus expilati sumus, dummodo illa ad hanc civilem scientiam, quo pertinent et quam intuentur, transferamus, neque, ut ante dixi, omnem teramus in his discendis rebus aetatem; sed quum fontes viderimus, quos nisi qui celeriter cognorit, nunquam cognoscet omnino, tum, quotiescunque opus erit, ex iis tantum, quantum res petet, hauriemus. 124. Nam neque tam est acris acies in naturis hominum et ingeniis, ut res tantas quisquam, nisi monstratas, possit videre, neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo adspexerit. In hoc igitur tanto tam immensoque campo quum liceat oratori vagari libere atque, ubicunque constiterit, consistere in suo, facile suppeditat omnis apparatus ornatusque dicendi. 125. Rerum enim copia verborum copiam gignit, et si est honestas in rebus ipsis, de quibus dicitur, exsistit ex rei natura quidam splendor in verbis. Sit modo is,

---

putationes propriæ rhetorum s. eloquentiæ magistrorum dici possunt. Cfr. Ellendt ad Brut. 11. 42.

§. 123. *iam aliunde*] *Iam* om. Guelf. A, Sch. — *non aliunde* (om. *iam* et *non* sequenti) Havn. B. — Paullo post pro vulg. *intuentur* Schuetzius (quem secuti sunt Harl. et Mueller) e coni. scripsit *intuemur* eam ob causam, quod philosophi in libellis de arte oratoria non intuerentur civilem scientiam. Verum non *philosophi* in libellis, sed *illa*, quæ de iustitia, de civitatibus etc. a philosophis disputantur, *intuentur* h. e. respiciunt civilem scientiam.

hauriemus] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *hauriamus* Lamb. (prob. Pearcio), Ern., Sch., Harl., Mueller. Sed recte Matth. de anacoluth. in Wolf. Anal. II. p. 23 nonnunquam e duobus membris, quæ ad unum idemque caput referri debebant, alterum sententiam non aliunde pendentem constituere observavit.

§. 125. *ex rei natura*] Sic plerique codd. (etiam Havn.

qui dicet aut scribet, institutus liberaliter educatione doctrinaque puerili, et flagret studio, et a natura adiuvetur, et in universorum generum infinitis disceptationibus exercitatus ornatissimos scriptores oratoresque ad cognoscendum imitandumque delegerit: nae ille haud sane, quemadmodum verba struat et illuminet, a magistris istis requiret. Ita facile in rerum abundantia ad orationis ornamenta sine duce natura ipsa, si modo est excitata, labetur.

XXXII. 126. Hic Catulus, Dii immortales, inquit, quantam rerum varietatem, quantam vim, quantam copiam, Crasse, complexus es, quantisque ex angustiis oratorem educere ausus es et in maiorum suorum regno collocare! Namque illos veteres doctores auctoresque dicendi nullum genus disputationis a se alienum putasse accepimus semperque esse in omni orationis ratione versatos. 127. Ex quibus Eleus Hippias, quum Olympiam venisset maxima illa

---

uterq.) et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *ex re naturalis* Vet. Steph., Z, marg. δ, Guelf. A, quod fortasse est praeferendum (*ex re natura* Erl.). — *ex ea naturalis* Sch. et Mueller.

delegerit] Sic Pal. pr., sec., Pith., Mem. membr. (V. ST.), Harl. 1, Mead., Z, marg. δ, Guelf. A, Erl., Pearc. (qui confert II. Off. 13. 46) et recentt. post Sch. — *legerit* Lamb. — *cognorit* Havn. uterq., plerique Oxx., etiam ψ, al. et vulgo inde ab antiquiss. edd. Sed quis ferre potest ineptum illud: *ad cognoscendum — cognorit?* — Praeterea *oratoresque cognoscendos imitandosque* exhibent Pal. pr., sec., Pith., Mem. membr. (V. ST.), Z, marg. δ.

excitata] Sic e coni. Sch., Harl., Mueller, Or. — Vulgo: *exercitata.*

Cap. XXXII. §. 127. *Eleus Hippias*] Hippias ceterique, qui in hoc capite commemorantur sophistae, Socratis fere aetate floruerunt, hique sophistae *docere se profitebantur*, *arrogantibus sane verbis*, *quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset* (τὸν ἥττω λόγον κρείττω ποιεῖν). Cic. Brut. 8. 30 ibiq. intt. Quae h. l. de Hippia narrantur, e Platonis Hippia minore impr. p. 363 D et p. 368 B desumpta esse videntur. Cfr. etiam Quintil. XII. 11. 21. — Ad verba: *nec solum has artes intell. est se non nescire.* —

quinquennali celebritate ludorum, gloriatus est, cuncta paene audiente Graecia, nihil esse ulla in arte rerum omnium, quod ipse nesciret; nec solum has artes, quibus liberales doctrinae atque ingenuae continerentur, geometriam, musicam, literarum cognitionem et poëtarum, atque illa, quae de naturis rerum, quae de hominum moribus, quae de rebus publicis dicerentur; sed annulum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse. 128. Scilicet nimis hic quidem est progressus, sed ex eo ipso est coniectura facilis, quantum sibi illi ipsi oratores de praeclarissimis artibus appetierint, qui ne sordidiores quidem repudiarint. Quid de Prodico Ceo, quid de Thrasymacho Chalcedonio, de Protagora Abderita loquar? quorum unusquisque plurimum temporibus illis etiam de natura rerum et disseruit et scripsit. 129. Ipse ille

---

Litterarum cognitio γραμματική, ἡ τῶν γράμματων μάθησις, Plato Theæt. p. 206 A. Cfr. infr. 33. 132: *litteras Aristophane et Callimacho tractante.*

§. 128. *Prodico Ceo*] Sic nonnulli Oxx. (etiam ψ), Lamb., Harl., Or., et sic rectius scribitur quam *Ceio*, quod exhibent Havn. uterq., alii Oxx., Guelf. B, C, Sch., Olsh. — *Cio* Man., Mueller. — *Chio* vulgo inde ab antiquiss. edd. Vid. Ellendt ad Brut. 8. 30. — *Prodicus*, Cea s. Ceo insula oriundus, præcipue in distinguendis explicandisque vocabulorum significationibus versabatur; quam artem non exiguo pretio docuit. Cfr. I. Classen de grammaticæ Græcæ primordiis (Bonnæ 1829) p. 25 sqq. Prodici Herculem allegoriam servavit Xenophon Memor. II. 1. 21 sqq. Cfr. Beier ad I. Off. 32. 118 p. 250 sq., Stallbaum ad Platon. Apol. Socr. p. 20. — De *Thrasymacho* vide ad III. 16. 59. — *Protagoras*, Abderæ, Thraciæ urbe, natus, primus magna mercede docuisse dicitur; cfr. F. A. Wolfii vermischte Schr. p. 43 sq. Ab Atheniensibus, quod sese negaverat omnino de diis habere, quod liqueret, essent, non essent, qualesve essent, urbe agroque est exterminatus, librique eius in concione combusti. Cic. I. N. D. 12. 29, 23. 63. Scripsit tum alia, tum rerum illustrium disputationes, quæ communes appellantur loci. Cic. Brut. 12. 46. Cfr. Ritter Gesch. d. Philos. I. p. 586 sqq., Classen l. c. p. 28 sqq.

Leontinus Gorgias, quo patrono, ut Plato voluit, philosopho succubuit orator (qui aut non est victus unquam a Socrate, neque sermo ille Platonis verus est; aut, si est victus, eloquentior videlicet fuit et disertior Socrates et, ut tu appellas, copiosior et melior orator), sed hic in illo ipso Platonis libro de omni re, quaecunque in disceptationem quaestionemque vocaretur, se copiosissime dicturum esse profitetur; isque princeps ex omnibus ausus est in conventu poscere, qua de re quisque vellet audire; cui tantus honos habitus est a Graecia, soli ut ex omnibus Delphis non inaurata statua, sed aurea statueretur. **130.** Atque ii, quos nominavi, multique praeterea summi dicendi auctores uno tempore fuerunt; ex quibus intelligi potest, ita se rem habere, ut tu, Crasse, dicis, oratorisque nomen apud antiquos in Graecia maiore quadam vel copia vel gloria floruisse. **131.** Quo quidem magis dubito, tibine plus laudis an Graecis vituperationis esse tribuendum statuam, quum tu, in alia lingua ac moribus natus, occupatissima in civitate, vel privatorum negotiis paene omnibus vel orbis terrae procuratione ac summi imperii gubernatione districtus, tantam vim rerum cognitionemque comprehenderis eamque omnem cum eius,

---

§. 129. *Leontinus Gorgias*] Vide ad I. 22. 103. — De statua Gorgiæ Delphis a cuncta Græcia posita cfr. Valer. Max. VIII. 5 ext. 2, Philostrat. de vit. soph. p. 493 Olear. Plinius autem H. N. XXXIII. 4. 24 ipsum sibi Gorgiam ex quæstu docendæ artis oratoriæ Delphis statuam posuisse tradit; cfr. etiam Pausan. X. 18 extr.

§. 130. *dicendi auctores*] Sic ex Erl. (in quo exstat *auctores*, sed primæ syllabæ superscr. est *doc*) Ern., eumque secuti sunt recentt. — *dicendi doctores* omnes fere codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd. inde ab Aldo. — *dicendi oratores* edd. antiquiss.

§. 131. *pæne omnibus*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *pæne obrutus* e coni. Sch., quem secuti sunt Harl. et Mueller. — *pæne omnium* coni. Ern.

qui consilio et oratione in civitate valeat, scientia atque exercitatione sociaris; illi nati in literis ardentesque his studiis, otio vero diffluentes, non modo nihil acquisierint, sed ne relictum quidem et traditum et suum conservaverint.

XXXIII. 132. Tum Crassus, Non in hac, inquit, una, Catule, re, sed in aliis etiam compluribus distributione partium ac separatione magnitudines sunt artium diminutae. An tu existimas, quum esset Hippocrates ille Cous, fuisse tum alios medicos, qui mor-

Cap. XXXIII. §. 132. *Hippocrates*] Heraclidæ medici fil., e Coa Asclepiadarum medicorum schola profectus, Ol. LXXX (460) natus, belli Peloponnesiaci initio floruit. Centenario maior Larissæ obisse fertur. Permulta scripsit, sed ex iis, quæ hodie eius nomine feruntur, pauca tantum vera Hippocratis esse iudicantur. — *Euclides* regnante Ptolemæo Lagi F. Alexandriæ mathematica docuit. Ex scriptis eius maxime celebrata sunt *Στοιχεῖα* s. elementa matheseos puræ libris XV, quorum tamen duo postremi Hypsicli Alexandrino mathematico sec. II. p. Chr. n. tribuuntur. — *Archimedes* Syracusanus, Hieronis regis cognatus et amicus, *unicus spectator coeli siderumque, mirabilior tamen inventor ac machinator bellicorum tormentorum operumque, quibus ea, quae hostes ingenti mole agerent, ipse perlevi momento ludificaretur.* Liv. XXIV. 34. His tormentis operibusque a se inventis bello Punico secundo per biennium Syracusas a M. Claudio Marcello oppugnatas defendit multisque calamitatibus Romanos affecit. A. U. 542 (212) expugnata a Romanis Syracusarum urbe Archimedem memoriæ proditum est in tumultu captæ et direptæ urbis intentum formis, quas in pulvere descripserat, ab ignaro milite, quis esset, interfectum. Liv. XXV. 31, Valer. Max. VIII. 7. 7. Cfr. Cic. IV. Verr. 58. 131, V. Fin. 19. 50. Eius sepulchrum ignoratum a Syracusanis reperit Cicero quæstor. Cic. V. Tusc. 23. 64 sq. De eius sphæra vide Cic. I. Tusc. 25. 63, I. de rep. 14. Eius scripta nonnulla hodieque exstant. — *Damon*, musicus et sophista, Agathoclis discipulus (Plato Lachet. p. 180 D), Periclis præceptor (Plut. Pericl. 4), Socratis ætate floruit. — *Aristoxenus* Tarentinus, philosophus et musicus, Spinthari musici fil., primum Lamprum Erythræum, deinde Xenophilum Pythagoreum, denique vero Aristotelem audivit (Suid. v. *Ἀριστόξ.*). Ex multis Aristoxeni scriptis hodie integri soli supersunt *Ἁρμονικῶν στοιχείων* libri tres; ex deperditis maxime memorabilia sunt: *παιδευτικοὶ νόμοι* (Diog. Laert. VIII. 15), *πολιτικοὶ νόμοι* (Athen. XIV p. 648 D) et *βίοι ἀνδρῶν* s. clarorum scriptorum vitæ (Plutarch. Vol. II. p. 1093. C). Vide

bis, alios, qui vulneribus, alios, qui oculis mederentur? Num geometriam Euclide aut Archimede, num musicam Damone aut Aristoxeno, num ipsas literas Aristophane aut Callimacho tractante, tam discerptas fuisse, ut nemo genus universum complecteretur, atque ut alius aliam sibi partem, in qua elaboraret, seponeret? 133. Equidem saepe hoc audivi de patre et de socero meo, nostros quoque homines, qui excellere sapientiae gloria vellent, omnia, quae quidem tum haec civitas nosset, solitos esse complecti. Meminerant illi Sex. Aelium, M'. vero Manilium nos etiam vidimus transverso ambulantem foro; quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam; ad quos olim et ita ambulantes et in solio sedentes domi sic adibatur, non solum ut de iure civili ad eos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio aut negotio referretur. 134. Haec fuit P. Crassi

---

G. L. Mahuii diatriben de Aristoxeno, philosopho peripatetico, Amstelod. 1793. 8, repet. in Schaeferi Thesauro crit. nov. T. I. p. 1-172. — *Aristophanes* Byzantius, Callimachi et Zenodoti discipulus, nobilissimus grammaticus bibliothecæque Alexandrinæ præfectus (Vitruv. VII præf. §. 7), regnantibus Ptolemæo III. et IV. floruit. De huius grammatici meritis et scriptis vide præter alios Wellauerum in Erschii et Gruberi encycl. Vol. V. p. 271 sq. — *Callimachus Battiades*, Cyrenæus, qui regnantibus Ptolemæo II. et III Alexandriæ Museo adscriptus vixit, permulta scripsit, grammatica, historica, carmina (Suid. h. v.). Exstant hymni sex et 73 epigrammata.

§. 133. *Meminerant*] De verbo *memini* cum accus. personæ vid. Zumpt Gr. §. 440. Exemplis ab eo allatis præter hunc locum adde III. Orat. 56. 214, II. Fin. 20. 63, de Senect. 5. 14, Læl. 2. 9. — De *Sex. Ælio* vide ad I. 45. 198, de *M'. Manilio* ad I. 48. 212.

§. 134. *P. Crassi*] *P. Licinius Crassus Dives* a. U. 542 (212) ante ædilitatem Pontifex Maximus creatus est, Liv. XXV. 5; cos. a. U. 549 (205) cum P. Corn. Scipione Afr. maiore, Liv. XXVIII. 38 sqq., cfr. Cic. Brut. 20. 77. Obiit a. U. 571 (183), Liv. XXXIX. 46. Idem XXX. 1 magnis eum laudi-

illius veteris, haec Ti. Coruncanii, haec proavi generi mei, Scipionis, prudentissimi hominis, sapientia, qui omnes pontifices maximi fuerunt, ut ad eos de omnibus divinis atque humanis rebus referretur; iidemque et in senatu et apud populum et in causis amicorum et domi et militiae consilium suum fidemque praestabant. 135. Quid enim M. Catoni praeter hanc politissimam doctrinam transmarinam atque adventitiam defuit? num, quia ius civile didicerat, causas non dicebat? aut, quia poterat dicere, iuris scientiam negligebat? Utroque in genere et elaboravit et praestitit. Num propter hanc ex privatorum

---

bus ornat his verbis usus: *Nobilis idem ac dives erat; forma viribusque corporis excellebat. Facundissimus habebatur, seu causa oranda, seu in senatu, ad populum suadendi ac dissuadendi locus esset; iuris pontificii peritissimus. Super hæc bellicæ quoque laudis consulatus* (in quo Bruttios provinciam accepit) *compotem fecerat.* Cfr. Cic. de Senect. 14. 50. — De *Ti. Coruncanio* vide ad III. 15. 56. — De *Scipione*, Crassi genero, vide ad III. 2. 8. Eius proavus *P. Corn. Scipio Nasica Corculum*, cos. a. U. 592 (162) cum C. Marcio Figulo, censor a. U. 595 (159) cum M. Popillio Lænate, cos iterum a. U. 599 (155) cum M. Claudio Marcello II. Cfr. Cic. Brut. 20. 79, I. Tusc. 9. 18, de Senect. l. c.

§. 135. *M. Catoni*] Vide ad I. 37. 171, 53. 227. — *Doctrinam transmarinam atque adventitiam* Cfr. II. de rep. 15: *Facile patior, non esse nos transmarinis nec importatis artibus eruditos*, et III. de rep. 3: *Ad domesticum maiorumque morem etiam hanc a Socrate adventitiam doctrinam adhibuerunt.* — Græcarum tamen litterarum Catonem senem perstudiosum fuisse tradit Cic. de Senect. I. 3 et II. Acad. 2. 5. Cum toto h. l. cfr. Cornel. Nep. Cat. 3 et Quintil. XII. 11. 23.

Utroque in genere] Sic Vet. Steph., Z, Guelf. A, Erl., Pearc., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *aut utroque in gen. s.* — *at utroque in gen.* Havn. uterq., Guelf. B, C, al. et vulgo inde ab Aldo. — *aut quia utroque in g.* edd. antiquiss. — *ab utroque* et *quia utroque* in MSS. exstare testatur Lambinus, qui edidit: *atqui utroque in gen.*

et elaboravit] Sic Lamb. (prob. Beiero ad I. Off. 1. 3 p. 8) et Or. — *elaboravit* (om. *et*) Vet. Steph., Z, Erl. — Vulgo: *et laboravit.* De simplicis verbi et compositi discrimine vid. Goerenz ad I. Fin. 4. 10, Gernh. ad Cic. de Sen. 7. 24, Beier ad I. Off. l. c., Doederlein Latein. Synon. I. p. 116 not.

negotiis collectam gratiam tardior in re publica capessenda fuit? Nemo apud populum fortior, nemo melior senator; idem facile optimus imperator; denique nihil in hac civitate temporibus illis sciri discive potuit, quod ille non quum investigarit et scierit, tum etiam conscripserit. 136. Nunc contra plerique ad honores adipiscendos et ad rem publicam gerendam nudi veniunt atque inermes, nulla cognitione rerum, nulla scientia ornati. Sin aliquis excellit unus e multis, effert se, si unum aliquid affert, ut bellicam virtutem aut usum aliquem militarem, quae sane nunc quidem obsoleverunt, aut iuris scientiam, ne eius quidem universi (nam pontificium, quod est coniunctum, nemo discit), aut eloquentiam, quam in clamore et in verborum cursu positam putant; omnium vero bonarum artium, denique virtutum ipsarum societatem cognationemque non norunt.

XXXIV. 137. Sed ut ad Graecos referam orationem (quibus carere in hoc quidem sermonis genere non possumus; nam ut virtutis a nostris, sic doctrinae sunt ab illis exempla repetenda), septem fuisse dicuntur uno tempore, qui sapientes et haberentur et vocarentur. Hi omnes, praeter Milesium Thalen, civitatibus suis praefuerunt. Quis doctior

---

§. 136. *nam pontificium*] De iure pontificio cfr. II. Legg. 19. 47 sqq., 21. 52 sqq. et quæ attulimus ad I. 43. 193.

Cap. XXXIV. §. 137. *septem — sapientes*] Septem sapientes fuerunt Thales Milesius, Ionicæ scholæ conditor, Bias Prieneus, Pittacus Mitylenæus, Cleobulus Lindius, Solon Atheniensis, Chilo Lacedæmonius, Periander Corinthius, cuius loco Plato Protag. p. 343 B commemorat Mysona Cheneum. Veterum scriptorum locos de septem sapp. vide ap. Beier. III. Off. 4. 16. p. 210; eorum sententiæ (*γνῶμαι, ἀποφθέγματα*) collectæ sunt ab I. C. Orellio in opusc. Græcorum vett. sententiosis et moral. Vol. I. Cum h. l. cfr. Dicæarch. ap. Diog. Laert. I. 40, qui hos septem neque sapientes neque philosophos, sed *συνετούς τινὰς καὶ νομοθετικούς* fuisse dicit.

iisdem illis temporibus, aut cuius eloquentia literis instructior fuisse traditur quam Pisistrati? qui primus Homeri libros, confusos antea, sic disposuisse dicitur, ut nunc habemus. Non fuit ille quidem civibus suis utilis, sed ita eloquentia floruit, ut literis doctrinaque praestaret. 138. Quid Pericles? de cuius dicendi copia sic accepimus, ut, quum contra voluntatem Atheniensium loqueretur pro salute patriae severius, tamen id ipsum, quod ille contra populares homines diceret, populare omnibus et iucundum videretur; cuius in labris veteres Comici, etiam quum illi male dicerent (quod tum Athenis fieri licebat), leporem habitasse dixerunt, tantamque in eo vim fuisse, ut in eorum mentibus, qui audissent, quasi aculeos quosdam relinqueret. At hunc non clamator aliquis ad clepsydram latrare docuerat, sed, ut accepimus, Clazome-

---

Pisistrati] De Pisistrato Atheniensium tyranno vide impr. Herodot. I. 59 sqq. Pisistratum Homeri carmina primum litteris consignasse atque in eum, quo nunc leguntur, ordinem redegisse, totius antiquitatis fama testatur; vide F. A. Wolfii Prolegg. p. CXLII sqq.

§. 138. *Pericles*] Vide ad I. 50. 216. — *Veteres Comici* sunt veteris comoediæ poetæ, in his Eupolis, cuius hoc fragmentum servavit Schol. Aristoph. Acharn. 529 (535): *Εὔπολις ἐν Δήμοις·*

Ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δέ γ' αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθιζεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν.
Οὕτως ἐκήλει καὶ μόνος τῶν ῥητόρων
Τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Cfr. Cic. Brut. 9. 38, 15. 59. Vid. M. Runkelii Eupolis p. 109. Quem h. l. *leporem* dicit, Græcum voc. *Πειθώ* exprimens *suadam* dicit Cic. Brut. 15. 59, *persuadendi deam* Quintil. X. 1. 82.

clamator aliquis ad clepsydram latrare] *Clepsydra* erat vasculum, ut ait Ern. in clav., effluente aqua horæ partes definiens, cuius usus erat in iudiciis. — Clepsydræ usus imprimis in Atheniensium iudiciis frequens erat; vid. Meier et Schoemann Attischer Process p. 713 sqq.; post legem iudiciariam Pompeii (Brut. 94. 324, Ascon. argum. Milon. p. 531 Sch., dialog. de oratt. 38) etiam in iudiciis Romanorum adhibebatur. In declamandi quoque exercitationibus ad clepsydram dicebant adolescentes. Cfr. intt. ad II. Tusc. 27. 67.

nius ille Anaxagoras, vir summus in maximarum rerum scientia. Itaque hic doctrina, consilio, eloquentia excellens quadraginta annos praefuit Athenis et urbanis eodem tempore et bellicis rebus. 139. Quid Critias? quid Alcibiades? civitatibus suis quidem non boni, sed certe docti atque eloquentes, nonne Socraticis erant disputationibus eruditi? Quis Dionem Syracusium doctrinis omnibus expolivit? non Plato? atque eum idem ille non linguae solum, verum etiam animi ac virtutis magister, ad liberandam patriam impulit, instruxit, armavit. Aliisne igitur artibus hunc Dionem instituit Plato, aliis Isocrates clarissimum virum Timotheum, Cononis, praestantissimi imperatoris, filium, summum ipsum imperatorem hominemque doctissimum? aut aliis Pythagoreus ille Lysis The-

---

— De voc. *clamator* cfr. Ellendt. ad Brut. 49. 182, de verbo *latrare* eund. ibid. 15. 58. — De *Anaxagora* vide ad III. 15. 56.

§. 139. *Critias*] De *Critia* et *Alcibiade* vide ad II. 22. 93.

Dionem Syracusium — Plato] *Dion* Syracusius, qui Ol. CVI. 1 (356) Syracusas a Dionysii minoris dominatione liberavit, sed Ol. CVI. 3 (354) a Callippo Atheniensi interfectus est (Diodor. Sic. XVI. 9-31, Corn. Nep. Dion), Platoni, qui primum a Dionysio maiore Ol. XCVIII. 3 (386) Tarento (Corn. Nep. Dion 2; cfr. Diodor. Sic. XV. 7), deinde a Dionysio minore Ol. CIII. 3 (366) Athenis Syracusas arcessitus est, totum se dedit, neque minus Plato delectatus est Dione. Corn. Nep. Dion 3, Plutarch. Dion 4 sqq. et 11 sqq. Cfr. Diog. Laert. III. 18 sqq., Beier ad I. Off. 44. 155 p. 307.

Isocrates — Timotheum] De *Isocrate* vide ad II. 3. 10. — De *Timotheo*, Cononis filio, Atheniensium duce, qui, re bene gesta, Lacedæmonios eo adegit, ut Ol. CI. 2 (375) pacem cum Atheniensibus facerent iisque imperii maritimi principatum concederent, vide Corn. Nep. et Diodor. XV. 29 sqq.

Pythagoreus ille Lysis Theb. Epaminondam] Lysis Tarentinus, Pythagoræ auditor, Thebis, quo migraverat, philosophiam docuit, eiusque discipulum Epaminondam fuisse multi scriptores memoriæ prodiderunt. Vide impr. Corn. Nep. Epam. 2 ceterosque, quos citat Beier ad I. Off. 44. 155 p. 306 sq. Ut Pythagoræ ita Lysidis vita fabulis referta est, ipsumque illud de Epaminonda Lysidis discipulo temporum rationi repugnare videtur. Cfr. Schoell hist. litt. Gr. I. p.

banum Epaminondam, haud scio an summum virum unum omnis Graeciae? aut Xenophon Agesilaum? aut Philolaus Archytam Tarentinum? aut ipse Pythagoras totam illam veterem Italiae Graeciam, quae quondam magna vocitata est? Equidem non arbitror.

XXXV. 140. Sic enim video, unam quandam omnium rerum, quae essent homine erudito dignae atque eo', qui in re publica vellet excellere, fuisse doctrinam; quam qui accepissent, si iidem ingenio ad pronuntiandum valuissent et se ad dicendum quoque non repugnante natura dedissent, eloquentia praestitisse. 141. Itaque ipse Aristoteles, quum florere Isocratem nobilitate discipulorum videret,

---

436 sq. interp. Germ. — De *Xenophonte*, Agesilai præceptore, vide ad II. 14. 58.

Philolaus Archytam Tarentinum] Sic Havn. B, duo Steph. codd., Z, α, β, ε, ψ, Guelf. A, B, Erl., Med. 1, Ven., Or. — *Philolaum Archytas Tarentinus* Havn. A, al., ed, s. l. et a. (errat enim Or. huic ed. alteram lectionem tribuens), Med. 2, Lott. et vulgo post Ald. Sed Philolaum Crotoniaten v. Tarentinum inter Ol. LXX et XCV vixisse atque Archyta maiorem natu fuisse ostendit A. Boeckhius in libro: Philolaos des Pythagoreers Lehren, nebst den Bruchstücken seines Werkes, Berol. 1819, p. 5 sqq. Philolai commentarios de rerum natura centum minis emisse Platonem atque ex iis Timæum suum concinnasse, tradunt Diog. Laert. VIII. 15. 85, Gell. III. 17, al. Cfr. Cic. I. de rep. 10 ibiq. intt. — *Archytas* Tarentinus, Pythagoreus, Platoni, cuius magister fuisse fertur, æqualis et amicus (Cic. de Senect. 12. 41, I. de rep. 10, Diog. Laert. VIII. 79 sqq., Photius cod. 249 init.), re-publica administranda clarus, maiorem sibi ingenio, doctrina mechanicisque inventis famam peperit. Cfr. C. G. Bardili de Archyta Tarent. disq. in Nov. Act. soc. Lat. Ien. Vol. I. p. 3-16, Ios. Navarro tentamen de Archytæ Tarentini vita atque operibus. P. I. Hafn. 1819. — *Pythagoras totam illam — Italiæ Græciam* Cfr. ad II. 37. 154.

Cap. XXXV. §. 141. *florere Isocratem*] Cfr. Cic. I. Tusc. 4. 7, Orat. 19. 62 atque impr. Quintil. III. 1. 14: *Nam et Isocratis præstantissimi discipuli fuerunt in omni studiorum genere; eoque iam seniore — pomeridianis scholis Aristoteles præcipere artem oratoriam coepit, noto quidem illo (ut traditur) versu ex Philocteta frequenter usus: Αἰσχρὸν σιωπᾶν καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν.* De Græco versu vid. Spalding ad l. c. Quint. — Diog. Laert. V. 3 hoc dictum in

quod ipse suas disputationes a caussis forensibus et civilibus ad inanem sermonis elegantiam transtulisset, mutavit repente totam formam prope disciplinae suae versumque quendam de Philocteta paullo secus dixit. Ille enim *turpe* sibi ait *esse tacere, quum barbaros*, hic autem, *quum Isocratem pateretur dicere*. Itaque ornavit et illustravit doctrinam illam omnem rerumque cognitionem cum orationis exercitatione coniunxit. Neque vero hoc fugit sapientissimum regem Philippum, qui hunc Alexandro filio doctorem acciérit, a quo eodem ille et agendi acciperet praecepta et eloquendi. 142. Nunc sive qui volet, eum philosophum, qui copiam nobis rerum orationisque tradat, per me appellet oratorem licet; sive hunc oratorem, quem ego dico sapientiam iunctam habere eloquentiae, philosophum appellare malet, non impediam;

Xenocratem ab Aristotele coniectum esse tradit. Ex cuiusnam vero tragici poetæ Philocteta hic versus desumptus sit, non constat; nam et Æschylus Philoctetam scripsit et Sophocles et Euripides, cuius hunc senarium esse contendunt tum alii tum Valckenarius diatrib. in Eurip. deperd. dramat. reliqq. p. 121 ed. Lips. Musgravius Græci poetæ senarium cum altero illo ap. Plutarch. advers. Colot. p. 1108 B (Vol. V p. 628 Wyttenb.) sic coniungit:

Ὑπέρ γε μέντοι παντὸς Ἑλλήνων στρατοῦ
Αἰσχρὸν σιωπᾶν, βαρβάρους δ' ἐᾶν λέγειν.

quod ipse] *quod ille* e coni. edidit Sch. — *versumque quendam de Philocteta* Havn. uterq., Oxx. aliquot, Guelf. A *(de Philoctete)* et vulgo inde ab Aldo usque ad Ern.; restituerunt Sch., Mueller, Or., comparantes III. Off. 21. 82: *Græcos versus de Phoenissis*, et I. N. D. 8. 18, ubi cfr. Or. adn. — *versumque quendam Philoctetæ* Vet. Steph., Mead., Harl. uterq., Z, δ, ε, ψ, Erl., edd. antiquiss., Pearc., Ern., Harl., Olsh. — Paullo infra *ita ornavit* pro *itaque ornavit* e coni. edidit Sch. in ed. mai., eumque secutus est Olsh.

et eloquendi] Sic Guelf. A, Erl., Man., Steph., Lamb., Mueller, Or. — *et loquendi* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab antiquiss. — De *Aristotele* a Philippo, Macedonum rege, accito, ut Alexandrum filium erudiret, cfr. Plutarch. Alex. 7.

§. 142. *appellare malet*] Ita Guelf. A, Lamb. (prob.

dummodo hoc constet, neque infantiam eius, qui rem norit, sed eam explicare dicendo non queat, neque inscientiam illius, cui res non suppetat, verba non desint, esse laudandam; quorum si alterum sit optandum, malim equidem indisertam prudentiam, quam stultitiam loquacem. 143. Sin quaerimus, quid unum excellat ex omnibus, docto oratori palma danda est. Quem si patiuntur eundem esse philosophum, sublata controversia est; sin eos disiungent, hoc erunt inferiores, quod in oratore perfecto inest illorum omnis scientia, in philosophorum autem cognitione non continuo inest eloquentia; quae quamvis contemnatur ab eis, necesse est tamen aliquem cumulum illorum artibus afferre videatur. Haec quum Crassus dixisset, parumper et ipse conticuit, et ceteris silentium fuit.

XXXVI. 144. Tum Cotta, Equidem, inquit, Crasse, non possum queri, quod mihi videare aliud quiddam et non id, quod susceperis, disputasse; plus enim aliquanto attulisti, quam tibi erat attributum a nobis ac denuntiatum. Sed certe et hae partes fuerunt tuae, de illustranda oratione ut diceres, et eras ipse iam ingressus atque in quatuor partes omnem orationis laudem descripseras; quumque de duabus primis nobis quidem satis, sed, ut ipse dicebas, celeriter exigueque dixisses, duas tibi reliquas feceras, quemadmodum primum ornate, deinde etiam apte diceremus. 145. Quo quum ingressus esses,

---

Pearcio), et sic ediderunt recentt. post Sch. — *appellare mallet* ψ, Erl. — *app. malit* vulgo codd. et edd.

Cap. XXXVI. §. 144. *erat attributum*] Sic Havn. B, Guelf. A, codd. Regii, ed. Waldarf., prob. Ern.; receperunt Sch., Mueller, Or. — *erat attribuendum* ψ. — *erat tributum* Vet. Steph., Erl. — *esset attributum* Havn. A, Z, γ, s, Guelf. C. — *esset attribuendum* β. — *esset tributum* vulgo inde ab antiquiss. edd.

repente te quasi quidam aestus ingenii tui procul a terra abripuit atque in altum a conspectu paene omnium abstraxit. Omnem enim rerum scientiam complexus, non tu quidem eam nobis tradidisti; neque enim fuit tam exigui temporis; sed, apud hos quid profeceris, nescio, me quidem in Academiam totum compulisti. In qua velim sit illud, quod saepe posuisti, ut non necesse sit consumere aetatem, atque ut possit is illa omnia cernere, qui tantummodo adspexerit; sed etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam neque defatigabor ante, quam illorum ancipites vias rationesque et pro omnibus et contra omnia disputandi percepero.

146. Tum Caesar, Unum, inquit, me ex tuo sermone maxime, Crasse, commovit, quod eum negasti, qui non cito quid didicisset, unquam omnino posse perdiscere; ut mihi non sit difficile periclitari et aut statim percipere ista, quae tu verbis ad coelum extulisti, aut, si non potuerim, tempus non perdere, quum tamen his nostris possim esse contentus.

147. Hic Sulpicius, Ego vero, inquit, Crasse, neque Aristotelem istum neque Carneadem nec philosophorum quemquam desidero; vel me licet existimes desperare ista posse perdiscere vel, id quod facio, contemnere. Mihi rerum forensium et communium vulgaris haec cognitio satis magna est ad eam, quam specto, eloquentiam; ex qua ipsa tamen permulta nescio, quae tum denique, quum causa aliqua, quae a me dicenda est, desiderat, quaero. Quamobrem, nisi forte es iam defessus, et si tibi non graves sumus, refer ad illa te, quae ad ipsius orationis

---

§. 145. *aliquanto spissius*] Cfr. ad II. 53. 213.

laudem splendoremque pertinent; quae ego ex te audire volui, non ut desperarem me eloquentiam consequi posse, sed ut aliquid addiscerem.

XXXVII. 148. Tum Crassus, Pervulgatas res, inquit, requiris et tibi non incognitas, Sulpici; — quis enim de isto genere non docuit, non instituit, non etiam scriptum reliquit? — sed geram morem et ea dumtaxat, quae mihi nota sunt, breviter exponam tibi; censebo tamen ad eos, qui auctores et inventores sunt harum sane minutarum rerum, revertendum. 149. Omnis igitur oratio conficitur ex verbis, quorum primum nobis ratio simpliciter videnda est, deinde coniuncte. Nam est quidam ornatus orationis, qui ex singulis verbis est, alius, qui ex continuatis coniunctisque constat. Ergo utemur verbis aut iis, quae propria sunt et certa quasi vocabula rerum, paene una nata cum rebus ipsis, aut iis, quae transferuntur et quasi alieno in loco collocantur, aut iis, quae novamus et facimus ipsi. 150. In propriis est igitur verbis illa laus oratoris, ut abiecta atque obsoleta fugiat, lectis atque illustribus utatur, in quibus plenum quiddam et sonans inesse videatur. Sed in hoc verborum genere propriorum delectus est quidam habendus atque is aurium quodam iudicio ponderandus; in quo consuetudo etiam bene loquendi valet plurimum. 151. Etiam hoc, quod vulgo de oratoribus ab imperitis dici solet: *Bonis is verbis*,

---

Cap. XXXVII. §. 148. *inquit, requiris*] Sic Havn. A, Guelf. A, duo codd. Goerenzii (ad V Fin. 26. 77), Mueller, Or. — Vulgo: *requiris, inquit*. — Deinde *non etiam scriptum* Havn. B, al. et vulgo edd. inde ab Aldo. — *non scriptum etiam* Havn. A, Guelf. A, edd. antiquiss., Sch., Mueller. — Statim *geram morem* codd. et vulgo inde ab Aldo. — *geram tibi morem* edd. antiquiss., item Lamb., Sch., Mueller, qui *tibi* post *exponam* expungunt.

§. 151. *Bonis is verbis*] Sic plerique codd. (etiam Havn.

aut: *Aliquis non bonis utitur*, non arte aliqua perpenditur, sed quodam quasi naturali sensu iudicatur; in quo non magna laus est vitare vitium (quamquam id est magnum), verumtamen hoc quasi solum quoddam atque fundamentum est, verborum usus et copia bonorum. 152. Sed quid ipse aedificet orator et in quo adiungat artem, id esse a nobis quaerendum atque explicandum videtur.

XXXVIII. Tria sunt igitur in verbo simplici, quae orator afferat ad illustrandam atque exornandam orationem: aut inusitatum verbum, aut novatum, aut translatum. 153. Inusitata sunt prisca fere ac vetusta et ab usu quotidiani sermonis iamdiu intermissa, quae sunt poëtarum licentiae liberiora quam nostrae; sed tamen raro habet etiam in oratione poëticum aliquod verbum dignitatem. Neque enim illud fu-

---

uterq.) et vulgo edd. inde ab Ald. — *bonis his verbis* ψ. — *bonis hic verbis* Guelf. A, Erl., edd. antiquiss., Sch., Mueller.

verumtamen hoc quasi] Sic Pal. pr., sec., Pith. (V. ST.), Z, δ, Guelf. A, Lamb., Sch., Olsh., item Or., qui tamen temere mutato verborum ordine edidit: *verumtamen quasi hoc*, — *verum tamen in hoc quasi* Med. 2, Lott. — *verum iam hoc quasi* alter Steph. cod. — *verum iam in hoc quasi* Havn. uterq., reliqui Pall., γ, ε, excerpt. δ, Guelf. B (*veram*), C, ed. s. l. et a., Med. 1, Ven. — *verum etiam in hoc quasi* β, ψ. — *verum hoc quasi* Ald., Iunt., Man., Steph., Grut., Ern., Harl. — *verum in hoc quasi* e coni. Muellerus. — Cum h. l. cfr. Cic. Brut. 74. 258: *Solum quidem et quasi fundamentum oratoris vides, locutionem emendatam et Latinam.*

Cap. XXXVIII. §. 153. *tamen raro — poeticum aliquod verbum*] Ernesti *sed tamen haud* vel *non raro* scribendum esse censuit; Matthiae in progr. a. 1807 aut *sed, tamen raro, habet* interpungendum aut *raro* eiiciendum esse suspicatus est. Sed recte Sch. contulit c. 52. 201: *Ut translatis utamur frequenter interdumque factis, raro autem etiam pervetustis*, et Orat. 24. 80: *Sed etiam inusitata ac prisca sunt in propriis, nisi quod raro utimur.* — Deinde adversus Pearcii coni. *pervetustum* et Schuetzii *priscum* pro *poeticum* Matth. in eodem progr. recte hæc observavit: "Mihi nihil mutandum videtur; quamvis enim dubitari non possit, quin de priscis seu obsoletis verbis h. l. proprie loquatur Cicero, tamen, quum ea poetarum licentiæ liberiora esse quam orato-

gerim dicere, ut Caelius: *Qua tempestate Poenus in Italiam venit*; nec *prolem* aut *subolem* aut *fari* aut *nuncupari* aut, ut tu soles, Catule, *non rebar* aut *opinabar* et alia multa, quibus loco positis grandior atque antiquior oratio saepe videri solet. 154. Novantur autem verba, quae ab eo, qui dicit, ipso gignuntur ac fiunt, vel coniungendis verbis, ut haec:

Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat. —
Num non vis huius me versutiloquas malitias — —

---

rum dixisset, poetica verba tamquam partes s. formas (*species* nostri dicunt) priscorum numerans, illa pro his memoravit. Inter exempla, quæ deinde afferuntur, plura sunt poetica eademque prisca."

ut Caelius] De *L. Caelio Antipatro* vide ad II. 12. 54. Voc. *tempestate* pro *tempore* utuntur Sallustius, Livius atque ipse Cicero I. Divin. 34. 75. — *Subolem* et *prolem* pro *liberis* sæpe poetas, pro *posteris* vero s. *progenie* etiam prosæ orationis scriptores dicere, exempla in lexicis allata docent.

aut fari aut nuncupari] *Fari* Havn. A, Guelf. B, C, Quintil. VIII. 3. 27, Lamb., Sch., Mueller. — *affari* Havn. B, ψ, Guelf. A. — *effari* vulgo codd. et edd., quod compositum sane verbum augurale et poeticum est (vid. Cic. Att. XIII. 42, Varro de L. L. VI p. 229 Speng., Serv. ad Virg. Æn. III. 463), sed etiam simplex a poetis frequentatum reperitur. — *Nuncupari* exhibent omnes codd. et vulgo edd.; *nuncupare* e Quintil. l. c. ediderunt Sch. et Mueller. De hoc verbo vide ad I. 57. 245.

non rebar aut opinabar] Cur in priscis hæc verba numerentur, non liquet. *Rebar* in hoc ipso libro exstat 22. 82. — Prima imperfecti persona *opinabar*, quæ invenitur ap. Plaut. Pers. II. 3. 5, Crassi ætate iam obsolevisse videtur. — *Et alia multa* plerique codd. et vulgo edd. — *aut alia multa* Vet. Steph., Cant., Harl. 1, *Z*, *s*, Erl., Pearc., Sch., Mueller.

§. 154. *omnem mi exanimato*] Sic (vel *omn. mihi exan.*) Havn. uterq., Pearcii codd., Guelf. A, B, C, edd. antiquiss., Pearc. et recentt. post Ern. — *mihi omnem exanimato* e codd. Man., Steph., Grut. — *mihi omnem ex animo* nonnulli codd. Nonii voc. *expectorare* (I. 52 p. 491 Gothofr.), Ald., Iunt., Crat., Lamb., prob. Bothio Trag. Lat. fragm. p. 32. — *omnem mihi ex animo* Erl. — Hic versus, qui etiam infra 58. 218 (ubi Ern., Sch., Olsh., Or. ediderunt: *mihi omnem exanimato*) et IV Tusc. 8. 19 affertur, ex Ennii Alcmæone desumptus est (vide Cic. IV Fin. 23. 62 coll. c. III. Orat. 58. 218), ad eumque alludere videtur Quintil. VIII. 3. 31.

Num non vis etc.] "Hic versus alio atque alio modo

videtis enim et *versutiloquas* et *expectorat* ex coniunctione facta esse verba, non nata; vel saepe sine coniunctione verba novantur, ut † *ille senius*, ut *Dii genitales*, ut *baccarum ubertate incurviscere.*

---

scriptus reperitur in codd. MSS. Quin ne Nonius quidem [voc. *versutiloquas* II. 922 p. 591 Gothofr.] ita profert, ut est in vulg., ut omittam, quod eum profert tamquam Ciceronis, quum sit vel Accii vel Pacuvii vel Ennii. Neque vero est, quod in huius versus sententia exquirenda valde laboremus, quum aliquid desit ad sententiæ integritatem. Satis enim habuit M. Tullius ostendere et ex nomine *versutiloquas*, quod est in hoc versu, et ex verbo *expectorat*, quod est in superiore, verba interdum novari per coniunctionem seu compositionem, ut vulgo loquimur." Lambin. — *Num non vis huius me* Havn. B, Oxx. (nisi quod *me* om. Z), al., et sic vulgo editur inde ab antiquiss. edd. — *num vero me vis huius* Pal. non. — *num vero vis huius me* Havn. A, Guelf. C. — *numquid vero non vis huius me* Lamb. — *an num non vis huius me* Steph. — *num vis huius me* Sch. in ed. mai., Olsh. — *num vis me huius* Sch. in ed. min., Mueller. — *non novisse huius me* coni. Bothe l. c. p. 75. — *anne non novisti huiusce* emendavit Beierus præfat. Cic. oratt. fragm. p. XVI. Ut lectio incerta, ita, ad quemnam poetam hoc fragmentum, cuius extrema duo verba etiam Cic. Orat. 49. 164 afferuntur, referendum sit, parum exploratum est. Bothius l. c. inter incerta Ennii fragm. refert; Beierus l. c. hæc Aiacis de Ulixe verba esse dicit, de poeta nihil decernit. *Fallaciloquæ* — *malitiæ* ex Accio affert Cic. IV Fin. 25. 68, ubi Goerenz *versutiloquæ* leg. esse suspicatur; quod si verum est, ad Accii *armorum iudicium* hoc fragm. referri possit.

non nata] *Non nativa* edidit Sch. e Cic. Partit. Orat. 5. 16 et Quintil. VIII. 3. 36. Sed vide intt. ad I. Off. 31. 111. — Vocc. *verba novantur* uncis inclusit Ern., eiecerunt Lamb. et Sch.

ut ille senius, ut Dii genitales] Sic Pal. pr., sec., Pith., Mem., liber Borromei ap. Grut., et sic vulgo editur post Grut. — Quodnam novatum verbum in corrupto *ille senius* lateat, incertum est; reliqui codd. multo corruptiores sunt, nec quidquam proficiunt VV. DD. correctiones. — *ut ille sensus disertus vidi genitales* v. *genitalis* v. *genitabilis* Havn. uterq., Pal. quart., quint., sext., sept., oct., plerique Oxx. (etiam ψ), Erl., unde *ut ille sensus disertus indigenitalis* vulgo olim legebatur inde ab antiquiss. edd.; sed recte iam Lamb. observavit, *indigenitalis*, si modo nomen sit Latinum, esse nomen iunctum; hic autem subiici debere exemplum nominum novatorum sine compositione. — *ut ille Ennius, ut dii genitales* δ. — *ut ille Ennius vidi genitales* Pal. non. — *ut ille Ennius disertus inde genitales* Pal. tert. — *ut ille En-*

155. Tertius ille modus transferendi verbi late patet, quem necessitas genuit inopia coacta et angustiis, post autem delectatio iucunditasque celebravit. Nam ut vestis frigoris depellendi causa reperta primo, post adhiberi coepta est ad ornatum etiam corporis et dignitatem: sic verbi translatio instituta est inopiae causa, frequentata delectationis. Nam *gemmare vites, luxuriem esse in herbis, laetas segetes,* etiam ru-

---

nius: Dii genitales coni. Turneb. Advers. IX. 26. — *ut illud diserti senis: Dii genitales* Lamb. — *ut illud Ennii: Di genitales* leg. esse suspicatur Or.; sed auctorem h. l. nominatum esse, quum in reliquis exemplis prætermissum sit eius nomen, parum probabile est. — Verba *Dii genitales* ex Annalibus Ennii desumpta sunt, cuius hunc versum laudat Serv. ad Virg. Æn. VI. 764:

Romulus in coelo cum Dis genitalibus ævum
Degit.

Cfr. I. Tusc. 12. 28, ubi Cicero eundem Ennii versum memoriter citasse videtur. *Genitales* autem deos duodecim maiores esse, ab Ennio hoc disticho comprehensos:

Iuno, Vesta, Ceres, Diana, Minerva, Venus, Mars,
Mercurius, Iovi', Neptunus, Volcanus, Apollo:

ostendit Bentleius ad Horat. Carmen Sec. vs. 16.

baccarum ubertate incurviscere] Sic e Non. v. *incurviscere* (II. 412 p. 553 Gothofr.) Lamb., Sch., Mueller, Or.; qui tamen I. Tusc. 28. 69, ubi integer versus: *Rami baccarum ubert. inc.* cum aliis nonnullis citatur, edidit *incurvescere*, quemadmodum h. l. vulgo legitur, quamquam etiam illic *incurviscere* codicum auctoritate firmatur.

§. 155. *Tertius ille modus*] Vide ad II. 27. 118.

gemmare vites] Cic. Orat. 24. 81: *Translatione fortasse crebrior* (erit orator), *qua frequentissime sermo omnis utitur non modo urbanorum, sed etiam rusticorum; siquidem est eorum gemmare vites, lascivire agros, lætas esse segetes, luxuriosa frumenta.* — *Gemmare vites* h. e. in vitibus ineunte vere exsistere tamquam ad articulos sarmentorum eam, quæ gemma (Øie) dicitur, a qua oriens uva sese ostendit, ut ait Cic. de Sen. 15. 53. — *Luxuriem esse in herbis* C. Iul. Victor Art. rhet. p. 98 Maii, qui totum hunc locum exscripsit potius quam excerpsit, exhibet *luxuriare messem,* et sic eundem, ut videtur, Victorem secutus emendavit Beierus præfat. Cic. oratt. fragm. p. XVI. Sed vulgatam lectionem tuentur omnes codd.; cfr. etiam II. 23. 96 et locos Varronianos ibi laudatos. — *Lætas segetes* Sch. e Cic. Orat. 24. 81 edidit: *lætas esse segetes,* quam coni. confirmat cod. Reg. 7753.

stici dicunt. Quod enim declarari vix verbo proprio potest, id translato quum est dictum, illustrat id, quod intelligi volumus, eius rei, quam alieno verbo posuimus, similitudo. 156. Ergo hae translationes quasi mutuationes sunt, quum, quod non habeas, aliunde sumas. Illae paullo audaciores, quae non inopiam indicant, sed orationi splendoris aliquid arcessunt; quarum ego quid vobis aut inveniendi rationem aut genera ponam?

XXXIX. 157. Similitudinis est ad verbum unum contracta brevitas, quod verbum in alieno loco tamquam in suo positum, si agnoscitur, delectat, si simile nihil habet, repudiatur. Sed ea transferri oportet, quae aut clariorem faciunt rem, ut illa omnia:

Inhorrescit mare,
Tenebrae conduplicantur, noctisque et nimbûm occaecat nigror,

---

illustrat id, quod] Orellius distinguit: *illustrat, id quod intelligi volumus, eius;* sed qua re motus sic alienam ab huius loci sententia parenthesin induxerit, haud facile est dictu. Unice vera est vulgata interpunctio; sibi enim opponuntur *quod intelligi volumus* et *quam alieno verbo posuimus*, neque verbum *illustrat* obiecto potest carere. — Pro vulg. *posuimus* Sch. e coni. edidit *exposuimus*, et sic exhibet Vet. Steph., sed male; neque enim de sententiæ explicatione, sed de *verbo*, quo aliquid designetur, sermo est. Cfr. ad I. 15. 65.

Cap. XXXIX. §. 157. *Similitudinis est — brevitas*] "H. e. translatio s. metaphora est similitudo quædam breviter uno verbo comprehensa." Pearc. — Hæc nimis abrupta visa sunt Lambino et Schuetzio, quorum ille edidit: *Translatio omnis similitudinis est ad unum verbum contr. brev.*, hic coni. *Est autem translatio similitudinis* etc.

Inhorrescit mare etc.] Integer versus, qui cum sequentibus e Pacuvii Duloreste desumptus est, ita legitur ap. Cic. I. Divin. 14. 24: *Interea, prope iam occidente sole, inhorrescit mare.* Sermo est de Achivorum post eversam Troiam reditu deque ea tempestate, qua multi duces perierint; Hygin. fab. 116; cfr. Stieglitz ad Pacuvii Dulorest. p. 88. — Pro *imbri largifluo* Sch. et Muellerus metri causa ediderunt: *largifluo imbri.*

Flamma inter nubes coruscat, coelum tonitru contremit,
Grando mixta imbri largifluo subita praecipitans cadit;
Undique omnes venti erumpunt, saevi exsistunt turbines;
Fervit aestu pelagus;

omnia fere, quo essent clariora, translatis per similitudinem verbis dicta sunt; 158. aut quo significetur magis res tota, sive facti alicuius sive consilii, ut ille, qui occultantem consulto, ne id, quod ageretur, intelligi posset, duobus translatis verbis similitudine ipsa indicat:

Quandoquidem is se circumvestit dictis, saepit sedulo.

Nonnunquam etiam brevitas translatione conficitur, ut illud: *Si telum manu fugit.* Imprudentia teli emissi brevius propriis verbis exponi non potuit, quam est uno significata translato.

XL. 159. Atque hoc in genere persaepe mihi admirandum videtur, quid sit, quod omnes translatis et alienis magis delectentur verbis quam propriis et suis. Nam si res suum nomen et proprium vocabulum non habet, ut *pes* in navi, ut *nexum*, quod per libram agitur, ut in uxore *divortium*: necessitas

---

§. 158. *facti alicuius*] Vide ad II, 15. 63. — *Is se circumvestit* Ita leg. esse coni. Pearc., et sic e Guelf. A. ediderunt recentt. post Sch. — Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab Ald. *iste circumv.* — *ista circumv.* edd. antiquiss.

Si telum manu fugit] Cic. Top. 17. 64: *Iacere telum voluntatis est; ferire, quem nolueris, fortunæ. Ex quo aries ille subiicitur in vestris* (ICtorum) *actionibus*: *Si telum manu fugit magis, quam iecit.* Quemadmodum vero pleræque actiones ipsarum legum verbis accommodatæ erant (Gaius IV. 11), ita hæc actionum verba e lege XII tabb. desumpta erant, ut intelligitur e Cic. orat. pro Tullio §. 51, ubi cfr. intt. p. 63 sq. Beier.

Cap. XL. §. 159. *pes in navi*] *Pedes* (πόδας, ποδεῶνας) nautis funes in imis veli laciniis, quibus velum tenditur, dictos constat; cfr. intt. ad Virgil. Æn. V. 830, Schneider Lex. Gr. voc. ποῦς.

nexum, quod per libram agitur] Vide ad I. 38. 173. Lambinus et Sch. e coni. ediderunt: *nex. q. per æs et libram*

cogit, quod non habeas, aliunde sumere; sed in suorum verborum maxima copia tamen homines aliena multo magis, si sunt ratione translata, delectant. 160. Id accidere credo, vel quod ingenii specimen est quoddam, transilire ante pedes posita et alia longe repetita sumere; vel quod is, qui audit, alio ducitur cogitatione neque tamen aberrat, quae maxima est delectatio; vel quod singulis verbis res ac totum simile conficitur; vel quod omnis translatio, quae quidem sumpta ratione est, ad sensus ipsos admovetur, maxime oculorum, qui est sensus acerrimus. 161. Nam et *odor urbanitatis* et *mollitudo humanitatis* et *murmur maris* et *dulcedo orationis* sunt ducta a ceteris sensibus; illa vero oculorum multo acriora, quae ponunt paene in conspectu animi, quae cernere et videre non possumus. Nihil est enim in rerum natura, cuius nos non in aliis rebus possimus uti vocabulo et nomine. Unde enim simile duci potest (potest autem ex omnibus), indidem verbum unum, quod similitudinem continet, translatum lumen affert orationi. 162. Quo in genere primum fugienda est dissimilitudo:

Coeli ingentes fornices.

---

agitur. — *In uxore divortium* "Nam proprie dicuntur aquarum et fluminum divortia, ut supra [III. 19. 69]: *Hæc autem, ut ex Apennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta divortia.*" Lamb.

§. 161. *lumen affert*] *Lumen afferre* Havn. uterq., Oxx. sex (in his ψ), Erl., prob. Madvigio, quum h. l. non tam de effectu quam de eo, quod fieri possit, agatur. — *afferet* Steph., Lamb.

§. 162. *Coeli ingentes fornices*] Hoc Ennii fragmentum, quod etiam Varro L. L. V p. 29 Speng. affert, ad Ennii Hecubam refert Hermannus ad Eurip. Hecub. p. 167. — Ad *cavationem* coeli voc. *fornices* spectare, observat Varro l. c. — *Sphæram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius* "Ut probaret translationem in fornicibus coeli a se audacius factam et fortasse a multis reprehensam." Ern. — Hæc explicatio certe præstat ei, quam attulit Heindorf ad Horat. Sat.

Quamvis sphaeram in scenam, ut dicitur, attulerit Ennius, tamen in sphaera fornicis similitudo non potest inesse.

— — Vive Ulixes, dum licet;
Oculis postremum lumen radiatum rape.

non dixit *cape*, non *pete* (haberet enim moram sperantis diutius esse victurum), sed *rape*. Hoc verbum est ad id aptatum, quod ante dixerat, *dum licet*.

XLI. 163. Deinde videndum est, ne longe simile sit ductum. *Syrtim patrimonii*, *scopulum* libentius dixerim; *Charybdim bonorum*, *voraginem* potius. Facilius enim ad ea, quae visa, quam ad illa, quae audita sunt, mentis oculi feruntur. Et quoniam haec vel summa laus est verbi transferendi, ut sensum feriat id, quod translatum sit: fugienda est omnis turpitudo earum rerum, ad quas eorum animos, qui audient, trahet similitudo. 164. Nolo

---

II. 1. 71, ubi dicit *afferre aliquid in scenam* esse i. q. *afferre in notitiam omnium*.

Vive Ulixes] Integer versus, quem ad Niptra Pacuvii refert Bothius Trag. Lat. fragm. p. 278, nunc e Goerenzii emend. ita legitur Cic. II Acad. 28. 89: *Video, video te. Vive Ulixes* (vulgo *vivum, Ulysses*), *dum licet*. — *Esse victurum* Havn. B, Cant., omnes Oxx. (etiam ψ), Guelf. B, C, Erl., Sch., Mueller, Olsh., Or. — *esse sese victurum* nonnulli codd. (*esse si se vict.* Havn. A) et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *se esse vict.* Lamb.

Cap. XLI. §. 163. *verbi transferendi*] Sic Havn. uterq., Guelf. B, C, al. et vulgo edd. inde ab Aldo usque ad Ern.; restituerunt Sch., Olsh., Or. — *verbi translati*, qui Ciceronis verba in suum usum convertit, C. Iul. Victor Art. rhet. p. 98 Maii. — *verbis transferendis* Pal. tert., Mead., Harl. 2, β, ψ, Erl., edd. antiquiss., Ern., Mueller. — *in verbis transferendis* Pal. pr., sec., Pith., Mem., Cant., Harl. 1, Z, ε, δ a sec. manu, Guelf. A, Steph., Lamb., Pearc., Harl.; fortasse recte.

qui audient, trahet] Sic Cant., Z, γ, ε, Guelf. A, Steph., Lamb., Pearc., Sch., Or. — *audient, trahit* C. I. Victor l. c. — *audierint, trahet* excerpt. δ. — *audiunt, trahet* Lott. et vulgo inde ab Aldo. — *audiunt, trahit* Havn. uterq., ψ, Guelf. C, Erl., reliquae edd. antiquiss., Mueller.

§. 164. *nolo morte dici*] Ita Havn. uterq., Erl., al. et

morte dici Africani *castratam* esse rem publicam; nolo *stercus curiae* dici Glauciam; quamvis sit simile, tamen est in utroque deformis cogitatio similitudinis. Nolo esse aut maius, quam res postulet: *tempestas comissationis*; aut minus: *comissatio tempestatis*. Nolo esse verbum angustius id, quod translatum sit, quam fuisset illud proprium ac suum:

Quidnam est, obsecro? quid te adiri abnutas?

melius esset *vetas, prohibes, absterres*; quoniam ille dixerat:

Illico istinc!
Ne contagio mea bonis umbrave obsit.

165. Atque etiam, si vereare, ne paullo durior translatio esse videatur, mollienda est, praeposito saepe verbo: ut si olim, M. Catone mortuo, *pupil-*

---

vulgo edd. inde ab antiquiss. — *nolo dici morte* Cant., Norf., Mead., Harl. 1, *Z, β, γ, δ, ε*, Pearc., Sch. in ed. mai., Olsh. — Ea, quæ h. l. ut turpia vituperat Cicero, vere ab aliquo illius ætatis oratore aliquando dicta esse suspicatur Ellendt prolegg. p. XIX.

Quidnam est, obsecro?] Hic et sequentes versus sunt ex Ennii fabula Thyesta, in qua Thyestes, Pelopis filius, cognita immani Atrei fratris crudelitate (is enim Tantalum et Plisthenem, Thyestæ filios, occisos epulis patri apposuerat; Hygin. fab. 88), sic Chorum allocutus est:

Nolite hospites ad me adire! illico istinc!
Ne contagio mea bonis umbrave obsit;
— tanta vis sceleris in corpore hæret.

Cui ita respondit Chorus:

Quidnam est, obsecro? quid te adiri abnutas?

Cfr. Cic. III Tusc. 12. 26 ibiq. Bentl. — Crassus autem *abnutas* reprehendit, quod non nutu solum, sed etiam verbis Chorum accedere prohibuerat Thyestes.

Illico istinc] Sic Havn. B, et sic coni. Pearc. et Ern. — Vulgo codd. et edd. *illico istic*. — *illico istim* de Bouhierii sententia (Remarques sur les Tusc. de Cic. p. 207) rescripsit Wolfius Tusc. l. c., eumque h. l. secuti sunt recentt. post Sch. Veteres interdum *istim* et *illim* scribere solitos esse contendunt VV. DD., atque antiquas has formas in Plauti codd. Pall. et in nonnullis MSS. epistt. Cic. reperiri testantur P. Victorius ad Cic. ep. ad Fam. VI. 6 et Pareus lex. Plautin. p. 644. Vereor tamen, ut hæ formæ satis firma auctoritate nitantur; nec quidquam de iis ab antiquis Grammaticis adnotatum reperi.

lum senatum quis relictum diceret, paullo durius; sin, *ut ita dicam, pupillum*, aliquanto mitius. Etenim verecunda debet esse translatio, ut deducta esse in alienum locum, non irruisse, atque ut precario, non vi, venisse videatur.

166. Modus autem nullus est florentior in singulis verbis, nec qui plus luminis afferat orationi. Nam illud, quod ex hoc genere profluit, non est in uno verbo translato, sed ex pluribus continuatis connectitur, ut aliud dicatur, aliud intelligendum sit:

— — Neque me patiar iterum
Ad unum scopulum et telum classem Achivum offendere.

Atque illud:

Erras, erras; nam exsultantem te et praefidentem tibi
Repriment validae legum habenae, atque imperi insistent iugo.

---

§. 165. *deducta esse*] Sic Havn. A, Guelf. A, B, C, Erl., al., C. Iul. Victor l. c. et vulgo inde ab antiquiss. edd. usque ad Gronov.; restituerunt Sch. in ed. mai., Olsh., Or. — *esse* om. Gronov. (non Grut., quemadmodum scribit Or.), Ern., Harl., Sch. in ed. min., Mueller. — Statim *irrupisse* pro vulg. *irruisse* exhibent Z, Guelf. A, Victor l. c., Steph., Lamb.

§. 166. *Nam illud*] Significatur *allegoria*, quæ *ex hoc genere* translationis s. metaphoræ *profluit*. Cfr. Cic. Orat. 27. 94: *Iam quum fluxerunt plures continuæ translationes, alia plane fit oratio. Itaque genus hoc Græci appellant ἀλληγορίαν, nomine recte, genere melius ille, qui ista omnia translationes vocat.* — Male Ern. eumque secutus Harl. post *afferat orationi* lacunæ signa posuerunt, excidisse opinati verba: *quam ἀλληγορίᾳ*. Neque enim de allegoria, sed de translatione in præcedentibus agitur, idque ipsum non necesse est repeti, sed e superioribus intelligitur.

Neque me patiar iterum etc.] Sic plerique codd. et vulgo edd. — *iterum* om. Vet. Steph., Guelf. A, Erl. — *et telum* lectionis *iterum* varietatem, *Achivum* glossema esse ratus Beierus præfat. Oratt. Cic. fragm. p. XVI versum septenarium ita restituendum esse censuit:
Neque me patiar iterum ad unum scopulum classem offendere; quæ coniectura nititur auctoritate C. Iul. Victoris p. 99 Maii, a quo hoc fragm. ita citatur: *Neque me patiar ad unum scopulum iterum crasse offendere.* Sed quum Victor etiam in aliis exemplis, quæ ex hoc Ciceronis libro mutua-

167. Sumpta re simili, verba eius rei propria deinceps in rem aliam, ut dixi, transferuntur.

XLII. Est hoc magnum ornamentum orationis, in quo obscuritas fugienda est. Etenim ex hoc genere fiunt ea, quae dicuntur aenigmata. Non est autem in verbo modus hic, sed in oratione, id est in continuatione verborum.

Ne illa quidem traductio atque immutatio in verbo quandam fabricationem habet [sed in oratione]:

---

tus est, afferendis minus accurate versatus sit, equidem vulgatam lectionem h. l. sequi tutius duxi. — Harl. ad h. l. putat allegoriam ductam esse a classis Græcorum Troia redeuntium periculo ad Caphareum, Euboeæ promontorium, Nauplio, Palamedis patre, ignes proferente et Græcos in naufragium alliciente (Hygin. fab. 116), et a telo vel Apollinis, qui Achivorum exercitum pestilentia vexaverit, vel Hectoris in naves illorum irruentis. Bothius vero Trag. Lat. fragm. p. 280 hæc intelligit de Polyxena Achillis manibus immolanda (Eurip. Hecub. init.): "Irata Agamemnoni Diana nexerat moras Aulidenses, quibus ille admonitus, *neque me*, inquit, *patiar etc.* Non eodem modo etiam reditum Græcorum se moraturum dicit, offensis Achille et Thetide ipsoque progenitore Iove, sed potius puellam regiam, sicut olim Iphigeniam filiam suam, immolaturum. Fuerint igitur hæc ex Accii Hecuba vel aliqua similis argumenti tragoedia." — *Erras, erras etc.* Quo referenda sint hæc, non liquet.

Cap. XLII. §. 167. *traductio atque immutatio*] Cic. Orator 27. 93: *Hanc ὑπαλλαγὴν Rhetores, quia quasi summutantur verba pro verbis, μετωνυμίαν Grammatici vocant, quod nomina transferuntur.* Cfr. Quintil. VIII. 6. 23. — Quæ sequuntur: *sed in oratione*, e superioribus repetita et ab h. l. prorsus aliena esse vidit Schuetzius; neque enim metonymia unquam est in oratione, sed in singulis verbis, neque h. l. est oppositio inter fabricationem in verbis et fabricationem in oratione, sed negatur verbi *fabricatio* h. e. nova compositio vel translatio. Cfr. 43. 169. Schuetzius huius loci sensum recte sic exposuit: "Ambiguum est, quomodo ista recte dicantur. Nam *metonymia*, quam ille traductionem s. immutationem dicit, non est in continuatione verborum, sed in verbis singulis. Sic *Africa* pro *Afris* est e singulorum verborum permutatione. Cicero autem hoc significat: in metonymia non fieri alicuius verbi novam quandam fabricationem, sive nova compositione, ut in *saxifragis*, sive veram eius notionem in similem, ut in *mollitur mare*, mu-

Africa terribili tremit horrida terra tumultu.

Pro *Afris* est sumpta *Africa*; neque factum verbum est, ut *Mare saxifragis undis*, neque translatum, ut *Mollitur mare*, sed ornandi causa proprium proprio commutatum.

Desine, Roma, tuos hostes . . .

et

Testes sunt campi magni . .

Gravis est modus in ornatu orationis et saepe sumendus; ex quo genere haec sunt: *Martem belli esse communem*, *Cererem* pro frugibus, *Liberum* appellare pro vino, *Neptunum* pro mari, *curiam* pro senatu, *campum* pro comitiis, *togam* pro pace, *arma* ac *tela* pro bello. 168. Quo item in genere et virtutes et vitia pro ipsis, in quibus illa sunt, appellantur: *Luxuries quam in domum irrupit*, et *Quo avaritia penetravit*, aut *Fides valuit, Iustitia confecit*.

---

tando; sed tantum fieri unius verbi cum alio permutationem, ut quum pro *Afris* dicitur *Africa etc.*"

Africa terribili] Hic versus, qui ex Ennii annalibus est, citatur etiam ep. ad Fam. IX. 7, Orat. l. c., Fest. v. *metonymia*.

Desine, Roma, tuos hostes] In Ennii annalibus vel alio carmine epico de rebus gestis Africani maioris (cfr. Porphyr. ad Horat. Sat. II. 1. 16, Suidas voc. Ἔννιος) inducebatur *Africanus cum patria illo modo loquens*:

Desine, Roma, tuos hostes . . . . .
Nam tibi munimenta mei peperere labores.

Vide Cic. II. Fin. 32. 106. — Ad prioris versus fragmentum *timendi* verbum supplendum videtur. Perperam hos versus et sq. *testes sunt* ad Ennii Scipionem *tragoediam* refert Bothe Trag. Lat. fragm. p. 60.

Testes sunt campi magni] Columna ad Ennii fragm. p. 169 ed. Hessel. et Victorius VV. LL. X. 2 putant significari *Campos* illos *Magnos* (*Μεγάλα πεδία*), quos commemorant Liv. XXX. 8 et Polyb. XIV. 8. 2.

Martem belli esse communem] Pro: belli fortunam incertam esse. Exempla huius locutionis ex Ciceronis scriptis collegit Manut. ad ep. ad Fam. VI. 4; cfr. etiam Matth. ad orat. p. Sest. 5. 12.

Videtis profecto genus hoc totum, quum inflexo commutatoque verbo res eadem enuntiatur ornatius; cui sunt finitima illa minus ornata, sed tamen non ignoranda, quum intelligi volumus aliquid, aut ex parte totum, ut pro aedificiis quum *parietes* aut *tecta* dicimus; aut ex toto partem, ut quum unam turmam *equitatum populi Romani* dicimus; aut ex uno plures:

At Romanus homo, tamen etsi res bene gesta est,
Corde suo trepidat;

aut quum ex pluribus intelligitur unum:

Nos sumu' Romani, qui fuvimus ante Rudini;

aut quocunque modo, non ut dictum est, in eo genere intelligitur, sed ut sensum est.

XLIII. 169. Abutimur saepe etiam verbo non tam eleganter quam in transferendo, sed, etiamsi licentius, tamen interdum non impudenter: ut quum *grandem orationem* pro longa, *minutum animum* pro parvo dicimus. Verum illa videtisne esse non

---

§. 168. *illa minus ornata*] Quintil. VIII. 6. 19: *Synecdoche — variare sermonem potest, ut ex uno plures intelligamus, parte totum, specie genus, præcedentibus sequentia, vel omnia hæc contra; liberior poetis quam oratoribus etc.* Auct. ad Herenn. IV. 33. 44 hanc figuram *intellectionem* vocat.

At Romanus homo — Nos sumu' Rom.] Hæc ex Ennii annalibus petita esse videntur; in posteriore fragm. de se ipso loquitur poeta; cfr. ad I. 34. 154. — *Fuvimus* pro *fuimus* ex antiquo scribendi more leg. esse iam Lamb. observavit, et sic ediderunt Pearc. et recentt. post Sch.

Cap. XLIII. §. 169. *Abutimur sæpe etiam verbo*] Cic. Orat. 27. 94: *Aristoteles translationi — subiungit — abusionem, quam κατάχρησιν vocant: ut quum minutum dicimus animum pro parvo, et abutimur verbis propinquis, si opus est, vel quod delectat, vel quod decet.* Cfr. Auct. ad Herenn. IV. 33. 45, Quintil. VIII. 6. 34.

pro longa] Sic Z, γ, excerpt. δ, tres codd. Regii, Guelf. A, Victor p. 99, Steph., Lamb., Or. — *pro magna* Havn. A (Havn. B hæc verba omittit), al. et vulgo edd. inde ab antiquiss. — *Ut exposui* c. 41. 166. — *Hæc autem etc.* Cfr. Orat. 27. 93.

verbi, sed orationis, quae ex pluribus, ut exposui, translationibus connexa sunt? haec autem, quae aut immutata esse dixi aut aliter intelligenda, ac dicerentur, sunt translata quodam modo. 170. Ita fit, ut omnis singulorum verborum virtus atque laus tribus exsistat ex rebus: si aut vetustum verbum sit, quod tamen consuetudo ferre possit; aut factum vel coniunctione vel novitate, in quo item est auribus consuetudinique parcendum; aut translatum, quod maxime tamquam stellis quibusdam notat et illuminat orationem.

171. Sequitur continuatio verborum, quae duas res maxime, collocationem primum, deinde modum quendam formamque, desiderat. Collocationis est componere et struere verba sic, ut neve asper eorum concursus neve hiulcus sit, sed quodammodo coagmentatus et laevis. In quo lepide soceri mei persona lusit is, qui elegantissime id facere potuit, Lucilius:

---

§. 171. *Neve asper — neve hiulcus*] Cfr. §. 172 et C. Iul. Victor p. 99 sq., cuius hæc sunt verba: *Ne sit hiulca vocalium et maxime longarum crebra concursione; — ne aspera consonantium conflictu earum, quæ sunt asperiores, ut si .s. ultima cum .x. confligat.*

soceri mei persona] Sic plerique codd. (etiam Havn. uterq.), Ven. et vulgo inde ab Ald. usque ad Ern.; restituit Or. — *soc. mei personam* reliquæ edd. antiquiss., Ascens., quod frustra defendere conatus est Ern. — *in soceri mei persona* ex Erl. ediderunt plerique recentt. post Ern. — De *Lucilio* vide ad I. 16. 72, ubi Lucilius *Scævolæ subiratus* dicitur. Ne principibus quidem rei publicæ pepercisse hunc poetam in satiris, intelligitur ex Horat. satir. II. 1. 62 sqq.; eademque eum scribendi licentia in Mucium Scævolam usum esse tradunt Iuvenal. I. 154 (quem locum male vulgo de alio quodam Mucio interpretantur VV. DD.) et Persius I. 114 sq. Lucilius num in eadem satira, qua in Albucium sub Scævolæ persona illusit, ipsum simul Scævolam læserit, non constat; ad eandem certe satiram referendum est fragmentum ap. Cic. I. Fin. 3. 9, in quo Scævola prætor Athenis Albucium, qui se Græcum quam Romanum dici maluerit, Græce salutat. His autem versibus, quibus puerilem Albucii in verbis collocandis laborem exagitat Lucilius (cfr. Cic. Orat. 44.

Quam lepide lexeis compostae! ut tesserulae omnes
Endo pavimento atque emblemate vermiculato.

Quae quum dixisset in Albucium illudens, ne a me quidem abstinuit:

Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis.

Quid ergo? iste Crassus, quoniam eius abuteris nomine, quid efficit? idem illud scilicet, ut ille voluit,

---

149), simul ut insanum rerum Græcarum amorem carpat, Græca vocabula immiscet. — De *Albucio* vide ad II. 70. 281.

Quam lepide lexeis] Uterque versus exstat etiam Orat. 44. 149 et ap. Non. voc. *vermiculatum* (II. 918 p. 590 Gothofr.); posterior citatur a Plinio H. N. XXXVI. 61, ad eumque alludunt Cic. Brut. 79. 274 et Quintil. IX. 4. 113. — Horum versuum sensum bene exposuit Strebæus, cuius hæc sunt verba: "Lexeis, i. e. verba tua, o Albuci, lepide et eleganter composita coagmentataque sunt in oratione, ut in pavimento vel emblemate omnes tesserulæ sunt arte compositæ. *Tesserulæ* sunt lapilli vel lateres quadrati, quibus ædium solum consternitur, opusque tesserulis [s. crustis] apte consertum et effigie rerum animaliumque distinctum [cfr. Plin. H. N. XXXV. 1] *emblema vermiculatum* vocatur." — De emblemate vermiculato (kunstigen indlagt Musivarbeide) vide quæ disputarunt Ern. in clav. Cic. voc. *vermiculatus* et intt. ad Sueton. Iul. 46. Cfr. Orell. Inscriptt. Vol. II. p. 258 N. 4239 et 4240, ubi exstat *vermiculum sternere*.

omnes Endo pavimento] Sic veteres aliquot libri, quos inspexit Ursinus, Lamb., Lallem., le Clerc, Harl., Olsh., atque ex hac lectione natum esse videtur illud *ante pavim.*, quod Plin. l. c. in edd. ante Harduinum exstat. — *omnes Arte pavimento* omnes Ciceronis codd., Non. l. c. et vulgo inde ab antiquiss. edd. Sed particula *in*, pro qua veteres dixere *endo* (cuius formæ multa exempla attulit Lamb. ad h. l.), deesse nullo modo potest; *arte* tesserulas componi sane supervacuum erat dicere, quum tota sententia in arte describenda versaretur. Quod Meyerus ad Or. l. c. vulgatam lectionem retinens sic distinguit: *ut tesserulæ, omnes arte, pavimento atque*, et *arte* generalem notionem exprimi, tum sequi duas species *pavimento* i. e. pavimentando (!) et *emblemate* dicit, id vero nihil est. — Schuetzius, quem sequitur Muellerus, edidit *arte Endo pavimento*, temere eiecto sano vocabulo *omnes*, quod codd. et edd. sine ulla discrepantia exhibent.

ut ille voluit] Sic omnes codd. (nisi quod *vult* Vet. Steph.) et vulgo edd. — *ut et ille voluit* Lamb. — *quod ille voluit* ex Ernestii coni. Sch., Harl., Mueller, Olsh., qua correctione nequaquam tollitur difficultas; nulla enim tum coniunctio est inter *ille voluit* atque *et ego vellem*, et si

et ego vellem, melius aliquanto quam Albucius. Verum in me quidem lusit ille, ut solet. 172. Sed est tamen haec collocatio conservanda verborum, de qua loquor, quae iunctam orationem efficit, quae cohaerentem, quae lenem, quae aequabiliter fluentem. Id assequemini, si verba extrema cum consequentibus primis ita iungetis, ut neve aspere concurrant neve vastius diducantur.

XLIV. 173. Hanc diligentiam subsequitur modus etiam et forma verborum, quod iam vereor ne huic Catulo videatur esse puerile. Versus enim veteres illi in hac soluta oratione propemodum, hoc est, numeros quosdam, nobis esse adhibendos putaverunt. Interspirationis enim, non defatigatione nostra neque librariorum notis, sed verborum et sen-

---

ille, ut vulgo fit, ad Albucium refertur, illud molestum est, quod pronomen nomini præcedit, quum debuerit esse: *Albucius voluit — quam ille*. Madvigius vulgatam lectionem fortasse sanam esse, sed *ille* ad Lucilium referendum putat, hoc sensu: Re ipsa idem illud in oratione efficere conor, numerum quendam et aptam verborum collocationem, modo hoc, quemadmodum postulavit Lucilius, et ego, ut mihi contingeret, vellem, melius aliquanto fiat, quam Albucius fecit; idem utrique nostrum est studium; sed Albucius nimius in eo fuit.

Cap. XLIV. §. 173. *modus — et forma*] Cfr. Orat. 49 sqq., ubi accurate de hac re disputat Cicero.

Interspirationis enim, non defatigatione nostra etc.] Sic bene difficilem hunc locum correxit Pearcius: Veteres illi voluerunt in orationibus esse *clausulas interspirationis* h. e. eo consilio factas, ut interspiraremus, easque clausulas interpunctas (distinctas) esse non defatigatione nostra neque librariorum notis, sed etc. Pearcii emendationem recepit Sch. (quem secuti sunt Harl., Mueller et Olsh.), qui præterea edidit *interspirationes*, quod minus durum quam vulg. *interspirationis* esse non negamus. Schuetzii emendationem quomodo mirum ἀσύνδετον et contra sensum esse dicere potuerit Orellius, mirum sane est; ἀσύνδετον equidem nullum reperio; quod adversus sensum hanc emendationem esse contendit Or., id potius de vulgata lectione: *interspirationis enim, non defatigationis nostræ, neque etc.* dicendum est, quam retinuit et sic explicavit: "In orationibus esse voluerunt clausulas interspirationis, non defatigationis nostræ, id

tentiarum modo interpunctas clausulas in orationibus esse voluerunt; idque princeps Isocrates instituisse fertur, ut inconditam antiquorum dicendi consuetudinem delectationis atque aurium causa (quemadmodum scribit discipulus eius Naucrates) numeris adstringeret. 174. Namque haec duo musici, qui erant quondam iidem poëtae, machinati ad voluptatem sunt, versum atque cantum, ut et verborum numero et vocum modo delectatione vincerent aurium satietatem. Haec igitur duo, vocis dico moderationem et verbor-

---

est, ubi non, propter defatigationem, vocem comprimere cogeremur, sed ubi libere et commode interspiraremus; easdemque clausulas interpunctas voluerunt, non librariorum notis, sed cet." In qua interpretatione ea coniunxit Or., quæ coniungi non possunt: defatigatio nos vocem comprimere et interspirare cogit, et clausulæ interspirationis sunt clausulæ, ubi interspiremus; sed tum *claus. defatigationis* quæ aliæ esse possunt quam clausulæ, ubi defatigemur? aut quomodo *interspiratio* et *defatigatio* inter se comparari vel opponi possunt? Neque vero hæc vocc. opponi, sed posteriorem vocem ad sequentia trahendam esse, *defatigationem*que simul et *librar. notas* opponi *verborum et sententiarum modo* perspicitur ex alio Ciceronis loco, quem apte comparavit Pearc., Orat. 68. 228: *Oratio, quæ non aut spiritu pronuntiantis aut interductu librarii, sed numero coacta debet insistere*; cfr. Aristot. Rhet. III. 8. 6, unde hoc præceptum desumpsit Cicero: *Δεῖ — δήλην εἶναι τὴν τελευτὴν μὴ διὰ τὸν γραφέα μηδὲ διὰ τὴν παραγραφήν, ἀλλὰ διὰ τὸν ῥυθμόν.*

princeps Isocrates] Cfr. Cic. Brut. 8. 30. In Orat. autem 52. 175 neminem in eo genere scientius versatum esse Isocrate scribit, sed principes inveniendi fuisse Thrasymachum et Gorgiam; cfr. ibid. 12. 39, 13. 40. — De *Isocrate* v. ad II. 3. 10, de *Naucrate* ad II. 23. 94.

§. 174. *delectatione*] Hoc voc. ut spurium uncis incluserunt Ern. et Harl., delevit Sch., corruptum censuerunt Mueller et Or., quorum ille recepit coni. Waardenburgi (Opusc. orat. poet. crit. p. 155) *delicatiorem*, hic pro *modo delectatione* leg. putavit *modulatione*. Fortasse tamen hoc voc. defendi potest similibus locis, ubi duo ablativi paullo diversa vi ponuntur, ita ut h. l. dicamus abl. instrumenti et abl. modi iunctos esse. Haud pauca duplicis ablativi exempla attulit Matth. ad or. p. Muren. 40. 87. Adde Cic. Prov. Cons. 9. 22 extr.: *Cuius litteris celebrantur aures meæ novis nominibus*, et ibid. 14. 34: *Æstas vel metu vel spe — potest totam Galliam sempiternis vinculis adstringere.*

rum conclusionem, quoad orationis severitas pati possit, a poëtica ad eloquentiam traducenda duxerunt. 175. In quo illud est vel maximum, quod, versus in oratione si efficitur coniunctione verborum, vitium est, et tamen eam coniunctionem, sicuti versum, numerose cadere et quadrare et perfici volumus. Neque est ex multis res una, quae magis oratorem ab imperito dicendi ignaroque distinguat, quam quod ille rudis incondite fundit, quantum potest, et id, quod dicit, spiritu, non arte, determinat; orator autem sic illigat sententiam verbis, ut eam numero quodam complectatur et adstricto et soluto. 176. Nam quum vinxit modis et forma, relaxat et liberat immutatione ordinis, ut verba neque alligata sint quasi certa aliqua lege versus, neque ita soluta, ut vagentur.

XLV. Quonam igitur modo tantum munus insistemus, ut arbitremur nos hanc vim numerose dicendi consequi posse? Non est res tam difficilis quam necessaria. Nihil est enim tam tenerum neque tam flexibile neque quod tam facile sequatur, quocunque ducas, quam oratio. 177. Ex hac versus, ex eadem dispares numeri conficiuntur; ex hac haec etiam soluta variis modis multorumque generum oratio. Non sunt enim alia sermonis, alia contentionis verba, neque ex alio

---

§. 175. *et quadrare*] *et quadrari* e coni. ediderunt Sch. et Muellerus.

§. 176. *vinxit modis et forma, relaxat*] "*Modi* sunt pedes, *forma* est in structura. In modis relaxatio est, quum non severe exiguntur pedes ad certum versus metrum; in forma, quum non exiguntur tot pedes, quot sunt in versu poetico." Ern.

Cap. XLV. §. 177. *dispares numeri*] Numeri oratorii, qui sunt in verborum ambitu s. periodo; cfr. Orat. 68. 227. — *Non sunt enim* Sch., Mueller, Or. — Vulgo *non enim sunt*; vide ad I. 2. 7. — *Alia sermonis, alia contentionis verba* Auct. ad Herenn. III. 13. 23: *Sermo est oratio remissa et finitima quotidianae locutioni; contentio est oratio acris et ad confirmandum et ad confutandum accommodata.* Cfr. Ellendt ad Brut. 68. 239.

genere ad usum quotidianum, alio ad scenam pompamque sumuntur; sed ea nos quum iacentia sustulimus e medio, sicut mollissimam ceram ad nostrum arbitrium formamus et fingimus. Itaque ut tum graves sumus, tum subtiles, tum medium quiddam tenemus, sic institutam nostram sententiam sequitur orationis genus, idque ad omnem et aurium voluptatem et animorum motum mutatur et vertitur.

178. Sed ut in plerisque rebus incredibiliter hoc natura est ipsa fabricata, sic in oratione, ut ea, quae maximam utilitatem in se continerent, eadem haberent plurimum vel dignitatis vel saepe etiam venustatis. Incolumitatis ac salutis omnium causa videmus hunc statum esse huius totius mundi atque naturae, rotundum ut coelum, terraque ut media sit, eaque sua vi nutuque teneatur; sol ut circumferatur, ut accedat ad brumale signum et inde sensim adscendat in diversam partem; ut luna accessu et re-

---

Itaque ut tum] Sic Sch. e coni., eumque secuti sunt Harl., Mueller, Or. — Vulgo codd. et edd. inde ab antiquiss. *itaque tum.*

ad omnem et aurium voluptatem] Sic Pal. pr., sec., Pith., Mem., Z, Guelf. A, Erl. (in quibus tamen omnibus om. partic. *et*), et sic ediderunt Sch., Harl., Mueller, Or. Cfr. Quintil. IX. 4. 9. — Vulgo codd. et edd.: *ad omnem rationem et aurium volupt.*

§. 178. *nutuque*] Cic. II. N. D. 39. 98: *Principio terra universa cernatur locata in media sede mundi, solida et globosa et undique ipsa in sese nutibus suis conglobata;* ad quem locum Wyttenb. hæc observavit: "*Nutus* a Græcis νεῦσις, ab hodiernis dicitur *tendentia*, quia omnes partes terræ in ipsam tendunt. In medio debent convenire earum pulsus et efficere earum vim centripetam, quam hodierni ita vocarunt." Cfr. eund. et Stallbaum. ad Platonis Phædon. p. 109 A. — *Ad brumale signum* i. e. tropicum Capricornum; cfr. Cic. III. N. D. 14. 37, Timæus 9. — *Quinque stellæ*, quæ errantes et quasi vagæ nominantur (Cic. I. de rep. 14). Quinque hi planetæ veterum sunt: Saturnus (Φαίνων), Iuppiter (Φαέθων), Mars (Πυρόεις), Mercurius (Στίλβων), Venus (Φωσφόρος). Vide Cic. II. N. D. 20. 52 sq.

cessu suo solis lumen accipiat; ut eadem spatia quinque stellae dispari motu cursuque conficiant. 179. Haec tantam habent vim, ut paullum immutata cohaerere non possint; tantam pulchritudinem, ut nulla species ne excogitari quidem possit ornatior. Referte nunc animum ad hominum vel etiam ceterarum animantium formam et figuram. Nullam partem corporis sine aliqua necessitate affictam totamque formam quasi perfectam reperietis arte, non casu.

XLVI. Quid? in arboribus, in quibus non truncus, non rami, non folia sunt denique nisi ad suam retinendam conservandamque naturam, nusquam tamen est ulla pars nisi venusta. 180. Linquamus naturam artesque videamus. Quid tam in navigio necessarium quam latera, quam cavernae, quam prora, quam puppis, quam antennae, quam vela, quam mali? quae tamen hanc habent in specie venustatem, ut non solum salutis, sed etiam voluptatis causa inventa esse videantur. Columnae et templa et porticus sustinent; tamen habent non plus utilitatis quam dignitatis. Capitolii fastigium illud et ceterarum aedium non venustas, sed necessitas ipsa fabricata est. Nam quum esset habita ratio, quemadmodum ex utraque tecti parte aqua delaberetur: utilitatem templi fastigii dignitas consecuta est; ut, etiamsi in coelo statuere-

---

§. 179. *ne excogitari quidem*] H. e., ne si fingere quidem volueris, cogitari, quemadmodum interpretatur Beierus ad III. Off. 8. 36 p. 243. — *ne cogitari quidem* Havn. uterq., duo Steph. codd., *Z (nec)*, *γ*, *δ*, *ψ*, Guelf. A, B, C, Erl., prob. Schuetzio.

Cap. XLVI. §. 180. *quam cavernae*] Sic omnes fere codd., Med. utraque, Pearc. et recentt. post Ern. — *carinae* Ven., Lott., Lips. Thgnneri et vulgo post Ald. — *carina* Lamb. — Quae sint cavernae in navigio, docet Serv. ad Virgil. Æn. II. 19: *Alii fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulae adfiguntur, cavernas appellarunt.*

utilitatem templi fastigii dignitas] Hunc verborum ordinem ineptum esse iudicans Sch. corrigit: *utilitatem fasti-*

tur, ubi imber esse non posset, nullam sine fastigio dignitatem habiturum fuisse videatur. 181. Hoc in omnibus item partibus orationis evenit, ut utilitatem ac prope necessitatem suavitas quaedam et lepos consequatur. Clausulas enim atque interpuncta verborum animae interclusio atque angustiae spiritus attulerunt. Id inventum ita est suave, ut, si cui sit infinitus spiritus datus, tamen eum perpetuare verba nolimus. Id enim auribus nostris gratum est inventum, quod hominum lateribus non tolerabile solum, sed etiam facile esse posset.

XLVII. 182. Longissima est igitur complexio verborum, quae volvi uno spiritu potest. Sed hic naturae modus est, artis alius. Nam quum sint numeri plures, iambum et trochaeum frequentem segregat ab oratore Aristoteles, Catule, vester, qui na-

---

gii templi dignitas consecuta est, eumque secuti sunt Harl. et Muellerus. Hos vituperans Orellius alterum genitivum ab altero pendere dicit construendumque hoc modo: *dignitas consecuta est utilitatem fastigii templi*, quod durissimum est et vix ferendum, non solum, quod sic duo genitivi inter duo substantiva positi ad alterutrum modo referuntur, quum nihil impediat, quominus suum utrumque genitivum regat, sed etiam, quod tum satis foret *fastigii* omisso voc. *templi*, quum *Capitolii* fastigium iam ante nominatum esset. Et quis tandem hic verborum ordo: *utilitatem templi fastigii?* Immo construendum videtur, quemadmodum linguæ ratio postulat, et ea, quæ præcedunt, suadent: *dignitas fastigii consecuta est utilitatem templi*, quod Olsh. recte ita explicavit: "Ei, quod postulabat usus templi, adiuncta est pulchritudo fastigii." In fastigio inerat dignitas, sed hæc dignitas simul cum fastigio ipso profecta erat ab eo, quod templi utilitas postulabat. — Capitolii aliarumque ædium Romanarum fastigia cælatis operibus et signis fictilibus vel æreis inauratis ornata erant. Plin. H. N. XXXV. 46, Vitruv. III. 3(2). 5; cfr. K. O. Mueller Etrusker P. II. p. 246 sqq.

habiturum fuisse] Sic plerique codd. et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *habiturum esse* ex Erl. edidit Ern., eumque secuti sunt Sch. in ed. mai., Harl. et Mueller.

§. 181. *Id inventum ita*] Voc. *inventum* delevit Muellerus, prob. Or., qui uncis inclusit. — *id autem ita* e coni. edidit Schuetz.

tura tamen incurrunt ipsi in orationem sermonemque nostrum; sed sunt insignes percussiones eorum numerorum et minuti pedes. Quare primum ad heroum nos pedem invitat, in quo impune progredi

Cap. XLVII. §. 182. *Quare primum ad heroum nos etc.*] Hunc locum sanavit Madvigius, cuius egregiam emendationem non dubitavi in Ciceronis verba recipere. Vulgo ita legitur: *Quare primum ad heroum nos dactyli et anapæsti et spondei pedem invitat, in quo impune progredi licet duo dumtaxat pedes aut paullo plus, ne plane in versum aut similitudinem versuum incidamus. Aliæ sunt geminæ, quibus hi tres heroi pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt.* In his singula quædam verba Lambinum et Schuetzium offenderunt; universi loci perversitatem neque hi viderunt, neque Orellius sensisse videtur, qui integram vulgatam lectionem exhibet. Iam singula videamus. Ac primum quidem quid est *pes herous dactyli*, *pes herous anapæsti etc.?* Hoc non esse Ciceronis sensit Lambinus, qui partim coniectura ductus, partim, ut ait, a veteribus codd. adiutus, partim a verbis, quæ proxime sequuntur, admonitus reposuit: *Quare plurimum ad heroos nos pedes, dactylum et anapæstum et spondeum, invitat.* Sed quomodo omnino inter pedes heroicos numerari potest anapæstus, quem neque Aristoteles nec alii unquam in hoc genere commemorant? Deinde ad vocc. *aliæ sunt geminæ* interpp. intelligunt percussiones, quod voc. longe remotum est et supra obiter nominatum, ut h. l. de pedum diversa percussione (*pulsu* Quintil. IX. 4. 136, quem nos *ictum* dicimus) indeque nata pedum divisione sermo esse non possit. Obiter *percussiones* supra nominatas esse intellexit Pearc., qui pro *insignes* coni. *singulæ*, ut h. voc. responderet sequenti *geminæ*. Verum quid est: *aliæ percussiones sunt geminæ?* nam percussiones quidem ipsæ sunt singulæ, sed *pedum* possunt esse plures percussiones; itaque si cetera sana essent, præferenda foret emendatio Schuetzii: *aliis sunt geminæ*. — Sequitur *quibus hi — cadunt*, quod sine sensu esse vidit Sch.; sed non melius procedit, si legas *cedunt*, quemadmodum e coni. ediderunt Sch., Harl., Mueller. Quod *aliæ — quibus* de pæonicis numeris dictum esse putat Sch., de his in sequentibus demum agitur. — Vulgatæ lectionis ulcera vides; iam eorum, quæ ad ea sananda attulit Madvigius, rationem consideremus. Si hunc locum cum Aristot. Rhet. III. 8 et Cic. Orat. 57 comparamus, Aristotelem non nisi de *iambo*, *trochæo*, *heroo* (h. e. dactylo, cfr. Quintil. IX. 4. 88, cui parem spondeum Aristoteles, pedes intervallis, non, ut Ephorus, syllabis metiens, posuisse videtur; cfr. Orat. 57. 194) et *pæone* disputasse apparet. Aristoteles autem l. c. heroum numerum dicit esse σεμνὸν καὶ οὐ λεκτικόν, neque aliter hunc Aristote-

licet duo dumtaxat pedes aut paullo plus, ne plane in versum aut similitudinem versuum incidamus: † *Altae sunt geminae, quibus* — Hi tres pedes in principia continuandorum verborum satis decore cadunt. 183. Probatur autem ab eodem illo maxime paeon, qui est duplex. Nam aut a longa oritur, quam tres breves consequuntur, ut haec verba, *desinite,*

---

lis locum legisse Ciceronem (quod Schuetzio in mentem venit) perspicitur ex Orat. 57. 192: *Quod longe Aristoteli videtur secus, qui iudicat heroum numerum grandiorem, quam desideret soluta oratio.* Hoc tamen loco Cicero sub Crassi persona magis Ephorum (Orat. l. c. §. 191) quam Aristotelem secutus heroum commendat (cfr. infra §. 191); quod Aristotelis eam sententiam esse putavit, in eo erravit. Neque tamen silentio prætereundum est, *invitant* exstare in Guelf. B, C, Med. utraque, Lott. (*immutant* Havn. A), idque placet Schuetzio et Muellero, ut hoc præceptum non Aristoteli, sed aliis quibusdam rhetoribus tribuatur; recte tamen idem Schuetzius hanc lectionem non bene cum nexu antecedentium et consequentium verborum conciliari posse observat. Cicero igitur Aristotelem, ut putat, auctorem secutus primum commemorat iambum et trochæum (*trochæum* autem quem dicit, adversus Aristotelis, sententiam *tribrachyn* intelligit; vide Orat. 64. 217: *Trochæus, qui habet tres breves;* cfr. ibid. 57. 191, Spalding ad Quintil. IX. 4. 88); deinde de heroo pede usque ad §. 183 deque eo solo agit; verba *dactyli et anapæsti et spondei* apertissimum sunt glossema, natum ex sequente *hi tres*, cui quum librarii adscripsissent glossema *heroi*, neque tres heroos in antecedentibus viderent, ipsi hos tres heroos suo more extricarunt, ignari verba *hi tres* ad iambum, trochæum et heroum referenda esse. Cum his verbis voc. *quibus* nullo modo coniungi potest; pro vulgata lectione *aliæ sunt* Pal. pr., sec., Mem. (cod. Lamb.), *s* exhibent *alteræ sunt;* Pith. et Z *altæ sunt.* Ab hoc ipso corrupto vocabulo *altæ* (num *aræ?*) incipit exemplum ex oratione aut historici alicuius libro desumptum, atque ut plura huius libri exempla omisso auctore positum: *ăltaē|sūnt gĕmĭ|naē quĭbŭs;* quo exemplo ostendit Crassus, in heroo duo dumtaxat pedes progredi licere, ne in versum aut similitudinem versuum incidamus. Denique ea, quæ supra accuratius exposuit, paucis complectitur verbis: *Hi tres pedes — cadunt*, atque inde iam ad quartum numerum pæonem transit.'

§. 183. *ab eodem illo*] Aristot. Rhet. III. 8. 5. — *Qui est duplex* Alter est is, quem nos pæonem primum, alter, quem quartum dicimus.

incipite, comprimite; aut a brevibus deinceps tribus, extrema producta atque longa, sicut illa sunt, *domuerant, sonipedes*. Atque illi philosopho ordiri placet a superiore paeone, posteriore finire. Est autem paeon hic posterior non syllabarum numero, sed aurium mensura, quod est acrius iudicium et certius, par fere cretico, qui est ex longa et brevi et longa; ut

Quid petam praesidi, aut exsequar? quove nunc...

A quo numero exorsus est Fannius: *Si, Quirites, minas illius*, Hunc ille clausulis aptiorem putat, quas vult longa plerumque syllaba terminari.

XLVIII. 184. Neque vero haec tam acrem curam diligentiamque desiderant, quam est illa poëtarum, quos necessitas cogit et ipsi numeri ac modi sic verba versu includere, ut nihil sit ne spiritu quidem minimo brevius aut longius, quam necesse est. Liberior est oratio et plane, ut dicitur, sic est vere soluta; non ut fugiat tamen aut erret, sed ut sine vinculis sibi ipsa moderetur. Namque ego illud assentior Theophrasto, qui putat, orationem, quae qui-

---

Quid petam præsidi] Vide ad III. 26. 102. — *C. Fannius Strabo*, Caii fil., cos. a. U. 632 (122) cum Cn. Domitio Ahenobarbo, C. Graccho, qui legem de civitate Italicis danda promulgaverat, summa vi restitit atque auctore senatu socios et Latinos Roma exterminavit. Plutarch. C. Gracch. 12; cfr. Cic. III. Off. 11. 47 ibiq. Beier. *Is unam orationem de sociis et nomine Latino contra Gracchum reliquit, sane et bonam et nobilem*, Cic. Brut. 26. 99; eius orationis fragmentum servavit C. Iul. Victor Art. rhet. p. 51 Mai., eiusdemque orationis exordium exempli loco hic affert Crassus.

Cap. XLVIII. §. 184. *sic est vere*] Ita Havn. A, Pal. pr., sec., duo Gallicani, Z, α, γ, ε, Guelf. A, Erl., edd. antiquiss., Steph., Lamb., Sch. in ed. mai., Harl., Mueller, Olsh., Or. — *sic et est vere* Havn. B, al. et vulgo inde ab Aldo.

illud assentior Theophrasto, qui putat] Schuetzius et post eum Harl. et Muellerus ediderunt: *quod putat*, propter *illud*, quod præcedit. Verum haud raro Cicero id, quod ad demonstrativum referri debebat, per relativum alio modo ad-

dem sit polita atque facta quodam modo, non adstricte, sed remissius numerosam esse oportere. 185. Etenim, sicut ille suspicatur, ex istis modis, quibus hic usitatus versus efficitur, post anapaestus, procerior quidam numerus, effloruit; inde ille licentior et divitior fluxit dithyrambus, cuius membra et pedes, ut ait idem, sunt in omni locupleti oratione diffusa. Et si numerosum est id in omnibus sonis atque vocibus, quod habet quasdam impressiones, et quod metiri possumus intervallis aequalibus: recte genus hoc numerorum, dummodo ne continuum sit, in orationis laude ponetur. Nam si rudis et impolita putanda est illa sine intervallis loquacitas perennis et profluens, quid est aliud causae, cur repudietur, nisi quod hominum auribus vocem natura modulatur ipsa?

---

iungit, ut supra II. 77. 313: *Atque etiam in illo reprehendo eos, qui — collocant;* de Prov. Cons. 15. 36: *Nam illæ sententiæ virorum clarissimorum minime probandæ sunt; quorum alter etc.* — De *Theophrasto* vide ad I. 13. 55.

facta quodam modo] H. e. ornata et diligenter elaborata; cfr. Cic. Brut. 8. 30: *accurata et facta quodam modo oratio*, ibique Ellendt.

§. 185. *ex istis modis*] Sic Guelf. A, Erl., Sch., Mueller, Or. — Vulgo: *ex illis modis.* — *ex his modis* marg. Crat. — *Dithyrambus* "dicebatur hymni genus, quod Baccho cani solebat. — Hoc carminis genus ita compositum erat, ut inventione, dictione et numeris a castigata ratione abiret longius, et miram licentiam audaciamque cum tumore quodam referret, ut non tam a sanis et sobriis, quam concitatis furore Bacchico videretur scriptum Lyricis, naturamque illius dei, cuius honori dedicatum erat, imitaretur." Casaubon. de satyr. poesi in Crenii Misc. philol. p. 11 sqq. Cfr. Horat. Od. IV. 2. 10 sqq.

rudis et impolita] Sic Pal. pr., sec., Mem. (V. ST.), Pith., al. et vulgo post Grut. — *rudis et indocta* Havn. uterq., β, γ, δ, et vulgo inde ab antiquiss. edd. usque ad Grut.; restituerunt Sch. in ed. mai. et Olsh., prob. Orell.

hominum auribus vocem natura modulatur ipsa] Ita Ursini codd., Pith., Mem., excerpt. δ, prob. Pearcio, qui comparat Cic. Orat. 18. 58; receperunt Sch. et Or. — *hom. vocem natura modulatur ipsa* Vet. Steph., Lamb. — *hom. aures vocem natura modulantur ipsa* Havn. A, Victorius, Man., Steph., Grut., Olsh. — *hom. aures vocem naturæ modulantur*

quod fieri, nisi inest numerus in voce, non potest. 186. Numerus autem in continuatione nullus est; distinctio et aequalium et saepe variorum intervallorum percussio numerum conficit; quem in cadentibus guttis, quod intervallis distinguuntur, notare possumus, in amni praecipitante non possumus. Quod si continuatio verborum haec soluta multo est aptior atque iucundior, si est articulis membrisque distincta, quam si continuata ac producta: membra illa modificata esse debebunt; quae si in extremo breviora sunt, infringitur ille quasi verborum ambitus; sic enim has orationis conversiones Graeci nominant. Quare aut paria esse debent posteriora superioribus, extrema primis, aut, quod etiam est melius et iucundius, longiora.

XLIX. 187. Atque haec quidem ab iis philosophis, quos tu maxime diligis, Catule, dicta sunt; quod eo saepius testificor, ut auctoribus laudandis ineptiarum crimen effugiam.

Quarum tandem? inquit Catulus; aut quid disputatione ista afferri potest elegantius, aut omnino dici subtilius?

188. At enim vereor, inquit Crassus, ne haec aut difficiliora istis ad persequendum esse videantur, aut, quia non traduntur in vulgari ista disciplina, nos ea maiora ac difficiliora videri velle videamur.

---

ipsæ Havn. B, Pall. posteriores, plerique Oxx. (etiam ψ), edd. antiquiss., Ald., Iunt. — *hom. aures vocem natura modulantur ipsæ* Z, Erl., Ern., Harl., Mueller.

§. 186. *verborum ambitus; sic enim — Græci nom.*] Cfr. Cic. Orat. 61. 204: *In toto circuitu illo orationis, quem Græci περίοδον, nos tum ambitum, tum circuitum, tum comprehensionem aut continuationem aut circumscriptionem dicimus.* — Periodum *circuitum et quasi orbem verborum* dicit infra 51. 198. — *Orationis conversio* est Gr. κατεστραμμένη λέξις Aristot. Rhetor. III. 9.

Tum Catulus, Erras, inquit, Crasse, si aut me aut horum quemquam putas a te haec opera quotidiana et pervagata exspectare. Ista, quae dicis, dici volumus, neque tam dici, quam isto dici modo; neque tibi hoc pro me solum, sed pro his omnibus sine ulla dubitatione respondeo.

189. Ego vero, inquit Antonius, inveni tandem, quem negaram in eo, quem scripsi, libello me invenisse, eloquentem. Sed eo te ne laudandi quidem causa interpellavi, ne quid de hoc tam exiguo sermonis tui tempore verbo uno meo deminueretur.

190. Hanc igitur, Crassus inquit, ad legem quum exercitatione tum stilo, qui et alia et hoc maxime ornat ac limat, formanda nobis oratio est. Neque tamen hoc tanti laboris est, quanti videtur, nec sunt haec rhythmicorum ac musicorum acerrima norma dirigenda; et efficiendum est illud modo nobis, ne fluat oratio, ne vagetur, ne insistat interius, ne excurrat longius, ut membris distinguatur, ut conversiones habeat absolutas. Neque semper utendum est perpetuitate et quasi conversione verborum, sed

Cap. XLIX. §. 188. *hæc opera quotidiana*] Schuetzius vel delendum voc. *opera*, vel aptius voc., ut *præcepta*, substituendum censet. Sed vid. Ellendt ad Brut. 54. 200, qui *opera* interpretatur munera (Leistungen) ab artis oratoriæ magistris exspectanda.

§. 189. *in eo, quem scripsi, libello*] Vide ad I. 21. 94. — *Deminueretur* cum Lambino edidit Or. pro vulg. *diminueretur*. Vide Oudend. ad Sueton. Iul. c. 5.

§. 190. *quum exercitatione*] Sic codd. et vulgo edd. — *tum exerc.* e coni. edid. Sch. et Mueller; sine causa. Nullam stilo s. scribendi consuetudine meliorem neque præstantiorem esse exercitationem ostendit Crassus I. 33. 150; cfr. ibid. 60. 257. — *Formanda nobis* Havn. uterq., Vet. Steph., Guelf. A, C, Erl. a pr. manu, Sch., Mueller, Olsh., Or. — Vulgo inde ab antiquiss. edd. *formanda vobis*. — Etiam infra *et* (*sed* Schuetz; cfr. ad 61. 227) *efficiendum est illud modo nobis* exhibent Havn. uterq., duo Steph. codd., ψ, Guelf. A, B, C, Erl., edd. antiquiss., Sch., Mueller, Olsh. Or. pro vulg. *et effic. est illud modo vobis*.

saepe carpenda membris minutioribus oratio est, quae tamen ipsa membra sunt numeris vincienda. 191. Neque vos paeon aut herous ille conturbet. Ipsi occurrent orationi; ipsi, inquam, se offerent et respondebunt non vocati. Consuetudo modo illa sit scribendi atque dicendi, ut sententiae verbis finiantur, eorumque verborum iunctio nascatur a proceris numeris ac liberis, maxime heroo aut paeone priore aut cretico, sed varie distincteque considat. Notatur enim maxime similitudo in conquiescendo. Et si primi et postremi illi pedes sunt hac ratione servati, medii possunt latere, modo ne circuitus ipse verborum sit aut brevior, quam aures exspectent, aut longior, quam vires atque anima patiatur.

L. 192. Clausulas autem diligentius etiam servandas esse arbitror quam superiora, quod in his maxime perfectio atque absolutio iudicatur. Nam versus aeque prima et media et extrema pars attenditur, qui debilitatur, in quacunque sit parte titubatum; in oratione autem prima pauci cernunt, postrema plerique. Quae quoniam apparent et intelliguntur, varianda sunt, ne aut animorum iudiciis repudientur aut aurium satietate. 193. Duo enim aut tres sunt fere extremi servandi et notandi pedes (si modo non breviora et praecisa erunt superiora), quos aut choreos aut heroos aut alternos esse oportebit, aut in paeone illo posteriore, quem Aristoteles probat, aut ei pari

---

carpenda membris — oratio est] H. e. interdum incise membratimque s. per κόμματα et κῶλα dicendum est. Vide Cic. Orat. 62. 211 et 66 sq.

Cap. L. §. 193. *aut in pæone etc.*] Hæc verba post accusativos magnopere VV. DD. offenderunt. Itaque Lambinus correxit: *aut pæanem illum posteriorem — aut ei parem creticum;* Pearcius et Ern. verbum aliquod (*finire* v. *finiendum*) excidisse suspicati sunt; Schuetzius, cui adsentitur Muellerus, vulgatam lectionem ita defendit, ut verba aut

cretico. Horum vicissitudines efficient, ut neque ii satientur, qui audient, fastidio similitudinis, nec nos id, quod faciemus, opera dedita facere videamur. 194. Quod si Antipater ille Sidonius, quem tu probe, Catule, meministi, solitus est versus hexametros aliosque variis modis atque numeris fundere ex tempore, tantumque hominis ingeniosi ac memoris valuit exercitatio, ut, quum se mente ac voluntate coniecisset in versum, verba sequerentur: quanto id facilius in oratione, exercitatione et consuetudine adhibita, consequemur? 195. Illud autem ne quis admiretur, quonam modo haec vulgus imperitorum in audiendo notet: quum in omni genere tum in hoc ipso magna quaedam est vis incredibilisque naturae. Omnes enim tacito quodam sensu, sine ulla arte aut ratione, quae sint in artibus ac rationi-

---

in pæone etc. cum proxime antecedentibus iungat, et *alternos* choreos et heroos in numero, qui constet ex pæonibus vel creticis, inesse significari dicat. "Nam si," inquit, "clausula sit ex duplici pæone ◡ ◡ ◡ — ◡ ◡ ◡ —, inest choreus (◡ ◡ ◡) alternans cum dactylo (— ◡ ◡); sin pæone et cretico constet ◡ ◡ ◡ — — ◡ —, inest choreus cum spondeo." Verum neque duplex *aut* hanc fert interpretationem, neque choreus Ciceroni est tribrachys (quemadmodum putavit Sch.), quem pedem Cicero vocat trochæum (vide ad 47. 182); sed choreus est is, qui vulgo vocatur trochæus. Cfr. Cic. Orat. 63. 212: *Qui dichoreus vocatur, quum duo extremi chorei sunt, id est, e singulis longis et brevibus; explanandum est enim, quod ab aliis iidem pedes aliis nominantur vocabulis.* Vulgatæ lectionis verba præstat ita iungere, quemadmodum præcepit Orellius: *extremi pedes, quos — in pæone — esse oportebit.*

§. 194. *Antipater ille Sidonius*] *Antipater* Sidonius, poeta, centum fere annis a. Chr. n. floruit. Ad extremam ætatem pervenisse atque natali suo die, quo quotannis febri corripi solitus erat, eodem morbo consumptus esse dicitur. Valer. Max. I. 8. extern. 16, Plin. H. N. VII. 52; cfr. Cic. de Fato 3. 5. Eius epigrammata quædam exstant in Anthologia Græca. Cum h. l. cfr. Quintil. X. 7. 19.

§. 195. *sine ulla arte aut ratione — ac rationibus*] Schuetzius eumque secutus Harl. verba *arte aut* et *ac rationibus* ut interpolata et verum sensum turbantia eiecerunt.

bus recta ac prava, diiudicant; idque quum faciunt in picturis et in signis et in aliis operibus, ad quorum intelligentiam a natura minus habent instrumenti, tum multo ostendunt magis in verborum, numerorum vocumque iudicio; quod ea sunt in communibus infixa sensibus, neque earum rerum quemquam funditus natura voluit esse expertem. 196. Itaque non solum verbis arte positis moventur omnes, verum etiam numeris ac vocibus. Quotus enim quisque est, qui teneat artem numerorum ac modorum? At in his si paullum modo offensum est, ut aut contractione brevius fieret aut productione longius, theatra tota reclamant. Quid? hoc non idem fit in vocibus, ut a multitudine et populo non modo catervae atque concentus, sed etiam ipsi sibi singuli discrepantes eiiciantur?

LI. 197. Mirabile est, quum plurimum in faciendo intersit inter doctum et rudem, quam non multum differat in iudicando. Ars enim quum a natura profecta sit, nisi naturam moveat ac delectet,

---

Orellius vulg. lectionem ita vindicat, ut prius *sine ratione* significare dicat *Theorie*, posterius *ac rationibus*, *Verhaeltnisse*, *proporzioni*. Sed hæc *rationum* significatio minime quadrat in hunc locum, et vehementer offendit eiusdem vocabuli diverso sensu positi repetitio. Immo eadem vocabula eadem significatione repetita aptam inter se oppositionem efficiunt: *sine ulla arte* — *in artibus*, *sine ratione* — *in rationibus*. Cum h. l. cfr. Cic. Orat. 60. 203: *Si quæ res efficiat voluptatem* (quæritur): *eadem, quæ in versibus, quorum modum notat ars, sed aures ipsæ tacito eum sensu sine arte definiunt.*

§. 196. *theatra tota reclamant*] Cfr. Cic. Paradox. III. 2. 26: *Histrio si paullum se movit extra numerum, aut si versus pronuntiatus est syllaba una brevior aut longior, exsibilatur et exploditur.*

concentus] Sic Z, Guelf. A, Erl. a pr. manu, probb. Ern. et Harl.; receperunt Sch., Mueller, Olsh., Or. — *conventus* plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo edd. — *Concentus* h. l. sunt chori concinentium; cfr. Cic. p. Sest. 55. 118.

Cap. LI. §. 197. *nisi naturam moveat*] Ita Havn. uterq.,

nihil sane egisse videatur. Nihil est autem tam cognatum mentibus nostris quam numeri atque voces, quibus et excitamur et incendimur et lenimur et languescimus et ad hilaritatem et ad tristitiam saepe deducimur; quorum illa summa vis carminibus est aptior et cantibus, non neglecta, ut mihi videtur, a Numa rege doctissimo maioribusque nostris, ut epularum sollemnium fides ac tibiae Saliorumque versus indicant; maxime autem a Graecia vetere celebrata. [Quibus utinam similibusque de rebus disputari quam de puerilibus his verborum translationibus maluissetis!]

Norf., Harl. 2, Z, α, γ, excerpt. δ, Guelf. B, C et vulgo inde ab antiquiss. edd. (in quibus ut in Guelf. C est *commoveat*) usque ad Grut.; restituerunt Pearc. et recentt. post Sch. — *nisi natura moveat* s (*commoveat*), ψ, Erl., al., ed. Waldarf., Grut., Ern., qui tamen voc. *natura* uncis inclusit.

epularum sollemnium fides ac tibiæ] Cic. IV. Tusc. 2. 3 sq.: *Gravissimus auctor in Originibus dixit Cato, morem apud maiores hunc epularum fuisse, ut deinceps, qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes atque virtutes. — Nec vero illud non eruditorum temporum argumentum est, quod et deorum pulvinaribus et epulis magistratuum fides præcinunt;* cfr. I. Tusc. 2. 3, Brut. 19. 75, Valer. Max. II. 1. 10; Varro de vita P. R. lib. II. ap. Non. v. *assa voce* (I. 70 p. 526 Gothofr.): *In conviviis pueri modesti* (aderant), *ut cantarent carmina antiqua, in quibus laudes erant maiorum, et assa voce et cum tibicine.* Cfr. Niebuhr Röm. Gesch. I. p. 263 ed. alt.

Saliorumque versus] De Saliis duodecim numero a Numa rege Marti Gradivo institutis vide impr. Liv. I. 20, Dionys. Halicarn. II. 70. De Saliis scripsit Gutberlethus, Franeq. 1704. — Hi sacerdotes quotannis Kalendis Martiis per urbem ibant canentes carmina cum tripudiis sollemnique saltatu. Liv. l. c. — Saliorum *carmina* ob vetustatem (ab ipso enim Numa confecta esse dicuntur) obscurissima Ciceronis et Horatii ætate a paucis tantum eruditis hominibus, Quintiliani tempore vix a sacerdotibus ipsis intelligebantur. Horat. Ep. II. 1. 86, Quintil. I. 6. 40. Eorum interpretationem scripsit Ælius Stilo, teste Varrone L. L. VII. p. 283 Spengel. — *A Græcia vetere* cfr. Quintil. I. 10. 9 sqq.

Quibus utinam — maluissetis] Hoc ineptum emblema esse bene ostendit Schuetz, quem in his verbis eiiciendis secuti sunt Harl., Mueller, Olsh. Nos cum Orellio uncis inclusimus.

198. Verum ut in versu vulgus, si est peccatum, videt: sic, si quid in nostra oratione claudicat, sentit; sed poëtae non ignoscit, nobis concedit; tacite tamen omnes non esse illud, quod diximus, aptum perfectumque cernunt. Itaque illi veteres, sicut hodie etiam nonnullos videmus, quum circuitum et quasi orbem verborum conficere non possent (nam id quidem nuper vel posse vel audere coepimus), terna aut bina aut nonnulli singula etiam verba dicebant; qui in illa infantia naturale illud, quod aures hominum flagitabant, tenebant tamen, ut et illa essent paria, quae dicerent, et aequalibus interspirationibus uterentur.

LII. 199. Exposui fere, ut potui, quae maxime ad ornatum orationis pertinere arbitrabar. Dixi enim de singulorum laude verborum, dixi de coniunctione eorum, dixi de numero atque forma. Sed si habitum etiam orationis et quasi colorem aliquem requiritis, est et plena quaedam, sed tamen teres; et tenuis, non sine nervis ac viribus; et ea, quae particeps utriusque generis quadam mediocritate laudatur. His tribus figuris insidere quidam venustatis, non fuco illitus, sed sanguine diffusus debet color. 200. Tum denique nobis hic orator ita conformandus est et verbis et sententiis, ut, quemadmodum, qui utuntur armis aut palaestra, non solum sibi vitandi

---

§. 198. *infantia naturale illud*] Sic Vet. Steph., Cant., Harl. 1, *Z*, *y*, Erl., Pearc. et recentt. post Sch. — Plerique codd. (etiam Havn. uterq.) et vulgo inde ab antiquiss. edd. *infantia naturali illud*, quod male defendit Ern. — Idem Ern. pro vulg. codd. et edd. lectione *tenebant* edidit *tendebant*, quod exhibent *Z*, *a*, *ε*, *ψ*, ed. s. l. et a., Med. 1 et Ven. Sed cfr. Or. — *perpendebant* ed. Lips. Thanneri.

Cap. LII. §. 199. *Sed si habitum etiam orationis*] Sic Havn. uterq., al. et vulgo inde ab antiquiss. edd. usque ad Grut.; restituit Or. — *sed aut si hab. orat.* Vet. Steph. — *sed etiam si hab. orat.* Erl. — *sed si habit. orationis etiam* Grut., Ern., Harl., Sch., Mueller, Olsh. — De re cfr. Orat. 5. 20 sqq.

aut feriendi rationem esse habendam putant, sed etiam, ut cum venustate moveantur, sic verbis quidem ad aptam compositionem et decentiam, sententiis vero ad gravitatem orationis utatur [ut ii, qui in armorum tractatione versantur]. 201. Formantur autem et verba et sententiae paene innumerabiliter, quod satis scio notum esse vobis; sed inter conformationem verborum et sententiarum hoc interest, quod verborum tollitur, si verba mutaris; sententiarum permanet, quibuscunque verbis uti velis. Quod quidem vos etsi facitis, tamen admonendos puto, ne quid esse aliud oratoris putetis, quod quidem sit egregium atque mirabile, nisi in singulis verbis illa tria tenere, ut translatis utamur frequenter, interdumque factis, raro autem etiam pervetustis. In perpetua autem oratione quum et coniunctionis lenitatem et numerorum, quam dixi, rationem tenuerimus, tum est quasi luminibus distinguenda et frequentanda omnis oratio sententiarum atque verborum.

LIII. 202. Nam et commoratio una in re per-

---

§. 200. *sic verbis — utatur*] Multi codd. et edd. antiq. aliquot (ed. s. l. et a., Ven., Lips. Thann.) hæc verba omittunt; alii alio modo turbant, v. c. duo Steph. codd., in quibus est: *moveantur, ut inquam, ii, qui in armorum tractatione versantur: sit verbis — utatur, versantur.* Verba *sic verbis — utatur* abesse non possunt; sed quæ sequuntur: *ut ii — versantur*, interpolata esse iam Lambinus indicavit, qui ea delevit, eumque secuti sunt Sch., Mueller, Olsh.; uncis incluserunt Ern., Harl., Or.

§. 201. *innumerabiliter*] Sic Vet. Steph., Z, Guelf. A, Lamb., Sch., Harl., Mueller, Or. — Vulgo codd. et edd. *innumerabiles.*

quasi luminibus] Cfr. ad III. 25. 96. — *Omnis oratio* codd. et vulgo edd. — *omnis ratio* Lamb., Ern., Harl. Sed nihil mutandum est; genitivi *sententiarum atque verborum* pendent a voc. *luminibus.*

Cap. LIII. §. 202. *commoratio*] Gr. ἐπιμονή, Auct. ad Herenn. IV. 45. 58; cfr. I. Chr. Theoph. Ernestii Lexicon technologiæ Latinorum rhetoricæ p. 69. — Ieiunam hanc de figuris sententiarum et verborum disputationem, in qua figura-

multum movet, et illustris explanatio, rerumque, quasi gerantur, sub adspectum paene subiectio; quae et in exponenda re plurimum valet et ad illustrandum id, quod exponitur, et ad amplificandum, ut iis, qui audient, illud, quod augebimus, quantum efficere oratio poterit, tantum esse videatur; et huic contraria saepe percursio est, et plus ad intelligendum, quam dixeris, significatio, et distincte concisa brevitas, et extenuatio, et huic adiuncta illusio, a praeceptis Caesaris non abhorrens; 203. et ab re degressio;

---

rum nomina, nulla subiecta definitione, enumerantur, eodem fere modo in Oratore c. 39 et 40 instituit Cicero, eaque omnia repetiit Quintilianus IX. 1. 27 sqq., qui tamen de nonnullis figuris alibi accuratius egit. Hos Quintiliani atque imprimis Auctoris ad Herennium aliorumque rhetorum locos, qui ad explicandas singulas figuras aliquid conferunt, indicabimus; sed ne longi in re tenui simus, eos, qui accuratiorem tractationem flagitant, ad Ernestii Lex. technol. ablegamus.

illustris explanatio] Gr. ἔκφρασις v. ἐνδιάσκευος διήγησις, fortasse eadem, quam *expolitionem* vocat Auct. ad Herenn. IV. 42. 54; cfr. Ern. Lex. p. 155 sq. — *Rerumque — subiectio*, Gr. ὑποτύπωσις, Quintil. IX. 2. 40, quae *demonstratio* dicitur Auct. ad Herenn. IV. 55. 68; cfr. Ern. Lex. p. 378.

percursio] Sic codd. aliquot Quintiliani IX. 1. 27, ed. s. l. et a., Med. utraq., Ern., Or. — *percussio* plerique codd. Ciceronis et Quintiliani, Waldarf., Ven. — *percusio* Mem. uterq. — *percisio* Pal. oct. — *praecisio* Lips. Thann., Ascens. et vulgo post Ald. — *Percursio*, Gr. ἐπιτροχασμός, de qua vide Aquil. Rom. de figg. sent. et eloc. p. 148. Ruhnk. et Ern. Lex. p. 280, aptius h. l. opponitur superioribus quam *praecisio*, de qua v. Auct. ad Herenn. IV. 30. 41, Ern. Lex. p. 296. — *Plus ad intelligendum — significatio*, Gr. ἔμφασις, Auct. ad Herenn. IV. 53. 67, Quintil. VIII. 3. 83, IX. 2. 3, Ern. Lex. p. 357 sq.

distincte concisa brevitas] Gr. βραχυλογία, Quintil. VIII. 3. 82, Ernestii Lex. p. 40 sq. — *destricte concisa brevitas* temere edid. Sch. et Mueller. — *distincta et concisa br.* Havn. A. — *Extenuatio*, Gr. ἐξουθενισμός, μείωσις, videtur esse eadem, quam *deminutionem* appellat Auct. ad Herenn. IV. 38. 50; cfr. Ern. Lex. p. 160. — *Huic adiuncta illusio*, Gr. διασυρμός s. χλευασμός, Ern. Lex. p. 201, vel potius e. q. *ironia*; vide Quintil. VIII. 6. 54. — *A praeceptis Caesaris non abhorrens* Cfr. II. 65. 261 sq., 67. 269 sq.

§. 203. *ab re degressio*] Sic Vet. Steph., Harl. 1, Z,

in qua quum fuerit delectatio, tum reditus ad rem aptus et concinnus esse debebit; propositioque, quid sis dicturus, et ab eo, quod est dictum, seiunctio, et reditus ad propositum, et iteratio, et rationis apta conclusio; tum augendi minuendive causa veritatis superlatio atque traiectio; et rogatio, atque huic finitima quasi percontatio expositioque sententiae suae; tum illa, quae maxime quasi irrepit in hominum mentes, alia dicentis ac significantis dissimulatio; quae est periucunda, quum in oratione non contentione, sed sermone tractatur; deinde dubitatio, tum distri-

---

δ, Guelf. A, Erl., Quintil. IX. 1. 28, Pearc. et recentt. post Sch. — *ab re non longa degressio* vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab antiquiss.; sed §. 205 commemoratur *declinatio brevis a proposito, non ut superior illa degressio*, quo loco motus Ern. edidit: *ab re longa degressio*, in aduot, autem ad h. l. leg. esse coni. *a re bene longa degr.* — De utraque figura cfr. Ern. Lex. p. 106.

propositio — seiunctio] Gr. πρόθεσις, προέκθεσις, *transitio* Auct. ad Herenn. IV. 26. 35; cfr. Ern. Lex. p. 310 et p. 346. — *Reditus ad propositum* Hæc temere ex antecedentibus repetita esse non sine causa contendit Schuetz; nam paullo ante legitur: *reditus ad rem aptus.* Cfr. Ern. Lex. p. 327. — *Iteratio*, Gr. ἐπανάληψις, Ern. Lex. p. 230. — *Rationis apta conclusio* Auct. ad Herenn. IV. 30. 41, Ern. Lex. p. 79 sq.

veritatis superlatio atque traiectio] Gr. ὑπερβολή, Auct. ad Herenn. IV. 33. 44, Ern. Lex. p. 390. — *Rogatio*, Gr. ἐρώτησις s. ἐρώτημα, quum interrogando adversarium urgemus; cfr. Ern. Lex. p. 536. Exempla affert Quintil. IX. 2. 6 sqq. — *Quasi percontatio expositioque sententiæ suæ* Hanc figuram *subiectionem* vocat Auct. ad Herenn. IV. 23. 33; cfr., Quintil. IX. 2. 15.

dissimulatio] Cfr. II. Orat. 67. 269, Quintil. IX. 2. 44, Ern. Lex. p. 129 sq. — *Quum in oratione — tractatur* Hæc verba, quæ om. Z, Guelf. A, Erl., sine causa uncis inclusit Ern. — *in orationis* Harl. 1, nonnulli codd. Quintil. IX. 1. 29, Pearc. — *in orationibus* duo codd. Quintil. l. c.

dubitatio] Gr. διαπόρησις, ἀπορία, Auct. ad Herenn. IV. 29. 40, Quintil. IX. 2. 19, Iul. Rufinian. p. 202 Ruhnk., Ern. Lex. p. 136. — *Distributio*, Gr. διαίρεσις, Auct. ad Herenn. IV. 35. 47, Ern. Lex. p. 133 sq. — *Correctio vel ante vel post quam dixeris*, Gr. προδιόρθωσις et ἐπανόρθωσις, Ern. Lex. p. 98 sq. — *Quam aliquid a te ipso reiicias* plerique Ciceronis omnesque Quintiliani (IX. 1. 30) codd., et sic vulgo

butio, tum correctio, vel ante vel post quam dixeris; vel quum aliquid a te ipso reiicias; 204. praemunitio est etiam ad id, quod aggrediare, et traiectio in alium; communicatio, quae est quasi cum iis ipsis, apud quos dicas, deliberatio; morum ac vitae imitatio vel in personis vel sine illis, magnum quoddam ornamentum orationis et aptum ad animos conciliandos vel maxime, saepe autem etiam ad commovendos; 205. personarum ficta inductio, vel gravissimum lumen augendi; descriptio, erroris inductio, ad hilaritatem impulsio, ante occupatio; tum duo illa, quae maxime movent, similitudo et exemplum;

---

inde ab Aldo usque ad Ern. et rursus Harl., Or. — *a te ipso aliquid* Havn. B. — *a te aliquid ipso* Havn. A, ed. s. l. et a., Med. 1, Ven., Lott. — *a te aliquid ipse* Med. 2. — *aliquid a te ipse* e coni. edid. Ern., Sch., Mueller, Olsh. — Hæc figura μετάστασις, *transmotio* vocatur ab Aquila Rom. de figg. sent. et eloc. p. 155 Ruhnk.

§. 204. *præmunitio*] Est προλήψεως genus, Quintil. IX. 2. 16 sq.; cfr. Ern. Lex. p. 297. — *Traiectio in alium* Havn. uterq., duo Steph. codd., Mead., Harl. uterq., Norf., *Z*, *α*, *β*, *γ*, *δ*, Guelf. A, B, C, edd. antiquiss., Pearc. et recentt. post Ern. — (*traiecto ψ*; *tractio* Cant., *ε*). — *reiectio in alium* codd. et edd. Quintil. et vulgo post Ald., quod non displicuit Orellio. — Cfr. Quintil. IX. 2. 4, Ern. Lex. p. 400. — *Communicatio*, Gr. ἀνακοίνωσις, Quintil. IX. 2. 20, Ern. Lex. p. 69. — *Morum ac vitæ imitatio* vulgo codd. et edd. — *morum ac vitæ mutatio ψ*. — *mor. ac vitæ notatio* e coni. Sch. et Mueller, qui de hac fig. citant Auct. ad Herenn. IV. 50. 63. De *imitatione* consule Ern. Lex. p. 203.

§. 205. *personarum ficta inductio*] Gr. προσωποποιΐα, *conformatio* dicta Auct. ad Herenn. IV. 53. 66. — *Descriptio* Auct. ad Herenn. IV. 39. 51, Ern. Lex. p. 112. — *Erroris inductio*, Gr. ἀποπλάνησις, Ern. Lex. p. 213. — *Ad hilaritatem impulsio*, χαριεντισμός, Ern. Lex. p. 269. — *Ante occupatio*, Gr. προκατάληψις, Ern. Lex. p. 22.

similitudo] Gr. παραβολή, Auct. ad Herenn. IV. 45. 59. — *Exemplum*, παράδειγμα, Auct. ad Herenn. IV. 49. 62. De utraque fig. cfr. Ern. Lex. p. 360. — *Digestio*, Gr. μερισμός, Ern. Lex. p. 124. — *Interpellatio* Post hanc fig. Schuetzius ex Quintil. IX. 2. 2 inseruit: *interpellantis coercitio*, idemque comparavit Or. 40. 138: *ut interpellatorem coerceat.* Sed neque Ciceronis codd., neque Quintil. IX. 1. 31 hanc Schuetzii coni. confirmat. — *Contentio* videtur esse ἀντιθέ-

digestio, interpellatio, contentio, reticentia, commendatio; vox quaedam libera atque etiam effrenatior augendi causa; iracundia, obiurgatio, promissio, deprecatio, obsecratio, declinatio brevis a proposito, non ut superior illa degressio, purgatio, conciliatio, laesio, optatio, atque exsecratio. His fere luminibus illustrant orationem sententiae.

LIV. 206. Orationis autem ipsius, tamquam armorum, est vel ad usum comminatio et quasi petitio, vel ad venustatem ipsa tractatio. Nam et geminatio

---

σεως genus, Auct. ad Herenn. IV. 45. 58, Ern. Lex. p. 90. — *Reticentia* cfr. Orat. 40. 138: *ut aliquid reticere se dicat*, quæ figura vocatur *occupatio* (vel, ut probabiliter coni. Spald. ad Quintil. IX. 3. 98, *occultatio)*, Auct. ad Herenn. IV. 27. 37. Quintilianus autem IX. 2. 54 ἀποσιώπησιν dicit esse eam figuram, quam Cicero *reticentiam* appellet. Cfr. Ern. Lex. p. 333. — *Commendatio* Cfr. Ern. Lex. p. 66. Schuetzius eumque secuti Harl. et Mueller ediderunt *comminatio* ex Orat. l. c., ubi est: *ut denuntiet, quid caveant.*

vox quædam libera atque etiam effrenatior] Gr. παῤῥησία, ἐλευθερία, cfr. Orat. l. c.: *ut liberius quid audeat.* Eadem dicitur *licentia* Auct. ad Herenn. IV. 36. 48, Quintil. IX. 2. 27, Ern. Lex. p. 242 et p. 243. — *Iracundia*, Gr. ἀγανάκτησις. — *Obiurgatio*, Gr. ἐπιτίμησις, Iul. Rufinian. p. 271 Ruhnk., Ern. Lex. p. 269. — *Promissio*, Gr. ὑπόσχεσις; cfr. II. Orat. 83. 339, Ern. Lex. p. 308. — *Deprecatio*, Gr. προπαραίτησις, συγγνώμη, Ern. Lex. p. 110 sq. — *Obsecratio*, Gr. δέησις, Ern. Lex. p. 270. — *Declinatio brevis a proposito* cfr. Quintil. IX. 2. 56. — *Purgatio* Ern. Lex. p. 314. — *Conciliatio* cfr. Orat. l. c.: *ut fiat iis, apud quos dicet, familiaris;* Ern. Lex. p. 76. — *Læsio* Ern. Lex. p. 235. — *Optatio* Ern. Lex. p. 274. — *Exsecratio*, Gr. ἀρά, Iul. Rufinian. p. 208 Ruhnk., Ern. Lex. p. 159.

Cap. LIV. §. 206. *comminatio*] *Communitio* e coni. ediderunt Sch., Harl., Mueller. — Statim pro *ipsa tractatio* ex Ernestii coni. *apta tractatio* exhibent Sch., Harl., Mueller, Olsh.

geminatio] Gr. ἀναδίπλωσις, *conduplicatio* Auct. ad Herenn. IV. 28. 38, Iul. Rufin. p. 232 Ruhnk. — *Paullum immutatum verbum atque deflexum*, Gr. παρονομασία, quam *annominationem* vocat Auct. ad Herenn. IV. 21. 29; cfr. II. Orat. 63. 256, Quintil. IX. 3. 66, Rutil. Lup. p. 11, Aquila Rom. p. 170 Ruhnk., Ern. Lex. p. 21 sq. — *Eiusdem verbi repetitio*, Gr. ἐπαναφορά, ἐπιβολή, Auct. ad Herenn. IV. 13. 19, Rutil. Lup. p. 24 sq., Aquila Rom. p. 176 sq., Ern.

verborum habet interdum vim, leporem alias, et paullum immutatum verbum atque deflexum, et eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio, tum in extremum conversio, et in eadem verba impetus et concursio, et adiunctio, et progressio, et eiusdem verbi crebrius positi quaedam distinctio, et revocatio verbi, et illa, quae similiter desinunt, aut quae cadunt similiter, aut quae paribus paria referuntur, aut quae sunt inter se similia. 207. Est etiam gradatio quaedam, et conversio, et verborum concinna transgressio, et contrarium, et dissolutum, et declinatio, et repre-

---

Lex. p. 330 sq. — *In extremum conversio*, Gr. *ἀντιστροφή, ἐπιφορά*, Auct. ad Herenn. l. c., Rutil. Lup. p. 30, Aquila Rom. p. 178, Iul. Rufin. p. 238, Ern. Lex. l. c. et p. 97. — *In eadem verba impetus et concursio*, Gr. *συμπλοκή, κοινότης*, Auct. ad Herenn. IV. 14. 20, Rutil. Lup. p. 31, Aquila Rom. p. 178, Ern. Lex. p. 80.

adiunctio] Cfr. Quintil. IX. 3. 32, Ern. Lex. p. 10 et p. 127. — *Progressio* cfr. Ern. Lex. p. 308. — *Eiusdem verbi — distinctio* Auct. ad Herenn. IV. 14. 21 ad *traductionem* refert; cfr. Ern. Lex. p. 132. — *Revocatio verbi* est eadem, quæ *conduplicatio* dicitur Auct. ad Herenn. IV. 28. 38. — *Quæ similiter desinunt, aut quæ cadunt similiter*, Gr. *ὁμοιοτέλευτα* et *ὁμοιόπτωτα*, Auct. ad Herenn. IV. 20. 28, Quintil. IX. 3. 77 sq., Aquila Rom. p. 169, Ern. Lex. p. 113. — *Quæ paribus paria referuntur*, Gr. *ἰσόκωλα*, Quintil. IX. 3. 80, Aquila Rom. p. 167. — *Quæ sunt inter se similia*, Gr. *πάρισα*, Quintil. IX. 3. 75, Aquil. Rom. p. 168.

§. 207. *gradatio*] Gr. *κλίμαξ*, Auct. ad Herenn. IV. 25. 34, Quintil. IX. 3. 54, Ern. Lex. p. 189. — *Conversio* est eadem, quæ *commutatio* vocatur Auct. ad Herenn. IV. 28. 39. — *Verborum concinna transgressio*, Gr. *ὑπέρβατον*, Auct. ad Herenn. IV. 32. 44, Quintil. VIII. 6. 62, IX. 1. 6, IX. 3. 91, Ern. Lex. p. 401. — *Contrarium*, Gr. *ἀντίθετον, ἐναντιότης*, Auct. ad Herenn. IV. 18. 25, Quintil. IX. 3. 90, Ern. Lex. p. 96. — *Dissolutum*, Gr. *ἀσύνδετον*, Auct. ad Herenn. IV. 30. 41, Quintil. IX. 3. 50, Ern. Lex. p. 131. — *Declinatio, ἀντιμεταβολή*, Quintil. IX. 3. 85, Ern. Lex. p. 102. — *Reprehensio*, Gr. *ἀφορισμός, διορισμός*, Quintil. IX. 2. 18, Iul. Rufinian. p. 207, Ern. Lex. p. 332. — *Exclamatio* Etiam Orat. 39. 135 inter figuras verborum refertur, *si est aliqua exclamatio vel admirationis* [*ἐκφώνησις*] *vel conquestionis* [*σχετλιασμός*]; cfr. Auct. ad Herenn. IV. 15. 22. Quintilianus autem IX. 3. 97 hanc sententiæ potius figuram esse putat. Cfr. Ern. Lex. p. 152.

hensio, et exclamatio, et imminutio, et quod in multis casibus ponitur, et quod de singulis rebus propositis ductum refertur ad singula, et ad propositum subiecta ratio, et item in distributis supposita ratio, et permissio, et rursum alia dubitatio, et improvisum quiddam, et dinumeratio, et alia correctio, et dissipatio, et quod continuatum, et interruptum,

---

imminutio] Vide supra c. 53 §. 202 fig. *extenuatio*. Quintil. IX. 3. 90 sq.: *M. Tullius multas in tertio de Oratore libro* (figuras) *posuit, quas in Oratore postea scripto transeundo videtur ipse damnasse; quarum pars est, quae sententiarum potius quam verborum sit, ut imminutio, improvisum, imago, sibi ipsi responsio, degressio, permissio, contrarium, sumpta ex adverso probatio. Quaedam omnino non sunt figurae, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio.* — *Quod in multis casibus ponitur*, Gr. πολύπτωτον, Quintil. IX. 3. 36 sq., Rutil. Lup. p. 35, Aquila Rom. p. 179. — *Quod de singulis — ad singula* Strebaeus hoc exemplum affert ex Milonian. 4. 10: *Quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripuimus, hausimus, expressimus.* — *Ad propositum subiecta ratio*, Gr. αἰτιολογία; *in distributis supposita ratio*, προσαπόδοσις: de utraque fig. vide Quintil. IX. 3. 93 sqq., Ern. Lex. p. 322.

permissio] Gr. ἐπιτροπή, Auct. ad Herenn. IV. 29. 39; Rutil. Lup. p. 130, Quintil. IX. 2. 25, Ern. Lex. p. 281. — *Alia dubitatio* Quintil. IX. 3. 88. — *Improvisum quiddam*, Gr. παρὰ προσδοκίαν s. παράδοξον; cfr. II. Orat. 63 et 64, Quintil. IX. 2. 22 sq. — *Dinumeratio*, Gr. ἀπαρίθμησις, Ern. Lex. p. 126. — *Alia correctio* Auct. ad Herenn. IV. 26. 36. — *Dissipatio* Vet. Steph., Harl. 1, Cant., *Z*, *s*, excerpt. *δ*, Erl., plerique Quintil. codd. (IX. 1. 35), Pearc. et recentt. post Ern. Cfr. Quintil. IX. 3. 39. Vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab antiquiss. *disputatio*.

et quod continuatum] Sic plerique Ciceronis et nonnulli Quintiliani codd. et vulgo edd. inde ab antiquiss. — *quod* om. Vet. Steph., plerique Quintil. codd., Sch., Mueller. — *et* om. Havn. B. — De hac figura v. Auct. ad Herenn. IV. 19. 27; cfr. Ern. Lex. p. 91. — *Interruptum* cfr. Ern. Lex. p. 223 sq. — *Imago*, Gr. εἰκών, Auct. ad Herenn. IV. 49. 62, Ern. Lex. p. 202. — *Sibi ipsi responsio*, Gr. ἀπόφασις, Iul. Rufin. p. 201, Ern. Lex. p. 333. — *Immutatio* Quintil. IX. 3. 92, Ern. Lex. p. 205. — *Disiunctio* Auct. ad Herenn. IV. 27. 37, Ern. Lex. p. 127. — *Ordo*, Gr. τάξις, Rutil. Lup. p. 135, Ern. Lex. p. 276. — *Relatio* Quintil. IX. 3. 97, Ern. Lex. p. 328. — *Degressio* iam bis supra nominata est. Strebaeus hanc degressionem ad μετάβασιν quandam vel ἀποστρο-

et imago, et sibi ipsi responsio, et immutatio, et disiunctio, et ordo, et relatio, et degressio, et circumscriptio. 208. Haec enim sunt fere, atque horum similia vel plura etiam esse possunt, quae sententiis orationem verborumque conformationibus illuminent.

LV. Quae quidem te, Crasse, video, inquit Cotta, quod nota esse nobis putes, sine definitionibus et sine exemplis effudisse. Ego vero, inquit Crassus, ne illa quidem, quae supra dixi, nova vobis esse arbitrabar, sed voluntati vestrum omnium parui. 209. His autem de rebus sol me ille admonuit ut brevior essem, qui ipse iam praecipitans me quoque haec praecipitem paene evolvere coëgit. Sed tamen huius generis demonstratio est et doctrina ipsa vulgaris; usus autem gravissimus et in hoc toto dicendi studio difficillimus. 210. Quamobrem, quoniam de ornatu omni orationis sunt omnes, si non patefacti, at certe commonstrati loci: nunc, quid aptum sit, hoc est, quid maxime deceat in oratione, videamus. Quamquam id quidem perspicuum est, non omni causae nec auditori neque personae neque tempori congruere orationis unum genus. 211. Nam et causae capitis alium quendam verborum sonum requirunt, alium rerum privatarum atque parvarum; et aliud dicendi genus deliberationes, aliud laudationes, aliud iudicia, aliud sermones, aliud consolatio, aliud obiurgatio, aliud disputa-

---

φὴν pertinere putat; cfr. Ern. Lex. p. 106. — *circumscriptio* Quintil. IX. 3. 91.

§. 208. *atque horum similia vel plura etiam esse possunt*] Hæc recte post Victorium iungunt Sch., Harl. et Mueller, quum in vulgatis edd., quas sequuntur Olsh. et Or., comma post *similia* positum reperiatur; quæ distinctio non sane melior est quam Ernestii interpunctio verba *vel plura esse possunt* parenthesi includentis; utraque distinctio puerilem pleonasmum inducit.

Cap. LV. §. 209. *evolvere*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — *devolvere* e coni. edidit Sch., eumque secuti sunt Harl. et Muellerus.

tio, aliud historia desiderat. Refert etiam, qui audiant, senatus an populus an iudices; frequentes an pauci an singuli, et quales; ipsique oratores qua sint aetate, honore, auctoritate, debet videri; item tempus pacis an belli, festinationis an otii. 212. Itaque hoc loco nihil sane est, quod praecipi posse videatur, nisi ut figuram orationis plenioris et tenuioris et item illius mediocris ad id, quod agimus, accommodatam deligamus. Ornamentis iisdem uti fere licebit, alias contentius, alias summissius; omnique in re posse, quod deceat, facere, artis et naturae est, scire, quid quandoque deceat, prudentiae.

LVI. 213. Sed haec ipsa omnia perinde sunt, ut aguntur. Actio, inquam, in dicendo una dominatur. Sine hac summus orator esse in numero nullo potest; mediocris hac instructus summos saepe superare. Huic primas dedisse Demosthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo esset primum; huic secundas, huic tertias. Quo mihi melius etiam illud

---

§. 211. *et quales; ipsique oratores*] Ita Havn. B, plerique Oxx., Gudian. 2 a Goerenzio commemoratus (= Guelf. A), Erl., ed. s. l. et a., Med. 1, Ven. (in quibus edd. est: *et æquales*), et sic suadente Goerenzio ad II. Acad. 26. 85 et II. Fin. 8. 25 ediderunt Sch., Harl., Mueller, Or. — *et quales ipsi qui oratores* Havn. A, γ, ψ, cod. Buelow. Goerenzii (ad II. Acad. l. c.). — *et quales ipsi quoque oratores* Med. 2, Lott. et vulgo post Ald.

debet videri] Hæc verba Lambino suspecta delevit Sch. — *debent videri* Havn. uterq., nonnulli Oxx. (etiam ψ), Lambini codd., Ald., Iunt., Steph. — *debent videre* Erl., edd. antiquiss. præter Med. 2. — Statim *item tempus* e coni. Goerenzii ll. cc. ediderunt Sch., Mueller, Or. Vulgo a codd. et edd. abest *item* et facile propter similem ultimam præcedentis et primam sequentis verbi syllabam excidere potuit.

§. 212. *alias contentius*] Sic plerique codd. et vulgo edd. — *alias incensius* Vet. Steph. — *contemptius alias, summissius* Guelf. A, unde Heusingero auctore *contentius alias, alias summ.* ediderunt Sch., Harl., Mueller.

Cap. LVI. §. 213. *Huic primas dedisse Dem. dicitur*] Cfr. Cic. Brut. 38. 142, Orator 17. 56, Quintil. XI. 3, 6, al. — De *Demosthene* vide ad I. 13. 58.

ab Aeschine dictum videri solet; qui quum propter ignominiam iudicii cessisset Athenis et se Rhodum contulisset, rogatus a Rhodiis legisse fertur orationem illam egregiam, quam in Ctesiphontem contra Demosthenem dixerat; qua perlecta petitum est ab eo postridie, ut legeret illam etiam, quae erat contra a Demosthene pro Ctesiphonte edita; quam quum suavissima et maxima voce legisset, admirantibus omnibus, Quanto, inquit, magis admiraremini, si audissetis ipsum! Ex quo satis significavit, quantum esset in actione, qui orationem eandem aliam fore putaret, actore mutato. 214. Quid fuit in Graccho, quem tu melius, Catule, meministi, quod me puero tanto opere ferretur? *Quo me miser conferam? quo vertam? in Capitoliumne? at fratris sanguine redundat; an domum? matremne ut miseram lamentantem videam et abiectam?* Quae sic ab illo acta esse constabat, oculis, voce, gestu, inimici ut lacrimas tenere non possent. Haec eo dico pluribus, quod

---

ab Æschine] Vide ad II. 23. 94. — *Ctesiphontis* causam exposuit Cic. de Opt. Gen. Oratt. c. 7. — De Æschinis dicto cfr. auctt. a Spaldingio ad Quintil. l. c. allatos.

aliam fore] Sic Havn. B, Pal. pr., sec., tert., Pith., Mem. (V. ST.), Cant., Z, β, γ, ε, ψ, Guelf. A, Erl., edd. antiquiss., Pearc., Mueller, Or. — *aliam esse* Havn. A, al. et vulgo inde ab Aldo.

§. 214. *quem tu melius, Catule, meministi*] Sic Havn. A (*quæ*), Guelf. A, Non. v. *memini* (XII. 25 p. 779 Gothofr.) et recentt. post Sch. — *quem tu, Catule, melius mem.* vulgo codd. et edd.

Quo me miser conferam] Ex quanam C. Gracchi (de quo vide ad II. 67. 269) oratione hic locus, quem contractum attulit Quintil. XI. 3. 115, desumptus sit, non constat. Ut Gracchus locum Ennii e Medea, qui infra 58. 217 affertur, imitatus esse videtur, ita hæc Gracchi verba fortasse obversata sunt Ciceroni p. Murena 41. 88, ubi cfr. Matth. — *In Capitol.? at fratris* Ti. Gracchi; vide ad II. 70. 285. — *Matremne* Corneliam, Africani maioris filiam. — *Lamentantem* Guelf. A, Erl., Ven., Lot. et recentt. post Sch. — Vulgo: *lamentantemque*.

genus hoc totum oratores, qui sunt veritatis ipsius actores, reliquerunt, imitatores autem veritatis, histriones, occupaverunt.

LVII. 215. Ac sine dubio in omni re vincit imitationem veritas; sed ea si satis in actione efficeret ipsa per sese, arte profecto non egeremus. Verum quia animi permotio, quae maxime aut declaranda aut imitanda est actione, perturbata saepe ita est, ut obscuretur ac paene obruatur, discutienda sunt ea, quae obscurant, et ea, quae sunt eminentia et prompta, sumenda. 216. Omnis enim motus animi suum quendam a natura habet vultum et sonum et gestum, totumque corpus hominis et eius omnis vultus omnesque voces, ut nervi in fidibus, ita sonant, ut a motu animi quoque sunt pulsae. Nam voces ut chordae sunt intentae, quae ad quemque tactum respondeant; acuta, gravis; cita, tarda; magna, parva; quas tamen inter omnes est suo quaeque in genere mediocris. Atque etiam illa sunt ab his delapsa plura genera, lene, asperum; contractum, diffusum; continenti spiritu, intermisso; fractum, scissum; flexo sono attenuatum, inflatum. 217. Nullum est enim horum et similium generum, quod

---

Cap. LVII. §. 216. *fractum, scissum*] Interpretes conferri iubent Quintil. X. 3. 20: *Præterea ut sint fauces integræ, id est, molles et leves, quarum vitio et frangitur et obscuratur et exasperatur et scinditur vox etc.*; cfr. etiam Ern. Lex. p. 180 sq.

flexo sono attenuatum, inflatum] Sic interpungunt Ern., Harl., Mueller, Olsh., Or. "*Flexo sono* est commune utrique, attenuato et inflato; nam sunt semper duo modo genera fere contraria: illud est in misericordia movenda [cfr. II. 46. 193], hoc vehementius in indignatione." I. A. Ern. ad h. l. — *flexo sono; attenuatum, infl.* vulgo interpungitur. — *flexo sono extenuatum* Vet. Steph., Guelf. A, Erl. — *flexo sono; recto, attenuatum* Lamb.

§. 217. *horum et similium*] Sic coni. Pearcius, et sic legendum est, aut *similium* delendum cum Vet. Steph.,

non arte ac moderatione tractetur. Hi sunt actori, ut pictori, expositi ad variandum colores.

LVIII. Aliud enim vocis genus iracundia sibi sumit, acutum, incitatum, crebro incidens:

Impius hortatur me frater, ut meos malis miser
Manderem natos; — —

et ea, quae tu dudum, Antoni, protulisti:

Segregare abs te ausus . . .

et

Ecquis hoc animadvertit? vincite . . .

et Atreus fere totus. Aliud miseratio ac moeror, flexibile, plenum, interruptum, flebili voce:

Quo nunc me vertam? quod iter incipiam ingredi?
Domum paternamne? anne ad Peliae filias?

Harl. 1, Z, δ a pr. manu, ψ, Erl. — Vulgo: *horum similium;* verum hæc genera similia dici non possunt, quæ vel opposita sunt vel comparari inter se non possunt; id significare videtur Crassus, eodem modo, quo ea, quæ allata sint, etiam plura genera cogitari et distingui posse. — *horum omnium* Lamb.

Cap. LVIII. *sibi sumit*] Sic Med. utraque (item reliquæ edd. antiquiss., nisi quod addunt *aliud* post *sumit*), Lamb. et recentt. post Sch. — *sibi sumat* codd. aliquot et vulgo edd. inde ab Aldo. — *sibi sumat aliud* Havn. A. — *sibi aliud* (om. *sumat*) Havn. B, Pal. tert., quart., Pith., Mem. chartac., β, ψ.

Impius hortatur — manderem natos] Hæc Thyestæ verba ex Accii Atreo etiam IV, Tusc. 36. 77 citantur, ubi Bentleius, ut tempora sibi respondeant, corrigit *me hortatu'*; Davisius et F. A. Wolfius in ed. pr. ediderunt *me hortatus*, Bothius Trag. Lat. fragm. p. 186 *hortatust me*. — *Segregare abs te ausus* Vide ad II. 46. 193.

Ecquis hoc animadvertit] *Hoc* om. Vet. Steph. et Guelf. A, prob. Heusingero; eiecerunt Sch., Harl., Olsh. — Hæc verba ex Accii Atreo desumpta afferuntur etiam IV. Tusc. 25. 55.

flexibile, plenum — flebili voce] Sic codd. (nisi quod *flexili voce* Vet. Steph.) et vulgo edd. — *flexum, lene — flebile: Quo* e coni. edidit Sch., quem secutus est Muellerus; *flexum* et *flebile: Quo* etiam Harl. recepit. Cfr. infr. §. 219.

Quo nunc me vertam] Ennius in Medea his versibus imitatus est Euripid. Med. 499 sqq. Matth.

Νῦν ποῖ τράπωμαι; πότερα πρὸς ——οὺς δόμους,

et illa:

O pater, o patria, o Priami domus!

et quae sequuntur:

Haec omnia vidi inflammari,
Priamo vi vitam evitari.

218. Aliud metus, demissum et haesitans et abiectum:

Multi' modis sum circumventus, morbo, exsilio atque inopia;
Tum pavor sapientiam omnem mi exanimato expectorat;
Alter terribilem minitatur vitae cruciatum et necem,
Quae nemo est tam firmo ingenio et tanta confidentia,
Quin refugiat timido sanguen, atque exalbescat metu.

219. Aliud vis, contentum, vehemens, imminens quadam incitatione gravitatis:

Iterum Thyestes † Atreum attractum advenit,
Iterum iam aggreditur me et quietum exsuscitat.
Maior mihi moles, maius miscendum 'st malum,
Qui illius acerbum cor contundam et comprimam.

Οὓς σοὶ προδοῦσα καὶ πάτραν ἀφικόμην;
Ἢ πρὸς ταλαίνας Πελιάδας;

O pater] Vide ad III. 26. 102. — *Hæc omnia etc.* Duobus his versiculis, quibus apud Ennium Andromache regiarum opum ruinam et Priami interitum deplorat, tertius adiungitur Tusc. I. 35. 85 et III. 19. 45: *Iovis aram sanguine turpari*; cfr. ibid. III. 22. 53.

§. 218. *Multi' modis — Tum pavor etc.*] Vide ad III. 38. 154. Cfr. fragm. Cic. p. 483 Orell.

§. 219. *Atreum attractum*] Sic corrupte Havn. B, Pall. plerique, Erl. et vulgo inde ab antiquiss. edd. — *Atreum adtractatum Z.* — (*attractum* om. Havn. A, *a*). — Magis etiam turbant alii codd.: *Atreum alter etiam tum advenit* Pal. sext., sept. — *Atreum a Terecia tum venit adtractum advenit γ, ψ (attractatum)*, — *mecum altercatum* edidit Lamb., quam coniecturam receperunt Sch. et Mueller, prob. Bothio Trag. Lat. fragm. p. 186. — Hi versus, quorum tertius et quartus afferuntur IV. Tusc. 36. 77 et III. N. D. 26. 68, sunt Accii ex Atreo fabula. Atreus novam poenam in fratrem meditatur funestasque ei epulas parat.

Aliud voluptas, effusum, lene, tenerum, hilaratum ac remissum:

Sed mihi quum tetulit coronam ob collocandas nuptias,
Tibi ferebat; quum simulabat sese alteri dare,
Tum ad te ludibunda docte et delicate detulit.

Aliud molestia, sine commiseratione grave quoddam et uno pressu ac sono obductum:

Qua tempestate Paris Helenam innuptis iunxit nuptiis,
Ego tum gravida, expletis iam fere ad pariendum mensibus;
Per idem tempus Polydorum Hecuba partu postremo parit.

LIX. 220. Omnes autem hos motus subsequi debet gestus, non hic verba exprimens scenicus, sed universam rem et sententiam non demonstratione, sed significatione declarans, laterum inflexione hac

---

lene, tenerum] Sic pauci codd. et vulgo edd. post Ald. — *lene* om. Z, Erl., qui exhibent: *et tenerum*. — *tenerum* om. Havn. uterq., tres Lamb. codd., α, γ, δ, ψ, edd. antiquiss. — *plenum, tenerum* e coni. edid. Sch. et Mueller, qui conferunt Quintil. XI. 3. 63.

Sed mihi quum tetulit] *Tetulit* Pith., ψ, Erl., Guelf. A (teste Heusing. præfat. Cic. Off. p. XLIV) et vulgo inde ab Aldo usque ad Ern.; restituerunt recentt. post Sch. Cfr. Non. h. v. II. 839 p. 585 Gothofr. — *detulit* Havn. uterq., duo Steph. codd., α, δ, edd. antiquiss., Ern. — *retulit* β et V. L. cod. Havn. B. — Hi versiculi ex aliqua comoedia desumpti sunt.

grave quoddam] Ita Havn. uterq., ψ, Guelf. A, B, C, edd. antiquiss., Sch., Harl., Mueller, Or. — Vulgo: *grave quiddam*. — Deinde *uno pressu* omnes codd. et vulgo edd. — *uno spiritu* Lott., Sch. in ed. mai. — *uno oris pressu* Sch. in ed. minor. — Tum *obductum* codd. et vulgo edd. — *ductum* e codd. protulisse Becichemum testatur Sch., et sic ediderunt Sch., Harl., Mueller, Olsh.

innuptis — nuptiis] Cfr. Eurip. Hel. 690 γάμον ἄγαμον. — De *Polydoro* cfr. Iliad. υ. 407 sqq., Euripid. Hecub. init., Virgil. Æn. III. 49 sqq.

Cap. LIX. §. 220. *laterum inflexione*] Cfr. Orat. 18. 59, Ellendt ad Brut. 55. 202. — *Manus arguta* statim explicatur per *digitis verba exprimens*, quæ inter agendum quasi loquatur. Cfr. Cic. I. Legg. ... oculi nimis arguti, *quemadmodum animo affecti sumu*... ; Gell. I. 5 ; Hor-

forti ac virili, non ab scena et histrionibus, sed ab armis aut etiam a palaestra. Manus autem minus arguta, digitis subsequens verba, non exprimens; brachium procerius proiectum, quasi quoddam telum orationis; supplosio pedis in contentionibus aut incipiendis aut finiendis. 221. Sed in ore sunt omnia. In eo autem ipso dominatus est omnis oculorum; quo melius nostri illi senes, qui personatum ne Roscium quidem magno opere laudabant. Animi est enim omnis actio, et imago animi vultus est, indices oculi. Nam haec est una pars corporis, quae, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere. Neque vero est quisquam, qui eadem connivens efficiat. Theophrastus quidem Tauriscum quendam dixit actorem aversum solitum esse

---

tensii *manus inter agendum argutæ admodum et gestuosæ*; Ern. Lex. p. 31 sq.

§. 221. *qui personatum ne Roscium quidem*] "Ex hoc loco colligitur, personarum usum in scena Crassi demum tempore invaluisse, et Roscium nonnunquam haud personatum egisse, ita ut omnes oris vultus conspicerentur." Schuetz. — De *Roscio* vide ad I. 27. 124.

eadem connivens efficiat] Sic *(conivens)* codd. aliquot Gruteri, Z, et sic e Gulielmii coni. edidit Sch. in ed. min. Aptissimum hoc verbum absolute positum variis modis a librariis depravatum est: *eadem conveniens eff.* nonnulli Grut. codd. — *eadem continens eff.* Havn. A, aliquot Grut. codd., plerique Oxx. (etiam ψ), ed. s. l. et a., Med. 1, Ven. — *eadem contuens eff.* Havn. B, Pal. oct., excerpt. δ, Med. 2, Lott. et vulgo post Ald., quod ita iungunt et explicant intt.: qui *eadem contuens* h. e. eodem oculorum obtutu, nihil movens oculos, *efficiat* illas significationes et commutationes. Sed id et abruptum nimis esse, nec aptum loco iam Ern. observavit. Ut taceam, paullo post sequi *contuens aliquid*, quod sine causa mutavit Sch.: sane ridiculum et absurdum esset dicere, eum, qui eadem contueretur, tot significationes et commutationes, quot animi motus essent, non posse efficere. — Vulgatæ lectionis mendum varie corrigere tentarunt recentt.: *qui eadem contuens dicat* coni. Ern. — *qui eas, idem contuens efficiat* e Schuetzii in ed. mai. coni. edidit Muellerus. — *qui eadem contuens quidquam eff.* coni. Waardenburg opusc. orat. poet. crit. p. 156.

Theophrastus — Tauriscum] De *Theophrasto* cfr. ad I.

dicere, qui in agendo contuens aliquid pronuntiaret. 222. Quare oculorum est magna moderatio. Nam oris non est nimium mutanda species, ne aut ad ineptias aut ad pravitatem aliquam deferamur. Oculi sunt, quorum tum intentione tum remissione tum coniectu tum hilaritate motus animorum significemus apte cum genere ipso orationis. Est enim actio quasi sermo corporis; quo magis menti congruens esse debet. Oculos autem natura nobis, ut equo et leoni iubas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. 223. Quare in hac nostra actione secundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quae sunt actionis, inest quaedam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent nisi eum, qui eiusdem linguae societate coniunctus est, sententiaeque saepe acutae non acutorum hominum sensus praetervolant; actio, quae prae se motum animi fert, omnes movet; iisdem enim omnium animi motibus concitantur, et eos iisdem notis et in aliis agnoscunt et in se ipsi indicant.

LX. 224. Ad actionis autem usum atque laudem maximam sine dubio partem vox obtinet; quae primum est optanda nobis, deinde, quaecunque erit,

---

13. 55. — *Tauriscum* Schuetzius putat fuisse grammaticum illum, Cratetis auditorem, cuius mentionem faciat Sext. Empiricus adv. Mathem. I. 248 p. 268 Fabr.

§. 222. *oculorum est magna moderatio*] Geminus locus est Orat. 18. 60: *Oculorum est magna quædam moderatio. Nam ut imago est animi vultus, sic indices oculi; quorum et hilaritatis et vicissim tristitiæ modum res ipsæ, de quibus agetur, temperabunt.*

leoni iubas] Sic excerpt. δ, cod. Reg. 7703, Steph., Lamb., Sch., Mueller, Or. — *leoni setas* vulgo codd. (etiam Havn. uterq.) et edd. inde ab antiquiss.

§. 223. *in se ipsi indicant*] *In se ipsis indicant* e coni. ed. Sch., Harl., Mueller. — *in semet ipsi ind.* Erl.

ea tuenda. De quo illud iam nihil ad hoc praecipiendi genus, quemadmodum voci serviatur; equidem magno opere censeo serviendum; sed illud videtur ab huius nostri sermonis officio non abhorrere, quod, ut dixi paullo ante, plurimis in rebus, quod maxime est utile, id, nescio quo pacto, etiam decet maxime. Nam ad vocem obtinendam nihil est utilius quam crebra mutatio, nihil perniciosius quam effusa sine intermissione contentio. 225. Quid? ad aures nostras et actionis suavitatem quid est vicissitudine et varietate et commutatione aptius? Itaque idem Gracchus (quod potes audire, Catule, ex Licinio, cliente tuo, literato homine, quem servum sibi ille habuit ad manum) cum eburneola solitus est habere fistula, qui staret occulte post ipsum, quum concionaretur, peritum hominem, qui inflaret celeriter eum sonum, quo illum aut remissum excitaret aut a contentione revocaret. Audivi mehercule, inquit Catulus, et saepe sum admiratus hominis quum diligentiam tum etiam doctrinam et scientiam. 226. Ego vero, inquit Crassus, ac doleo quidem, illos viros in eam fraudem in re publica esse delapsos; quamquam ea tela texitur, et ea incitatur in civitate ratio vivendi

---

Cap. LX. §. 225. *idem Gracchus*] C. Gracchus, cuius actionem supra 56. 214 laudavit Crassus. De Gracchi fistulatore vide locos veterum a Spaldingio ad Quintil. I. 10. 27 allatos. — *Ex Licinio* Havn. A, quattuor Oxx., Erl., edd. antiquiss., marg. Crat., Mau., Lamb., Grut., Olsh., Or., neque aliter Plutarchus Ti. Gracch. 2 et Gellius I. 11 hunc servum appellant. — *ex Erycino* Havn. B, *β*, *ψ(ericino)*, Ald., Iunt., Crat., Ern., Harl. — *ex Licinio Erycino* probabili coni. ediderunt Sch. et Mueller.

servum — ad manum] Servi, quorum opera in scribendo utebantur Romani, dicebantur *servi* s. *librarii ad manum* (cfr. Orellii Inscript. Vol. I. 2874), *servi a manu* (Sueton. Iul. 74, Oct. 67, Vespas. 3, Orell. Inscr. I. 2931), *amanuenses* (Sueton. Ner. 44, Tit. 3), *ab epistolis* (Sueton. Claud. 28 et sæpe in inscriptt.). Cfr. ad I. 30. 136.

§. 226. *quamquam ea tela texitur*] Vide ad I. 7 init.

ac posteritati ostenditur, ut eorum civium, quos nostri patres non tulerunt, iam similes habere cupiamus. Mitte, obsecro, inquit, Crasse, Iulius, sermonem istum et te ad Gracchi fistulam refer, cuius ego nondum plane rationem intelligo.

LXI. 227. In omni voce, inquit Crassus, est quiddam medium, sed suum cuique voci. Hinc gradatim ascendere vocem [utile] et suave est (nam a principio clamare agreste quiddam est), et idem illud ad firmandam est vocem salutare. Deinde est quiddam contentionis extremum, quod tamen interius est quam acutissimus clamor, quo te fistula progredi non sinet et iam ab ipsa contentione revocabit; est item contra quiddam in remissione gravissimum, quoque tamquam sonorum gradibus descenditur. Haec varietas et hic per omnes sonos vocis cursus et se tuebitur et actioni afferet suavitatem. Sed fistulatorem domi relinquetis, sensum huius consuetudinis vobiscum ad forum deferetis.

Cap. LXI. §. 227. *quiddam medium*] Sic vulgo codd. et edd. Cfr. Goerenz ad I. Fin. 11. 38. — *quoddam medium* Vet. Steph., Waldarf., Ern., Harl. — Etiam infra *quoddam contentionis extremum* pro vulg. *quiddam c. extr.* exhibent Steph., Lamb., Ern., et paullo post *quoddam in remissione* Ern. et Harl.

utile et suave est] Voc. *utile* e glossa natum esse vidit Schuetzius; utilitas enim sequentibus verbis *et idem illud — est salutare* continetur. Schuetzium in hoc voc. delendo secuti sunt Harl. et Mueller. Sine causa autem iidem etiam sequentia *nam a principio clamare agreste quiddam est* delerunt; quæ verba si, ut vulgo fit, cum voce. *et idem illud* coniunguntur, sane absurda sunt; sin parenthesi includuntur, nihil habent offensionis.

et iam ab ipsa contentione] Pro vulgato *et tamen ab ipsa contentione* Schuetz et post eum Harl., Mueller, Olsh. correxerunt: *sed iam ab ista cont.* Equidem solum voc. *tamen*, quod h. l. ferri non potest, in *iam* mutavi. Particula *et* h. l., ut sæpe alias, post negativam sententiam adversativam vim habet; cfr. Ramshorn Gr. p. 523 (p. 810 ed. alt.). — Paullo post pro vulg. *per omnes sonos vocis cursus et se tuebitur* Sch. e coni. et cum eo Harl. ediderunt: *per omnes sonos cursus et vocem tuebitur.*

228. Edidi, quae potui, non ut volui, sed ut me temporis angustiae coëgerunt. Scitum est enim causam conferre in tempus, quum afferre plura, si cupias, non queas.

Tu vero, inquit Catulus, collegisti omnia, quantum ego possum iudicare, ita divinitus, ut non a Graecis didicisse, sed eos ipsos haec docere posse videare. Me quidem istius sermonis participem factum esse gaudeo; ac vellem, ut meus gener, sodalis tuus, Hortensius, affuisset, quem quidem ego confido omnibus istis laudibus, quas tu oratione complexus es, excellentem fore.

229. Et Crassus, Fore dicis? inquit; ego vero esse iam iudico et tum iudicavi, quum me consule in senatu causam defendit Africae, nuperque etiam

---

§. 228. *vellem, ut*] Sic omnes codd. et vulgo edd. — Voc. *ut*, quod suspectum erat Lambino in marg. repett. L. atque Ernestio, deleruut Sch., Harl., Mueller; uncis inclusit Or. — *Q. Hortensius* Ciceronis in dicendo æmulus oratorumque omnium ætatis suæ, quum a Cicerone discesseris, clarissimus, natus a. U. 640 (114), decem annis minor erat Cotta et Sulpicio (Brut. 88. 301). Undeviginti annos natus a. U. 659 (95), L. Crasso, Q. Scævola coss., primum in foro dixit atque in senatu Africæ causam defendit (quæ causa qualis fuerit, ignoratur); et quum eorum, qui affuerunt, tum ipsorum consulum, qui omnes intelligentia anteibant, iudicio discessit probatus (Brut. 64. 229). Eius oratio pro Nicomede Bithyniæ rege paullo ante belli socialis initium habita huius capitis §. 229 commemoratur. Belli socialis primo anno (664 = 90) miles, altero tribunus militum fuit (Brut. 89. 304); bello autem civili nunquam interfuit (Cic. ad Fam. II. 16). Ædilitate a. U. 679 (75) functus est magnificentissima (Brut. 92. 318, II. Off. 16. 57); Consul fuit a. U. 685 (69) cum Q. Cæcil. Metello Cretico. Obiit a. U. 704 (50), L. Æmilio Paullo, C. Claudio Marcello coss. (ibid. init., 64. 229, 96. 328). De oratoriis eius virtutibus cum h. l. impr. conferend. est Cic. Brut. 88 sqq. Cfr. L. C. Luzac specimen histor. iuridicum de Q. Hortensio oratore, Ciceronis æmulo. Lugd. Batav. 1810.

§. 229. *esse iam iudico et tum iudicavi*] Schuetz de Heusingeri sententia sic edidit: *esse iudico et iam tum iudicavi.* Schuetzium secuti sunt Harl. et Mueller.

magis, quum pro Bithyniae rege dixit. Quamobrem recte vides, Catule; nihil enim isti adolescenti neque a natura neque a doctrina deesse sentio. 230. Quo magis est tibi, Cotta, et tibi, Sulpici, vigilandum ac laborandum. Non enim ille mediocris orator vestrae quasi succrescit aetati, sed et ingenio peracri et studio flagranti et doctrina eximia et memoria singulari. Cui quamquam faveo, tamen illum aetati suae praestare cupio; vobis vero illum tanto minorem praecurrere vix honestum est. Sed iam surgamus, inquit, nosque curemus, et aliquando ab hac contentione disputationis animos nostros curaque laxemus.

---

§. 230. *curaque laxemus*] Hanc Lambini emendationem recepimus pro vulg. *curamque laxemus*, quod mirum est neminem offendisse; *laxare curam*, *contentionem*, *laborem* est remittere curam etc., et animus laxatur a contentione, cura, quum ea liberatur ac solvitur; sed *laxare curam a contentione* non magis potest dici quam *lax. contentionem*, *laborem a re aliqua*.

CORRIGENDA ET ADDENDA.

Pag. 13 v. 6 a fin. legendum est: Ellendt l. c. p. LXXX sq. et quæ a nobis allata sunt ad III. Orat. 2. 8 et 3. 11.

P. 82 v. 24 l. *L. Fufius.*

P. 143 v. 4 l. *dilatam.*

P. 153 v. 2 a fin. add.: Madvig Epist. ad Orell. p. 73.

P. 180 post v. 26 add.: *non difficilius arte coniuncta*] Non sine causa in his verbis hæsit Ernestius; nam *arte coniuncta* sive pro *quam ars coniuncta*, sive pro *quum ars coniuncta est* dictum putes, sive ablativum instrumenti esse statuas: sententia non minus quam constructio laborat. Madvigius probabilem coniecturam mecum communicavit hanc: *non difficili usu arte coniuncta.*

P. 258 v. 8 a fin. l. *esse hominem.*

P. 277 v. 9 a fin. l. *intellig.*

P. 278 prim. *Sunt etiam illa etc.* Madvigius Emendatt. in Cic. libb. p. 194 anacoluthon meliore hac distinctione indicavit: *Sunt etiam illa venusta, ut in gravibus sententiis, sic in facetiis (dixi enim dudum, rationem aliam esse ioci, aliam severitatis, gravium autem et iocorum unam esse materiam); — ornant igitur in primis orationem etc.*

P. 371 v. 15 l. *multo.*

P. 401 v. 8 a fin. add.: I. Orat. 53. 227.

Typis iam descripto hoc libro, ad me allatæ sunt *Reinholdi Klotzii quæstiones Tullianæ*, in quibus aliquot libb. de Oratore loci a recentiorum criticorum correctionibus vindicantur. Sed quamvis pauca quædam in Klotziano libello inesse non negem, quæ satis probabilia sint, in his tamen ipsis falsa veris mixta sunt; pleraque ita defendit vir a doctrina non satis instructus, ut parum aut nihil defensione profecerit; quædam, in quibus ipse mire sibi placuit, tam absurda sunt, ut nihil ineptius excogitari possit, velut p. 15 sqq., ubi I. Orat. 46. 202 vulgatam lect. *tamen esse deus putatur* vindicans *ipsam artem* deum esse significari contendit. "Totus hic locus ita conformatus est, ut necessario eloquentia esse deus diceretur, quæ nisi deus esset, qui posset habere antistitem?" Equidem nihil in hoc libello inveni, cuius causa quidquam eorum, quæ in commentario attulerim, mutandum censerem.

INDEX
RERUM ET VERBORUM.



